PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE LOCIS SACRIS

EJUSDEM AUCTORIS

Prælectiones canonicæ de Missa. Cum appendice de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. In-8°, XII-404 pages. . . . . **6 fr.** »

PRÆLECTIONES JURIS CANONICI

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII
ET IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI TRADITÆ

PRÆLECTIONES
DE LOCIS SACRIS

NIMIRUM

DE ECCLESIIS, ORATORIIS, ALTARIBUS CŒMETERIIS ET SEPULTURIS

AUCTORE

S. MANY

PRESBYTERO SANCTI SULPITII, DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO
JURIS CANONICI PROFESSORE IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI

PARISIIS

APUD LETOUZEY ET ANÉ, EDITORES

17, VIA VULGO DICTA *RUE DU VIEUX-COLOMBIER*, 17

1904

9531

APPROBATIO

D. Many novum opus, cui titulus *De Locis sacris*, utpote præcedentis voluminis *Prælectionum Canonicarum* qualitatibus insignitum, libenter imprimi permittimus, et clero nostro enixe commendamus.

Parisiis, die 30ª junii 1903.

Franciscus Card. RICHARD,
Arch. Parisiensis.

IMMACULATÆ

VIRGINI DEIPARÆ

OPUS DICATUM

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesdel0000sman

PROŒMIUM

Liber hic *De Locis sacris* quatuor partes continet : primam de *ecclesiis*, alteram de *oratoriis*, tertiam de *altaribus*, ultimam de *cœmeteriis*. Ut quisque videt, hic liber, quoad magnam sui partem, est quasi complementum *Prælectionum canonicarum de Missa*, jam a me hoc eodem anno editarum ; ecclesiæ enim, oratoria et altaria constituunt *locum normalem* celebrationis missæ, cujus locum *extraordinarium* exhibui in præfatis *Prælectionibus*. Verum, præter hanc immediatam relationem ad celebrationem sacrosancti sacrificii, multa occurrunt tractanda de ecclesiis et oratoriis quæ non nisi remote respiciunt missam, v. g., de ædificatione ecclesiarum, de earum pollutione et reconciliatione, de earum immunitate ab usibus profanis, de jure asyli eis competente, de earum Patronis et Titularibus, de statu juridico oratoriorum relative ad episcopum et parochum, etc. etc. Unde satius visum est ista omnia in hoc libro quasi uno conspectu exhibere. Disputationi autem de cœmeteriis juncta est aut potius intermixta tractatio de sepulturis ; non enim possibile est varia quæ occurrunt de cœmeteriis recte pleneque tractari, quin sæpe sæpius

agatur de sepulturis ; utrumque igitur jungere magis libuit. — Juxta autem methodum, qua jam usus sum in *Prælectionibus de Missa*, leges canonicas ex ipsis earum fontibus semper haurire curavi, nimirum ex decretalium libris, conciliorum œcumenicorum decretis, et apostolicis constitutionibus, adhibitis ad earum interpretationem resolutionibus Sacrarum Romanarum Congregationum.

PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE LOCIS SACRIS

TITULUS I

DE ECCLESIIS

Plures sunt, in *Decretalibus* Gregorii IX, tituli qui respiciunt ecclesias, nimirum in libro III, tit. XL, DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS; tit. XLVIII, DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS; tit. XLIX, DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, quibus correspondent tituli similes in aliis collectionibus *Corporis Juris;* qui tituli complectuntur omnes aut fere omnes leges, quas legislator canonicus edidit circa ecclesias. Igitur, in hac tractatione de ecclesiis, præfatos titulos interpretari aggredior, non quidem secundum ordinem quo extant in *Decretalibus*, sed prouti occurrent in logica et

scientifica expositione rerum omnium quæ spectant ad ecclesias. Juxta propositam mihi methodum, de qua dixi in *Proœmio* jam editi voluminis *De Missa*, præmittere curabo singulis capitibus, prouti se dabit occasio, notitias historicas, ut toti rei plenior lux affulgeat.

CAPUT I

NOTITIÆ HISTORICÆ

1. — Antiquitas ecclesiarum apud christianos.

1° *Ipso tempore apostolorum.* — Apostoli et primi christiani adunari solebant in *domibus privatis* (hinc, quæ dictæ sunt, *ecclesiæ domesticæ*), et quidem, saltem initio, in *cœnaculis* harum domuum, sicut fecerat ipse Dominus Jesus cum discipulis suis; *cœnaculum* autem (græce ὑπερῷον) erat pars superior domus; ibi *frangebatur panis,* audiebatur verbum Dei, etc., ut constat Act., I, 13; XX, 8. Qui mos etiam post tempora apostolorum perseveravit, saltem alicubi, uti constat, pro sæculo II testimonio Luciani, qui testem se fuisse narrat alicujus ritus sacri a christianis peracti in superiori parte domus [1], et, pro sæculo III, ex *Actis S. Pontii,* n. 2-3 [2]. Mox autem, etiam sæculo I, crescente numero discipulorum, et multiplicatis ordinibus clericorum, variæ partes domus, præter cœnaculum, aptatæ sunt diversis novæ religionis ritibus et officiis [3].

2° *Ecclesiæ seu capellæ in cœmeteriis subterraneis* [4] *christia-*

[1] Lucianus, *Philopatris,* circa finem; Salmurii, 1619, t. II, p. 1007.

[2] Baluze, *Miscellanea,* Lucæ, 1761, t. I, p. 29.

[3] Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien,* c. XII, § 1; Paris, 1903, p. 339-400.

[4] Quorum unum vocabatur *ad catacumbas:* quod nomen minus proprie ad alia extensum fuit.

norum tempore persecutionum. — Licet, ex primaria institutione, hæc cœmeteria parata fuerint ad sepulturam fidelium, juxta leges romanas tunc vigentes, attamen, necessitate cogente, aptata etiam sunt cultui divino, et præsertim sacræ liturgiæ, id est, celebrationi sacrosancti sacrificii; in multis enim cœmeteriis erant *cubicula* majora et altiora, in quæ etiam, per varia luminaria (*lucernari*), lumen et aer ab extra diffundi poterant; in quibus, junctis præsertim vicinis atriis, sat ingens numerus fidelium coadunari poterat ad audiendum verbum Dei et ad sacra mysteria, ut testantur adhuc vestigia relicta, altaria, cathedræ, picturæ, vasa, variæque partes his usibus aptatæ : quod extra controversiam posuerunt doctissimi horum cœmeteriorum exploratores. Juxta De Rossi, sæculo præsertim III et potissimum in posteriori hujus sæculi media parte, usus fuit sat communis, propter sævientes persecutiones, celebrandi sanctum sacrificium in his cubiculis et quasi capellis cœmeteriorum [1]. Verum negari nequit, nec negat ipse De Rossi, multo citius, variis de causis, saltem in quibusdam cœmeteriis, solitam fuisse celebrari sacram liturgiam : sic in cœmeterio Calixti, capellæ illæ quæ vocari consueverunt *cubicula sacramentorum* (*chambres des sacrements*), quia variis decoratæ sunt picturis sacramenta, præsertim baptismum et eucharistiam, sub variis symbolis exhibentibus, retroascendunt saltem ad initium sæculi III, uti deductum est ex indole et variis adjunctis picturarum [2]; imo illa sic dicta « capella græca », in cœmeterio Priscillæ, in qua, anno 1893, reperta est a D. Wilpert celebris pictura « Fractio panis », non multo posterior est initio sæculi II, quum hæc pictura referenda sit ad tempora Adriani aut etiam Trajani [3].

3° *Ecclesiæ per priora sæcula sub dio extantes.* — Præter

[1] De Rossi, *Roma sotterranea,* Roma, 1877, t. III, lib. III, c. XIII, p. 478-488.

[2] Cf. Marucchi, *Éléments d'archéologie chrétienne,* Rome, 1900, t. I, p. 280.

[3] Wilpert, *Fractio panis,* c. V, Paris, 1896, p. 27-29; — cf. etiam Marucchi, *loc. cit.,* t. I, p. 288. — De celebratione sacræ liturgiæ in cœmeteriis, præter De Rossi, *loc. cit.,* c. XIII, XIV, XV, p. 478-507, videas etiam Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes,* v° *Basilique,* Paris, 1889, p. 89; — Paul Allard, *Rome souterraine,* Paris, 1874, p. 43 et passim.

ecclesias domesticas et oratoria cœmeteriorum, erant, etiam ipso tempore persecutionum, non paucæ ecclesiæ *sub dio* extantes, quæ nempe erant vel domus privatæ in ecclesias mutatæ, vel ædificia publica empta et ad usus sacros aptata a christianis, vel etiam ædes sacræ ex industria ab ipsis constructæ :

a. Primum exemplum certum [1] hujusmodi ecclesiæ christianæ retroascendit ad tempus Alexandri Severi imperatoris (222-235); ædificium enim quoddam, antea usui publico traditum, emptum fuit a christianis, et usui ecclesiæ aptatum; quem locum, a quibusdam popinariis quasi pro suo vindicatum, imperator christianis adjudicavit : « Cum christiani quemdam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit (imperator) melius esse ut quomodocumque illic deus colatur, quam popinariis dedatur [2]. »

b. Paucis post annis, Gallienus imperator, reddita pace Ecclesiæ, jussit (anno 260) restitui episcopis loca cultui divino dicata, τόποι θρησκευτίμοι. Vide rescriptum imperatoris apud Eusebium [3]. Idem alio rescripto cautum est pro cœmeteriis [4].

c. Item, an. 272, Aurelianus communitati christianæ quæ erat in communione cum episcopo urbis Romæ reddi jussit quamdam *ecclesiam*, Antiochiæ sitam, quam injuste detinebat Paulus Samosatenus hæreticus, a qua fuit auctoritate sæculari exturbatus [5].

d. Tempore persecutionis Diocletiani (ab anno 303), fit, in pluribus documentis coætaneis, mentio *ecclesiarum* christianarum, quæ, jussu imperatoris aut ejus satellitum, destrui jussæ sunt. Sic Theoctenus (Antiochiæ, ut videtur [6]) præcepit ut omnes

[1] Omitto locum in *Doctrina duodecim apostolorum* (ed. Funk, Tubingæ, 1887, p. 16) : « Ἐν ἐκκλησίᾳ ἐξομολογήσῃ τὰ παραπτώματά σου, » quia dubium est utrum hoc vocabulum ἐκκλησία significet ipsam fidelium congregationem, vel locum congregationis.

[2] Lampridius, *In Alexandrum Severum*, n. 49; *Historiæ Augustæ Script. VI*, Lugduni Bat., 1671, t. I, p. 1003.

[3] *H. E.*, VII, XIII; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 673.

[4] *Ibid.*; *ibid.*, col. 676.

[5] Eusebius, *ibid.*, XXX; *ibid.*, col. 720.

[6] *Ibid.*, IX, II; *ibid.*, col. 804.

ubique *ecclesiæ cum suis altaribus*, τὰς ἐκκλησίας σὺν τοῖς θυσιαστηρίοις, æquarentur solo, uti narratur in *Passione S. Theodoti*[1]. — Eusebius præsertim memorat ecclesias, fere per universas urbes, ante Diocletiani persecutionem constructas, et ab illo destrui jussas[2].

e. Edicto Mediolanensi (an. 313), Licinius et Constantinus restituerunt christianis communitatibus ecclesias adhuc extantes : « ... quoniam iidem christiani non ea loca tantum, *ad quæ convenire consueverunt*, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis ipsorum, id est, Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, etc.[3]. » — In sola urbe Roma, hoc tempore, nempe initio sæculi IV, erant plusquam quadraginta hujusmodi ecclesiæ, teste S. Optato, *De schismate donatistarum*, lib. II, n. 4 : « Inter quadraginta, et, quod excurrit, *basilicas*...[4]. »

4° *Ecclesiæ post pacem christianis concessam.* — Post annum 313, quo pax, edicto Mediolanensi, christianis reddita fuit, templa christiana ubique terrarum instaurari vel erigi cœpere, teste, inter alios, Eusebio[5]. Ipse Constantinus, tum in urbe Roma, tum Jerosolymis et alibi, plures ecclesias extruxit, seu profanas basilicas in christianas ecclesias convertit, uti testificatur, pro urbe Roma, *Liber pontificalis*, vita Silvestri[6]; pro Jerosolymis, Eusebius[7], et *Itinerarium Burdigalense* (an. 333), quod tres basilicas Jerosolymis a Constantino constructas memorat[8]. Et item in aliis regionibus, Gallia, Italia, Hispania, etc.

[1] Bolland., 18 maii, Antuerpiæ, 1685, Maii, t. IV, p. 151, vel Ruinart, *Acta sincera...*, Parisiis, 1689, p. 355-356.

[2] *H. E.*, lib. VIII, c. I, II; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 740-744.

[3] Vide textum latinum primigenium edicti apud Lactant., *De mortibus persecutorum*, 48; Migne, *P. L.*, t. VII, col. 267-270, et translationem in græcum ap. Euseb., *H. E.*, X, V; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 880.

[4] Migne, *P. L.*, t. XI, col. 954.

[5] *H. E.*, X, II, III; Migne, t. XX, col. 845, 848.

[6] Ed. Duchesne, t. I, p. CLII, 191.

[7] *De vita Constantini*, lib. III, c. XXV-LVIII; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 1086 sq.

[8] Migne, *P. L.*, t. VIII, col. 791-792. — Cf. Ciampini, *De sacris ædificiis a Constant. constructis*, Romæ, 1783.

2. — Nomina quibus ecclesiæ christianorum vocabantur.

1° *Ecclesia;* hoc videtur esse primum nomen, quo designatæ sunt ædes sacræ christianorum, quod primus forsan in hoc sensu usurpavit D. Paulus, I Cor., xi, 22 : « Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut *ecclesiam Dei* contemnitis...? » quasi opponat ecclesiam Dei domibus privatis. — Certo jam Tertullianus adhibet hoc vocabulum in hoc sensu, translato nempe, ut fieri solet, nomine *contenti* ad *continens*. Cf. *De velandis virginibus*, 13 : « Constanter audeant (virgines) et in vicis virgines videri, sicut audent in *ecclesiis;* » — *De pudicitia*, 4, et alibi non semel [1]. Item passim apud S. Cyprianum, Eusebium, etc., et apud antiqua concilia, v. g., conc. Eliberitanum (an. circ. 300), can. 38, 52 [2].

2° *Dominicum;* sæculo iii et postea, ecclesia christianorum sæpe vocabatur *dominicum* (græce κυριακόν), quasi nempe domus *Domini*, sicut prima dies hebdomadis vocabatur κυριακή. Sic apud Cyprianum, *De opere et eleemosyna*, n. 15 : « In *dominicum* sine sacrificio venis... [3]; » — apud Rufinum, *H. E.*, lib. I, c. iii : « Sequere me ad *dominicum* [4]; » — apud S. Hieronymum, qui loquitur de *dominico aureo*, Antiochiæ ædificato, in *Chronic.*, Olymp. 277, an. 3 [5]. Sic etiam in conciliis : Ancyrano, can. 15; — Neocæsariensi, can. 5; — Laodiceno, can. 28 [6]. — Imo hoc nomen erat maxime vulgatum, ut patet ex hac locutione apud *Itinerarium Burdigalense*, *loc. cit.* : « Ibidem (in Golgotha), jussu Constantini imperatoris, *basilica* facta est, *id est*, *dominicum*, miræ pulchritudinis. » A voce κυριακόν orta sunt, in linguis germanica et anglica, vocabula *Kirche*, *Church*.

3° *Basilica;* in imperio romano, Romæ et alibi, *basilicæ* vocabantur domus publicæ tum adunationibus aut negotiationibus

[1] Migne, *P. L.*, t. ii, col. 907, 987, etc.
[2] Bruns, *Concilia*, t. ii, p. 7, 9.
[3] Migne, *P. L.*, t. iv, col. 613.
[4] Migne, *P. L.*, t. xxi, col. 470.
[5] Migne, *P. L.*, t. xxvii, col. 677. — Cf. etiam Euseb., *H. E.*, IX, x; Migne, *P. G.*, t. xx, col. 833.
[6] Bruns, *Concilia*, t. i, p. 69, 71, 76.

mercatorum, tum etiam juri reddendo addictæ [1]; porro hoc nomen translatum est ad ecclesias, etiam ante pacem Constantinianam [2], sed præsertim post hoc tempus, forsan quia finis præcipuus, aut saltem maxime visibilis, ecclesiæ christianæ erat adunatio fidelium, sicut finis basilicæ civilis adunatio civium. — Unde, a dicto tempore, hoc vocabulo passim designari cœpere ecclesiæ, tum in Oriente, tum in Occidente. Sic S. Ambrosius hoc nomine designare solet ecclesias christianas [3]. — Qui mos sat diu permansit; S. Isidorus Hispalensis (m. an. 636) ait : « Ideo divina templa *basilicæ* nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificia offeruntur [4]. » A pluribus autem sæculis, vocabulum istud reservatur ad designandas insigniores ecclesias, ut infra dicetur.

4° *Templum;* per tria prima sæcula, scriptores ecclesiastici nunquam adhibuerunt hoc verbum ad nominandas ecclesias, ad arcendam, ut videtur, confusionem inter christianum conceptum Dei veri, et paganam notionem deorum qui manufactis templis egebant (Act., xvii, 24, 25, 29); sic et nunquam adhibitum est vocabulum *fanum* ad designandam ecclesiam. — Verum, gentilitate destructa, cum non fuerit amplius possibilis prædicta confusio, vocabulum istud *templum*, ναός, quod fuit adhibitum, in Scriptura sacra, ad designandum templum Hierosolymitanum [5], imo et corpus D. N. Jesu Christi [6], usurpatum etiam fuit ad designandas ecclesias christianas. Prima exempla inveniuntur apud

[1] De Gentilium *basilicis* cf. Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, v° *Basilica*, Paris, 1877, t. I, p. 678; — Rich, *Dictionnaire des antiquités romaines*, Paris, 1859, v° *Basilica*, p. 76.

[2] Ut demonstrat De Rossi, *Roma sotterranea*, Romæ, 1877, t. III, p. 460. — De basilicis christianis, cf. etiam Marucchi, *Basiliques et églises de Rome*, Rome, 1902, p. 14-19.

[3] Ambrosius, *Epist.*, ep. XX et XI; — *Sermo contra Auxentium, De basilicis tradendis;* Migne, *P. L.*, t. XVI, col. 995 sq., 1007 sq., 1107, et passim. — Eodem tempore, S. Silvia Aquitana indifferenter adhibet vocabula *basilica* et *ecclesia*. *Peregrinatio ad loca sancta*, Romæ, 1888, passim.

[4] *Etymol.*, XV, IV; Migne, *P. L.*, t. LXXXII, col. 545.

[5] Matth., XXIII, 16 sq., 35; XXVII, 40; — Marc., XIV, 58; XV, 29; — Joan., II, 19 sq., etc.

[6] Joan., II, 21.

Lactantium (m. an. 325); *Institut. divin.*, lib. V, c. II[1]; Eusebium, *H. E.*, lib. X, c. II, IV[2]; Ambrosium, *Epist.*, ep. XX, *Ad Marcellinam*, n. 2[3]; deinde innumera exempla.

5° *Oratorium;* sæculo IV et postea, nomen *oratorii* (græce, εὐκτήρια, προσευκτήρια, οἶκος εὐκτήριος) sæpe datum est ecclesiis, ut sunt innumera exempla apud Eusebium, Socratem, Sozomenum, etc. etc.[4]. Quum enim hoc nomen, nempe *domus orationis*, ab ipso D. N. Jesu Christo datum fuerit templo Hierosolymitano, a fortiori convenit ecclesiis christianis. — Attamen postea restrictum est ad parva et præsertim ad privata oratoria, in quibus non publice fideles, sed privatim aliqua familia adunari solet.

6° *Martyrium*, *confessio*, *memoria:* his nominibus non quælibet ecclesiæ vocabantur, sed illæ tantum quæ super aut prope corpus alicujus martyris constructæ erant, aut de ejus nomine, ad conservandam martyris memoriam, nuncupabantur. Sic *martyrium* Thomæ[5], *martyrium* Petri et Pauli[6], *martyrium* Euphemiæ[7] designabant ecclesias erectas super aut prope corpora horum sanctorum; sic etiam, quia Christus Dominus dicitur etiam μάρτυς (Apoc., I, 5), ecclesia in ejus honorem a Constantino Jerosolymis erecta vocatur ab Eusebio *martyrium Salvatoris*[8]; unde et ipse Eusebius accurate distinguit *martyria* ab aliis ecclesiis[9]; sic etiam Calcedonense concilium (an. 451), can. 6[10]. — Quod autem μαρτύριον Græcis, idem sunt Latinis *confessio* et *memoria;* sic dicitur *memoria* alicujus sancti, ali-

[1] Migne, *P. L.*, t. VI, col. 553.

[2] Migne, *P. G.*, t. XX, col. 845, 848.

[3] Migne, *P. L.*, t. XVI, col. 994.

[4] Eusebius, *H. E.*, X, III; *De vita Constantini*, III, XLVIII, L; *De laudibus Constantini*, XVII; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 847, 1108, 1109, 1429; — Socrates, *H. E.*, I, XIX; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 128; — Sozomenus, *H. E.*, II, V; Migne, *ibid.*, col. 948.

[5] Socrates, *H. E.*, IV, XVIII; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 504.

[6] *Ibid.*, IV, XXIII; Migne, *ibid.*, col. 521.

[7] *Ibid.*, VI, VI; Migne, *ibid.*, col. 677.

[8] Eusebius, *De vita Constantini*, IV, XL; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 1189.

[9] *Ibid.*, III, XLVIII; Migne, *ibid.*, col. 1108.

[10] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 27.

cujus martyris aut apostoli, apud Augustinum et Optatum [1].

De aliis minus usitatis vocabulis ad designandas ecclesias adhibitis, cf. Selvagio, Bingham, Frances, et Bona [2].

[1] August., *De civitate Dei*, lib. XXII, c. x; Migne, *P. L.*, t. XLI, col. 772; — Optatus, *De schismate Donatistarum*, lib. II, n. 4; Migne, *P. L.*, t. XI, col. 952.

[2] Selvagio, *Antiq. christ.*, lib. II, part. I, c. I, Matriti, 1780, t. II, p. 1-6; — Bingham, *Origines ecclesiast.*, lib. VIII, c. I, Halæ, 1727, t. III, p. 123 sq.; — Frances, *De ecclesiis cathedralibus*, c. XV, Venetiis, 1698, p. 146 sq.; — Bona, *Rerum liturgicarum*, lib. I, c. XIX, § 4, Augustæ Taur., 1749, t. II, p. 48 sq.

CAPUT II

DE ÆDIFICATIONE ECCLESIARUM

3. — Notiones præviæ.

1° *Definitio.* — *Ecclesia*, qualis hic intelligitur, est *ædes publica, cultui divino dedicata, quæ eo potissimum fine ædificata est, ut publico populi fidelis usui inserviat.* — *Per cultum divinum*, cui dedicatur ecclesia, intelligitur potissimum sacrosanctum missæ sacrificium, quæ est principalis pars cultus divini, sed etiam cætera officia, prædicatio verbi divini, et sacramentorum administratio. — Per ultima verba definitionis : *quæ eo potissimum,* etc., distinguitur ecclesia ab *oratorio publico*, seu, ut etiam dicitur, *capella publica;* oratorium enim publicum est *ædes publica, cultui divino dicata, sed quæ, etsi patet omnibus fidelibus,* attamen eo potissimum fine ædificata est, *ut peculiari alicujus privati, aut familiæ, aut communitatis usui inserviat.*

2° *Legitimitas hujus definitionis.* — De priori parte nulla difficultas; de posteriori parte, in qua asseritur distinctio inter *ecclesiam* et *oratorium publicum,* constat legitimitas hujus distinctionis :

a. Ex *communi usu*, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi; quando enim aliqua sacra ædes, licet

pateat omnibus, non ædificata est nisi ad aliquem specialem usum, v. g., in commodum alicujus familiæ vel ad venerationem alicujus imaginis, reliquiarum, etc., et proinde, quod huic fini congruum est, satis angustis muris aut parietibus extructa est, hanc non *ecclesiam*, sed *oratorium*, vel *capellam*, vocamus; quanquam olim, ut dictum est, nomen *oratorii* omnibus sacris ædibus datum fuit. Econtra, quando sacra ædes eo potissimum fine ædificata est ut publico usui populi fidelis inserviat, v. g., ut pro tota parochia inserviat, vel ut ecclesiæ parochiali subsidio sit, hanc, non *oratorium*, sed *ecclesiam* aut forte *ecclesiolam*, vocant canonistæ.

b. Ex *jurisprudentia S. Romanarum Congreg.* Sic S. Congr. Rituum, in *Suessionen.*, 22 julii 1855, huic speciali quæsito : « ... Quæritur quid intelligendum sit per *ecclesiam* et *capellam publicam*, » respondit : « Ecclesia intelligitur *quæ eo potissimum fine ædificatur ut publico fidelis populi usui inserviat;* capella publica vero quæ, licet ingressum habeat in publica via, attamen *non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicujus familiæ vel collegii commoditati*[1]. »

Ceterum non tanti plerumque interest ecclesiam ab oratorio publico discernere, quia pleræque leges utrique sacræ ædi sunt communes.

3° *Variæ species ecclesiarum :*

a. Basilicæ vocantur quatuor principaliores ecclesiæ Romæ extantes, plurimis honoribus ditatæ, ad quarum instar aliæ etiam ecclesiæ, sive Romæ, sive alibi erectæ eodem nomine pariter decoratæ sunt, ut infra exponetur.

b. Ecclesia *cathedralis* ea est quæ sedes est alicujus tituli episcopalis; quæ vocatur etiam *metropolitana*, *prima-*

[1] Gardellini, ed. 3ª, n° 5215, ad 3; Romæ, 1858, t. IV, p. 186.

tialis aut *patriarchalis*, si Episcopus sit insuper Metropolitanus, aut Primas, aut Patriarcha.

c. Ecclesia *collegiata* est ea ecclesia non cathedralis in qua auctoritate competenti erectum est collegium canonicorum.

d. Ecclesia *parochialis* ea est in qua canonice erecta est aliqua parochia, in qua proinde parochiani tenentur recipere sacramenta.

e. Ecclesia *regularis* ea est quæ erecta est in conventibus Regularium, modo tamen pateat omnibus fidelibus (alioquin non esset ecclesia).

f. Demum *ecclesia* simpliciter dicta ea est, quæ non recidit in unam ex prædictis speciebus, modo tamen *ad usum populi fidelis potissimum erecta sit*, v. g., ecclesia erecta in subsidium ecclesiæ parochialis, ecclesia erecta in conventibus Religiosorum vota simplicia emittentium, vel in aliquo hospitali aut alio loco pio, ecclesia confraternitatis, etc.

g. Dicitur etiam ecclesia *matrix* quæ aliam, vel alias ecclesias, sibi aliquo modo subjectas habeat; si, v. g., ex aliqua ecclesia parochiali alia dismembretur, prior dicitur ecclesia *matrix*, alia *filialis*, quæ quibusdam obsequiis erga matricem obstricta manere solet : de quo alibi.

4. — Requisita ad ædificationem ecclesiæ. — *Quatuor requiruntur ut ædificari possit ecclesia :* 1° *Consensus Episcopi;* 2° *Designatio loci et impositio primarii lapidis, auctoritate Episcopi facta;* 3° *Dos competens;* 4° *Ut nova ecclesia non vergat in detrimentum antiquioris ecclesiæ.*

Demonstratur et *evolvitur* propositio per partes :

1ª pars, nempe de *consensu Episcopi.* Necessarium esse consensum Episcopi constat :

1° *Concilio Calcedonensi* (an. 451), can. 4[1] (= can. *Qui-*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 27.

dam, 10, Caus. XVIII, q. II) : « Placuit igitur neminem aut ædificare aut construere monasteria, aut *oratorii domum* (εὐκτήριον οἶκον). *sine conscientia* (παρὰ γνώμην) *ipsius civitatis episcopi.* » Hoc tempore, ut supra notatum est, omnes ecclesiæ indiscriminatim vocabantur *oratoria* seu εὐκτήρια.

2° Can. *Nemo ecclesiam*, 9, dist. I, De consecratione, in quo legitur : « Nemo ecclesiam ædificet, *antequam episcopus civitatis veniat, et ibidem crucem figat, publice atrium designet*, et ante præfiniat quæ ædificare vult, quæ ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum sufficiant; et, ostensa donatione, sic domum ædificet. » — Hic canon desumptus est, non ex concilio Aurelianensi (quidquid dicit Gratianus aut alii compilatores), sed ex Juliani *Epitome Novellarum*, const. LXI, c. I[1], qui ipse breviter contraxit duas Justiniani *Novellas*, nempe nov. CXXXI, c. VII, et nov. LXVII, c. II. Unde hic canon, ex se ipso, nullam vim habet; attamen, propter suam cum canone Calcedonensi conformitatem et insertionem in *Decreto* Gratiani, summam nactus est auctoritatem; imo *canonizatus* fuit auctoritate Ecclesiæ, nempe in *Pontificali* et *Rituali*, locis infra citandis.

3° Ex *Pontificali* et *Rituali* :

a. In *Pontificali Romano*, part. II, tit. *De benedictione et impositione primarii lapidis*, etc., legitur : « Nemo ecclesiam ædificet, priusquam, *Pontificis judicio, locus et atrium designentur*, et quid ad luminaria, quid ad rectoris ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; et per eum, vel, ejus auctoritate, per sacerdotem, crux in loco figatur et lapis primarius in fundamento ponatur. »

b. In *Rituali Romano*, tit. VIII, c. XXVI : « Ecclesiam

[1] In opere *Pithœi observationes ad Codicem et Novellas*, Parisiis, 1689, p. 518.

ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum canonum decreta, ædificari fas est. »

4° Ipsa *ratione canonica;* tum quia agitur de ecclesiis cultui divino, præsertim celebrationi missæ, dicandis; porro Episcopus, in sua diœcesi, præest cultui divino, et ipsius solius est concedere licentiam ad missæ celebrationem; — tum quia Episcopus sollicitudinem habet omnium ecclesiarum suæ diœcesis, et proinde cavere debet ne ecclesiæ jam extantes ex novæ ecclesiæ ædificatione detrimentum capiant. — Quod adeo verum est ut ipsi Regulares non possint ædificare ecclesiam (præter eam ad quam jus habent) in loco etiam exempto, sine consensu Episcopi.

De hoc autem Episcopi consensu, hæc notanda :

a. Non sufficit consensus *tacitus* (quidquid dicunt Barbosa, Pirhing, etc. [1]), sed requiritur *expressus*, ut constat adductis textibus, qui requirunt *designationem* loci factam ab Episcopo, et alia quæ supponunt ejus *expressum* consensum [2].

b. Non potest Episcopus *ad libitum* dare consensum suum, sed tantum si adsint alia requisita, de quibus statim dicendum, nempe dos competens, et ut nova ecclesia non sit detrimento aliis ecclesiis.

c. Pariter non potest *ad libitum* recusare consensum; alioquin ab ejus decreto daretur, ex principiis juris communis, appellatio ad judicem superiorem, nempe Metropolitanum.

5. — 2ª pars, nempe de *designatione loci* et *impositione primarii lapidis*. — Hæc etiam requiri ex parte Episcopi,

[1] Barbosa, *De officio episcopi*, Alleg. 26, n. 2; — Pirhing, in tit. *De ecclesiis ædificandis*, n. 2.

[2] Cf. Reiff., in tit. *De ecclesiis ædificandis*, n. 7, 8.

patet citato textu *Pontificalis Romani*, quod hæc pleraque desumpsit ex *Novellis* Justiniani. — Hæc autem Episcopum peragere posse per se vel *per alium*, clarum est ex regula 68 Juris, in VI : « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. »

3ª pars, nempe de *Dote competenti :*

a. Ante fundationem ecclesiæ, *requiritur ut ei dos competens assignetur*, nempe pro sustentatione rectoris et ministrorum, et pro aliis sumptibus cultus. — Constat tum cap. *Cum sicut*, 8, De consecratione ecclesiæ, in quo clare dicitur : « Cum non sit ecclesia, *nisi de dote provisum ei fuerit*, consecranda; » — tum textu citato *Pontificalis* qui dotem exigit non tantum pro consecratione, sed etiam pro ipsa fundatione ecclesiæ. Ratio clara est [1].

b. Pro ædificatione ecclesiæ *regularis*, nempe illius ecclesiæ publicæ, ad quam jus habent, non requiritur dos distincta ab ipsa dote monasterii, ut communiter dicunt doctores [2]; — pro ædificatione ecclesiæ *parochialis*, Episcopus, in dote computanda, rationem habere potest et debet variarum oblationum, redituum, etc., quæ parochiæ obventura sunt, ut per se patet.

c. Olim quantitas dotis præscripta erat, ut patet cap. *Sancitum*, 1, De censibus (quod assignat unum *mansum* [3]); a pluribus autem sæculis relinquitur Episcopo determinanda juxta varia locorum et temporum adjuncta [4]; ut ex universali usu constat.

[1] Cf. can. *Placuit*, 1, Caus. I, q. II, ex concilio Bracarensi II (an. 572), can. 5, apud Bruns, *Concilia*, t. II, p. 40.

[2] Reiff., *loc. cit.*, n. 10; — Giraldi, *Expositio juris pontif.*, part. I, sect. DCI, p. 425, 426.

[3] Juxta quosdam, unus mansus æquivalebat duodecim agri jugeribus; cf. Du Cange, *Glossarium*, v° *Mansus*.

[4] Reiff., in tit. *De ecclesiis ædif.*, n. 8.

d. Si dos non fuerit assignata, vel non nisi insufficiens, cogitur fundator (aut ejus heres) supplere dotem, ut constat cit. cap. *Cum sicut*, 8, De consecratione ecclesiæ, in quo Innocentius III declarat fundatricem ecclesiæ *tanquam ex debito teneri* ad supplendam dotem. — In defectu autem fundatoris et ejus heredum, tenetur Episcopus consecrator (non tamen ejus ecclesia cathedralis) ad supplendam dotem; ita omnes doctores, qui hunc Episcopum assimilant Episcopo qui sine titulo clericum in sacris ordinibus ordinavit, quem alere tenetur[1].

6. — 4ª pars, *ut* nempe *nova ecclesia non vergat in detrimentum ecclesiarum jam extantium.* — Constat clare cap. *Intelleximus*, 1, De novi operis nuntiatione, in quo id diserte traditur : « Nulla ecclesia in præjudicium est alterius construenda[2]. » — Notandum tamen excipi ecclesiam regularem aut novam ecclesiam parochialem; hæ enim quasi necessario præjudicant ecclesiis jam extantibus; unde legibus specialibus reguntur; de quibus agitur ubi de Regularibus et Parochis. — Si quis se gravatum existimet ex ædificatione novæ ecclesiæ, præsto illi adest remedium, quæ vocatur *nuntiatio novi operis.*

7. — Remedium contra nocivam ædificationem ecclesiæ, seu nuntiatio novi operis.

1° *Notio.* — Nuntiatio novi operis (gallice *dénonciation d'un nouvel œuvre*) est *prohibitio legitima ne quod novum opus* (v. g., in re nostra, aliqua ecclesia) *extruatur, aut extructum immutetur, — vel in cœpta constructione aut mu-*

[1] Reiff., in tit. *De ecclesiis ædif.*, n. 9; — Giraldi, *loc. cit.*; — Petra, *In Const. II Pascalis II*, sect. 1, n. 84.

[2] Communiter etiam affertur can. *Quicumque*, 44, Caus. XVI, q. 1; sed hic nullam vim habet; est enim desumptus a Capitulari Caroli Magni, an. 804, ad Salz., c. III (Baluze, *Capitularia*, Parisiis, 1780, t. I, p. 415).

tatione pergatur. Hæc notio sumitur ex jure romano, nempe in titulo *De operis novi nuntiatione*, sive in ff. XXXIX, I, sive in *Cod. Just.*, VIII, XI; quas civiles leges Lucius III aliique Pontifices expresse approbarunt cap. *Intelleximus*, I, et aliis cap. De novi operis nuntiatione: « Quia vero, sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et *sacrorum statuta canonum*, *principum constitutionibus adjuvantur*. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus diligenter considerans quod, post denuntiationem novi operis, sive jure, sive injuria aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri, et quia nulla ecclesia in præjudicium est alterius construenda, negotium ipsum *secundum legum et canonum statuta* non differas terminare. » Ita in cit. cap. *Intelleximus.*

2° *De eo qui possit nuntiare opus.* — Omnis qui se gravatum existimat ex constructione novi operis (nempe ecclesiæ), v. g., parochus vicinæ parochiæ, superior communitatis, etc., potest nunciare opus.

3° *De eo cui nuntiandum est.* — Nuntiandum est *ædificanti* immediate aut mediate : immediate, nempe ipsum personaliter, voce aut scripto, alloquendo; mediate, nempe per judicem, et proinde, hic, per Episcopum.

4° *Effectus nuntiationis.* — Triplex est :

a. Ut ædificans *statim cessare teneatur ab opere* (licet putet se optimo jure uti), donec, re ad judicem, nempe ad Episcopum, delata, sententia feratur. — Constat utroque jure, v. g., citato cap. *Intelleximus*, et cap. *Cum ex injuncto*, 2, eod. tit. — Quod adeo stricte præcipitur, ut si ædificans velit, post nuntiationem, *agere* ut sibi licitum sit pergere, *actio* ei denegetur, ut constat cit. cap. *Cum ex injuncto.*

b. Ut si ædificans, post nuntiationem, perrexerit ædificare, *omne quod construxerit post diem nuntiationis*, *ejus*

expensis destruatur, et quidem antequam in causa procedatur; in quo *nuntiatio* comparatur appellationi, post quam, quidquid fit, *attentatum* vocatur et rescindi debet, etiam antequam pergatur in causa. — Constat ex eisdem capitibus[1].

c. Ut nuntians *habeat tres menses ad probandum jus suum;* unde per totum id tempus expectare debet ædificans. — Constat cap. *Is qui*, 4, eod. tit. — Quod si ædificans offerat idoneam cautionem (quod nempe, non probato suo jure, omnia reducet in statum pristinum), potest quidem nuntians acceptare cautionem, et licentiam dare ædificandi; sed *nullo modo tenetur* acceptare hanc cautionem, ut constat cap. *Significantibus*, 3, et cap. *Is cui*, 4, eod. tit.

N. B. — Nostris etiam temporibus, non est dubium quin Episcopus, licet illi præsto non sit auxilium brachii sæcularis, possit præcipere, imo pœnis canonicis urgere observationem præfatarum legum. Remanent enim omnino motiva harum legum, et hodie, sicut olim, maximi interest, ut extantes ecclesiæ detrimentum non capiant ex ædificatione novarum[2]. — Exceperim ego secundum effectum supra descriptum, nempe quod partes ædificatæ post nuntiationem novi operis *debeant destrui, etiam antequam procedatur in causa;* hic enim effectus, ob mutationem

[1] Cf. Voetium, *In Pandectas*, in hunc tit., n. 7, Venetiis, 1828, t. v, p. 263; — Schmalzg., in tit. *De novi operis nuntiatione*, n. 23.

[2] Multæ leguntur Rotæ Romanæ decisiones, quibus præfata jura variis propositis casibus applicantur, v. g., *Recentiorum*, part. IX, dec. 318, an. 1644, t. I, p. 897; part. XI, dec. 52, an. 1650, t. I, p. 114; part. XIX, dec. 50, 113, an. 1677, t. I, p. 77, 192; — *Nuperrimæ*, dec. 148, an. 1685, t. I, p. 233; — *Coram Ratto*, dec. 65, an. 1725, t. I, p. 231; dec. 238, an. 1729, t. III, p. 81; — *Coram Crescentio S.*, dec. 131, t. IV, p. 391, etc., etc. — De nuntiatione novi operis in hodierno jure civili Gallico, cf. Dalloz, *Dictionnaire général de jurisprudence*, v° *Actions possessoires*, art. 2, § 3, Paris, 1835, t. I, p. 67.

legibus civilibus inductam, videtur in desuetudinem abiisse; unde expectanda erit sententia definitiva *in petitorio*.

8. — Quæritur : *Num Episcopus, antequam concedat licentiam ædificandi novam ecclesiam, teneatur citare et audire parochum, in cujus territorio nova ecclesia ædificanda est, et habere ejus consensum.*

N. B. — Non agitur de nova ecclesia parochiali nec de ecclesia regulari, pro quibus, ut jam dictum est, adsunt leges speciales.

Resp. 1° Non tenetur habere *consensum* parochi. — Ratio est quia, quidquid dicunt aliqui [1], id nullo jure cavetur. — Quidam tamen Ordines regulares, quibus parochiæ regendæ commissæ sunt, privilegium habent, vi cujus, pro nova ecclesia ædificanda, requiritur eorum consensus [2].

2° Imo non tenetur *citare* parochum ad interrogandum illum de detrimento ex nova ecclesia capiendo. — Ratio eadem est, quia nempe id nullo jure cavetur; cavetur quidem pro ædificatione conventuum et proinde ecclesiarum regularium, uti tradunt doctores de Regularibus agentes; sed hæc forma præscripta pro ædificandis ecclesiis regularibus non potest extendi ad ecclesias sæculares.

3° Attamen, si parochus existimet ex nova ecclesia oriturum esse detrimentum pro sua ecclesia, jus habet adeundi Episcopum, qui tenetur eum audire. — Ratio desumitur ex cap. *Intellexirnus*, citato, quod jubet ne qua ecclesia in detrimentum alterius construatur.

4° Imo, si Episcopus, non audito parocho, licentiam ædificandi jam dederit, parochus, se gravatum existimans, potest de hoc decreto Episcopi appellare ad Metropolitanum; quod si ædificari jam cœptum fuerit, jus habet, ut

[1] Apud Petra, *loc. cit.*, n. 16.
[2] Apud Petra, *loc. cit.*, n. 64.

dictum est, *nuntiandi novum opus.* — Unde, ad has dissensiones turbasque avertendas, valde Episcopo consultum est, ut, antequam licentiam ædificandi concedat, vocet audiatque parochum, nisi manifeste pateat nullum præjudicium ecclesiæ parochiali ex nova ecclesia oriturum esse.

9. — Situs et forma ecclesiarum.

1° *De situ.* — Hæc dicenda :

a. Nihil præscriptum fuit jure communi circa *situm* ecclesiarum ; nullus enim textus authenticus affertur, quidquam certi hac de re statuens ; *Constitutiones* enim *Apostolicæ,* mox allegandæ, vim legis non habent. Unde quod ecclesia, nempe ejus altare majus aut sanctuarium, respiciat orientem, vel occidentem, vel aliam etiam cœli partem, minimi refert, spectato jure communi.

b. Attamen mos fuit aliquando usitatior ecclesias verti ad orientem. — Constat hic usus tum ex *Const. apostolicis,* lib. II, c. LVII, ubi hæc leguntur : « Ædes (ecclesiæ) sit oblonga, *ad orientem versa,* ex utraque parte pastophoria versus orientem habens, et quæ navi sit similis[1] ; » quod omnino supponit sæculo IV, in Ecclesia orientali, hunc morem fuisse servatum ; — tum testimonio S. Paulini, ep. Nolani, *Epist.,* XXXII, *Ad Severum,* n. 13, ubi testatur *hunc morem usitatiorem* esse[2] ; — tum testimonio Socratis, *H. E.,* lib. V, c. XXII, ubi loquens de quadam ecclesia, Antiochiæ sita, cujus altare non orientem, sed occidentem respiciebat, dicit hunc situm esse *inversum* (ἀντίστροφον)[3].

c. Ratio autem hujus moris fuit alius mos, orandi nempe vultu ad orientem verso. Quem morem apud christianos

[1] Migne, *P. G.,* t. I, col. 724.
[2] Migne, *P. L.,* t. LXI, col. 337.
[3] Migne, *P. G.,* t. LXVII, col. 640.

viguisse multi testantur, imprimis *Didascalia*, c. XII[1]; Tertullianus, *Apologeticus*, c. XVI : « ... quod innotuerit nos *ad orientis regionem precari*[2]; » — Clemens Alexandrinus, *Strom.*, lib. VII, c. VII[3]; — Origenes, *In Numeros*, hom. V[4]; — *Const. apost.*, lib. II, c. LVII[5]. — Imo quidam dicunt hunc morem ab apostolis acceptum esse, v. g., auctor *Quæst. et resp. ad Orthodoxos*, q. CXVIII[6]; — auctor *Quæst. ad Antiochum ducem*, q. XXXVII[7], etc. Verum de hac apostolicitate nullo modo constat. — De ratione autem hujus ritus precandi ad orientem, non conveniunt Doctores; alii referunt eum ad memoriam et adorationem Christi, qui, Sol justitiæ, ab oriente surrexit; alii ad memoriam amissi paradisi terrestris, quem Deus *ab Oriente* (Gen. II, 8, juxta lectionem septuaginta interpretum, et *Italæ* translationis[8]) plantaverat, etc. etc.[9].

2° *De forma ecclesiarum.* — Nihil præscriptum est jure communi circa *formam* ecclesiarum; unde aliæ erant oblongæ, quasi ad formam navis, aliæ rotundæ, aliæ octangulares, aliæ in formam crucis[10], etc. Frequentior fuisse videtur forma *oblonga*, ut deduci potest tum ex cit. textu *Const. apost.*, lib. II, c. LVII; tum ex eo quod, post edictum Mediolanense (an. 313), multæ *basilicæ* paganorum

[1] *La Didascalie*, traduite du syriaque par Nau, Paris, 1902, p. 75, vel apud *Canoniste*, t. XXIV, an. 1901, p. 414.

[2] Migne, *P. L.*, t. I, col. 370.

[3] Migne, *P. G.*, t. XIX, col. 461.

[4] Migne, *P. G.*, t. XII, col. 603.

[5] Migne, *P. G.*, t. I, col. 734.

[6] Migne, *P. G.*, t. VI, col. 1368.

[7] Migne, *P. G.*, t. XXVIII, col. 620.

[8] Verbum hebraicum *miqqédém* significat vel *ab oriente*, vel *a principio* (ut Vulgata vertit). Cf. Gesenius, *Thesaurus linguæ hebraicæ*, p. 1193.

[9] Cf. Durand, *Orientation de la prière et des édifices religieux* (in periodico *Études* par les Pères de la Comp. de Jésus, oct. 1897, p. 168-181); — Bona, *Rerum liturg.*, lib. I, c. XX, § 4, et not. 2, t. II, p. 73-74.

[10] Cf. Bona, *loc. cit.*, not. 3, p. 75.

conversæ sunt in ecclesias, et ecclesiæ multæ ad basilicarum formam constructæ sunt; porro forma *basilicarum* solebat esse oblonga[1].

[1] Cf. Daremberg et Saglio, insuper et Rich, locis supra (n. **2**, 3°) citatis. — De forma ecclesiarum consulendi sunt : Bingham, *Origines ecclesiasticæ*, lib. VIII, c. III-VII, Halæ, 1728, t. III, p. 172-287; — Bona, *loc. cit.*, § 4 sq., p. 73 sq.; — Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, v° *Basiliques*, n. 4, p. 95; — Selvagio, *Antiq. christ.*, lib. II, part. I, c. II-III, Matriti, 1780, t. II, p. 9 sq.; — Cabassutius, *De veterum ecclesiarum situ, partibus et structura;* — Mabillonius, *De ecclesiarum forma et dispositione.* Hæ duæ dissertationes insertæ sunt in opere *Disciplina populi Dei*, e gallico opere Fleury translatum in latinam linguam a Zaccaria, Venetiis, 1761, t. II, p. 61-73.

CAPUT III

DE CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE ECCLESIARUM

§ 1. Notitiæ historicæ.

10. — Notitiæ historicæ.

1° Documenta certa consecrationis seu, quod idem est, dedicationis ecclesiarum, retroascendunt ad initium sæculi IV. Memorat Eusebius dedicationem (ἀφιέρωσις) multarum ecclesiarum, factam post edictum Mediolanense (an. 313), et imprimis ecclesiæ Tyri ædificatæ (qua in occasione celebrem ipse habuit concionem), et basilicæ a Constantino ædificatæ Jerosolymis [1].

2° Tanta autem erat necessitas hujus consecrationis, ut, antequam ecclesia fuisset consecrata, omnino prohibitum esset ne sacra mysteria ibi peragerentur. — Quod peremptorie constat ex facto S. Athanasii qui, quum Alexandriæ, gravi necessitate pressus, sacram synaxim celebrasset in ecclesia nondum dedicata, eo de crimine delatus fuit ad imperatorem Constantium; ad quem hac de causa misit apologiam, ubi factum confitetur, et

[1] *H. E.*, lib. X, c. III et IV; *De vita Constantini*, lib. IV, c. XLIII-XLVI; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 845 sq., 1194 sq.; — Sozomenus, *H. E.*, lib. II, c. XXVI; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 1007.

legem prohibentem, probat vero pluribus exemplis excipi casum gravis necessitatis [1].

3° Quoad ritum autem consecrationis, distinguendum est :

a. Vel ecclesia dedicabatur *sine reliquiis* (ut aliquando factum est, præsertim pro civitatum ecclesiis intra muros; cf. infra, n. **110**), et tum, præter concursum episcoporum et solemnes conciones cum precibus [2], fere non erat alius ritus nisi celebratio missæ solemnis, cum quibusdam intra missam opportunis orationibus; quod constat tum ex epistola Vigilii ad Profuturum, episcopum Bracarensem (an. 538), n. 4, in qua expresse dicit : « Consecrationem cujuslibet ecclesiæ, in qua sanctuaria [3] non ponuntur, *celebritatem tantum scimus esse missarum;* et ideo si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea missarum fuerit celebrata solemnitas, totius sanctificatio consecrationis impletur [4]; » tum ex antiquissimis *Ordinibus romanis,* qui, dum exhibent ritum in aliis sacris officiis adhibitum, prorsus silent ubi de dedicatione ecclesiarum [5].

b. Vel ecclesia dedicabatur *cum reliquiis,* quæ ideo in eam transferendæ erant et in altari, tanquam sepulcro, collocandæ; et tunc ritus dedicationis constabat tum reliquiarum solemni translatione et in altari, aspersionibus et unctionibus ad hoc præparato, repositione, tum celebratione missæ. — Hoc constat : 1. Eadem epistola Vigilii, in qua, loquens de ecclesia cum reliquiis dedicanda, ait : « Si vero *sanctuaria,* quæ habebat ecclesia (diruta), ablata sunt, rursus eorum repositione et missarum solemnitate reverentiam sanctificationis accipiet; » — 2. Variis

[1] Athanasius, *Apologia* ad imperatorem Constantium, n. 14 sq.; Migne, *P. G.,* t. XXV, col. 612.

[2] De quibus testatur Eusebius, loc. cit., et quæ etiam alibi fiebant; cf. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. II, c. XIII, Bassani, 1788, t. II, p. 240.

[3] Id est, *Sancta martyrum corpora seu reliquiæ.*

[4] Migne, *P. L.,* t. LXIX, col. 18. — Insertus est hic locus in decreto Gratiani, c. *De fabrica,* 24, dist. I, *De consecratione.*

[5] Hos *Ordines* edidit Mabillon, *Musæum Italicum,* Lutetiæ Parisiorum, 1689, t. II; Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 851 sq.

Ordinibus antiquissimis, in quibus describitur ritus hujus translationis, v. g., *Ordine* sic dicto *Veronensi*[1], *Ordine* sic dicto *S. Amandi*, etc.[2].

4° Attamen, *etiam in casu quo ecclesiæ sine reliquiis dedicandæ erant*, mox inducti sunt et multiplicati ritus consecrationis :

a. In Gallia, initio sæculi VI, jam videtur institutus fuisse aliquis *ordo* dedicationis ecclesiarum, ut constat conc. Aurelianensi I (an. 511), can. 10 : « ... De basilicis quas in perversitate sua Gothi hactenus habuerunt, id censuimus observari...; ecclesias *simili, quo nostræ innovari solent*, placuit *ordine* consecrari[3]. »

b. In *Libro diurno*, qui sub oculis ponit stylum et consuetudines provinciæ romanæ VI et præsertim VII et VIII sæculo, leguntur hæc verba, c. V, tit. XIII : « Si in tuæ diœcesis jure consistit antedicta fundatio (ecclesiæ vel oratorii), præsenti præceptione suscepta, oratorium memoratum *solita benedictione sacrabis*[4]. »

c. Hæc solita benedictio jam inserta est in Sacramentario Gelasiano[5], quod exhibet ritus in Ecclesia Romana adhibitos sæculo circiter VII, sub rubricis : *Oratio in dedicatione basilicæ novæ, Consecratio basilicæ, Benedictio altaris sive consecratio*[6]. Quæ benedictio consistit in quibusdam precibus et in variis aspersionibus (cum aqua et vino) super altare.

d. Hi autem ritus mox valde aucti sunt, ita ut jam sæculis IX, X et XI viguerint fere omnes ritus hodie adhiberi soliti; vide

[1] Ed. Bianchini, *Anastasii Bibliothecarii de Vitis R. P.*, Romæ, 1718, t. III, p. XLVIII.

[2] Ed. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1903, p. 478. — Cf. *ibid.*, p. 399 sq.

[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 163.

[4] *Liber diurnus*, ed. Garnier; Migne, *P. L.*, t. CV, col. 92.

[5] Non vero in *Sacramentario Leoniano*, quod tantum exhibet paucas preces in missa dedicationis fundendas; ed. Ballerini; Migne, *P. L.*, t. LV, col. 33.

[6] *Sacramentarium Gelasianum*, ed. Muratori, lib. I, n. 88, in opere *Liturgia romana vetus*, Venetiis, 1748, t. I, p. 610, vel apud Migne, *P. L.*, t. LXXIV, col. 1138-1139.

descriptos hujusmodi ritus : pro sæculo VIII, tum in *Sacramentario Gregoriano*, seu *Libro Sacramentorum*, sub rubrica : *Ordo ad benedicendam ecclesiam* [1], tum in *Ordine Veronensi*, sub rubrica : *Ordo quomodo ecclesia debeat dedicari* [2], tum in *Ordine Engolismensi* [3]; — pro sæculo IX, apud Rabanum Maurum (m. a. 856), *De clericorum institutione*, lib. II, c. XLV [4]; — pro sæculo XI, apud Yvonem Carnotensem (m. a. 1115) [5], et apud Petrum Damianum (m. a. 1072) [6]; — pro sæculo XII, apud Hug. a S. Victore (m. a. 1140) [7], vel apud Sicardum (m. a. 1215) [8].

e. Quoad *unctiones* faciendas super cruces depictas in parietibus ecclesiæ (qui ritus hodie principalior est in consecratione ecclesiæ), nondum apparet ullum harum vestigium in *Sacramentario Gelasiano* (loc. supra cit.), nec in veteribus ritibus descriptis apud Martène [9]; verum apparet hic ritus tum in *Ordine Veronensi*, in quo hæc leguntur : « Mittit chrisma (episcopus)... in circuitu ecclesiæ per parietes, de dextro in sinistro, *faciens crucem cum pollice de ipsa chrisma* [10]; » — tum in *Ordine Engolismensi* : « Similiter *per totum templum in circuitu faciens cruces de ipsa chrisma* [11]; » — tum in *Sacramentario Gregoriano* [12]. Hic porro usus, in Oriente, videtur antiquior, ut patet

[1] Ed. Muratori, *loc. cit.*, t. II, p. 467 sq., vel apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 152 sq.

[2] Bianchini, *loc. cit.*, p. XLVII.

[3] Apud Duchesne, *loc. cit.*, p. 485.

[4] Migne, *P. L.*, t. CVII, col. 358; pauca habet Walafridus Strabo (m. circa 849), *De rebus ecclesiasticis*, c. IX; Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 930.

[5] *Sermo* IV, *De sacramentis dedicationis;* Migne, *P. L.*, t. CLXII, col. 534.

[6] *Sermones* LXIX-LXXII, *In dedicatione ecclesiæ;* Migne, *P. L.*, t. CXLIV, col. 897 sq.

[7] *De sacramentis*, lib. II, part. V, c. II; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 440.

[8] *Mitrale*, lib. I, c. VI-X; Migne, *P. L.*, t. CCXIII, col. 28-36. — Cf. Duchesne, *loc. cit.*, p. 407 sq.

[9] *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. II, c. XIII, *loc. cit.*

[10] Bianchini, *loc. cit.*, p. XLVII.

[11] Duchesne, *loc. cit.*, p. 485.

[12] Muratori, *loc. cit.*, p. 483, vel apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 157; cf. col. 419 (Rabanus Maurus, hoc eodem sæculo IX, non loquitur de *unctionibus*, sed tantum de *duodecim lucernis juxta parietes*).

ex Goar, *Euchologium Græcorum*, tit. *Ordo et officium in dedicatione templi* [1].

5° Cum numerus ecclesiarum consecrandarum crevisset, et episcopus, aliis gravibus distentus curis, vix par erat omnibus ecclesiis consecrandis, universalis paulatim invaluit consuetudo, vi cujus licitum fuit celebrare missam in ecclesia etiam non consecrata, modo quam primum consecraretur. — Hujus consuetudinis, sæculo XIII, testis est ipse Gregorius IX, tum cap. *Ecclesiæ*, 9, De immunitate eccl., tum cap. *Si ecclesia*, 10, De consecratione ecclesiæ, in quo dicit : « Si ecclesia non consecrata... fuerit polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, *ne divinæ laudis organa suspendantur*. Est tamen, quam citius poterit, consecranda. » Ergo licite in ecclesiis non consecratis *divinum officium*, et proinde (ut advertunt omnes) pars præcipua divini officii, id est, missa, celebrari poterat [2]. Luculentum pariter legitur ejusdem consuetudinis exemplum eodem tempore in conc. Londinensi (an. 1237), can. 1 [3].

6° Ne tamen præfata ecclesia non consecrata, in qua resonabant divinæ laudis organa, qualibet dedicatione carere videretur, paulatim invecta est sic dicta *benedictio* ecclesiæ, id est ritus minor, et multo brevior consecratione, qui etiam a simplici presbytero, cum delegatione episcopi, expleri posset, usque dum episcopus consecrationi ejusdem ecclesiæ vacare posset. Unde, primis temporibus, *benedictio* non erat nisi in subsidium *consecrationis*, quæ semper necessaria remanebat, ut patet cit. cap. *Si ecclesia*. — Verum eo usque processit et invaluit consuetudo, ut pro fere omnibus ecclesiis *benedictio* plene sufficeret.

§ 2. De ministro consecrationis.

11. — Minister consecrationis quoad validitatem.

1° Minister *ordinarius* consecrationis ecclesiarum est

[1] *Lutetiæ Parisiorum*, 1647, p. 838, 850.

[2] Celebrari poterat, addit Abbas Panormitanus, « in altari portatili » (Abbas, in cap. *Si ecclesia*, ed. Venetiis, 1605, t. VI, fol. 198 recto).

[3] Mansi, *Concilia*, t. XXIII, col. 447-448.

Episcopus. — Constat ex toto titulo De consecratione ecclesiæ, et, in *Decreto* Gratiani, fere tota distinctione I, De consecratione; quibus in locis, quoties agitur de consecranda ecclesia, semper inducitur *Episcopus* ut minister idoneus et ordinarius consecrationis; constat insuper ex usu universali Ecclesiæ. Unde deducitur theoria canonica, nempe Ecclesiam quæ ritum illum propria auctoritate instituit, eumdem annexuisse ordini episcopali, sicut Christus ipse plura ex institutis a se sacramentis eidem ordini episcopali annexuit.

2° Episcopus etiam *hæreticus*, aut alias *acatholicus*, valide etiam ecclesias consecrat, modo ritus ab Ecclesia præscriptos adhibeat. — Constat *usu Ecclesiæ;* potuisset quidem Ecclesia hanc consecrationem irritare, cum tota res ista ab ejus voluntate pendeat; sed de facto non irritavit, cum nullibi extet hujus irritationis vestigium; et ita docent omnes, post Glossam, in can. *Ecclesiis*, 20, et *Ecclesias*, 21, dist. I, De consecratione [1]. Sic iterum Christum imitata est, qui noluit validitatem sacramentorum ex fide ministri pendere.

3° Episcopus non potest delegare *simplicem presbyterum* ad consecrandam ecclesiam. — Clare deducitur ex cap. *Aqua*, 9, De consecratione eccl., in quo Pontifex, loquens de iis quæ Episcopus committere aliis potest, ait : « Quæ *ordinis episcopalis* sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare ; » unde concludit Episcopum non posse delegare presbyterum ad reconciliandam ecclesiam; ergo a fortiori ad *consecrandam*, quum, si ita loqui fas sit, consecratio magis sit ordinis episcopalis quam reconciliatio. — Et ita jubet etiam ecclesiastica traditio, cujus lucu-

[1] Cf. Benedictum XIV, litt. *Jam inde*, 12 maii 1756, § 5; *Bull. Bened.*, t. IV, n. 57. — Allegatur a quibusdam can. *Non nocet*, 89, Caus. I, q. 1; sed hic canon est dubiæ auctoritatis.

lentum testimonium habetur in concilio Hispalensi II (an. 618), can. 7, ubi delegatio presbyteri ad consecrandas ecclesias, solius episcopi auctoritate facta, perhibetur tanquam ecclesiasticis disciplinis contraria[1].

4° Simplex presbyter potest consecrare ecclesiam, *cum delegatione Romani Pontificis.* — Ratio est quia, ut dixi, tota res ista, cum sit juris mere ecclesiastici, pendet a voluntate R. Pontificis; et, de facto, non desunt exempla indultorum, quibus R. Pontifices simplices presbyteros auxerunt potestate consecrandi ecclesias; sic Benedictus XIV dedit abbati *Nullius* monasterii Campidunensis in provincia Moguntina facultatem consecrandi ecclesiam suam abbatialem, ut ipse narrat Benedictus in const. *Suprema dispositione*, 26 apr. 1749, § 1[2], in Epist. *Ex tuis precibus,* 16 nov. 1748, § 1[3], et in opere *De synodo,* lib. XIII, c. XV, n. 4.

12. — Minister consecrationis quoad liceitatem.

1° Consecratio ecclesiarum pertinet *ad solum Episcopum diœcesis, in tota amplitudine diœcesis.* — Constat assertio :

a. Cap. *Nunc*, 1, De religiosis domibus, in quo, quærenti quisnam Episcopus vocari debeat ad consecrandam ecclesiam alicujus loci, respondet Pontifex vocari debere illum Episcopum, a quo loci incolæ recipere solent sacramenta baptismi et confirmationis, nempe Ordinarium loci.

b. Conc. Trid., cap. *Nulli,* 5, sess. VI, de Ref. : « Nulli episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, *pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia...;* si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium... sit ipso jure suspensus. » Atqui, procul

[1] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 71.
[2] *Bull. Bened.*, t. III, n. 6.
[3] *Ibid.*, t. IV, in Appendice.

dubio et juxta omnes, consecratio ecclesiarum recensetur inter *pontificalia*, cum sit jure saltem ecclesiastico annexa ordini episcopali. Ergo...

Dixi : 1. *Ad solum Episcopum diœcesis;* ergo quilibet alius, etiam Metropolitanus, licet sit cardinalis, excluditur ; item excluditur Vicarius Generalis, episcopali caractere insignitus ; hic enim, *vi mandati generalis*, nequit consecrare ecclesias.

Dixi : 2. *In tota amplitudine diœcesis;* unde etiam Prælati sæculares aut regulares infimæ aut mediæ speciei, si habeant ecclesias consecrandas, recurrere debent ad Episcopum, intra cujus diœcesis fines consistunt, cum restrictione statim exponenda.

2° Regulares, licet jure teneantur recurrere ad Episcopum loci pro suis ecclesiis consecrandis, *possunt tamen alium invitare episcopum, si ille recusaverit.* — Constat Leonis X const. *Dum intra*, 19 dec. 1516, edita in conc. œcumenico Lateranensi V, in qua, loquens de quibuslibet Regularibus, ait : « Nec ab alio episcopo (nempe quam diœcesano) *consecrationem ecclesiæ* vel altaris, aut cœmeterii benedictionem petere, seu in ecclesiis per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum episcopum poni facere possint, *nisi ubi Ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit*[1]. » — Nec dicatur, cum quibusdam, hanc concessionem Leonis X revocatam fuisse a conc. Trid., cit. textu, per hæc verba : « *Cujusvis privilegii* prætextu... ; » nam concessio Leonis non est *privilegium*, sed *lex generalis*, in perpetuum ordinans relationes Episcopos inter et Regulares[2].

3° Prælati *Nullius* possunt vocare quemlibet episcopum

[1] Coleti, *Concilia*, Venetiis, 1732, t. XIX, col. 972-973.
[2] Cf. Giraldi, *Exp. J. P.*, part. I, sect. DXCVIII, p. 412-413.

ad consecrandas ecclesias suas; hi enim sunt extra quamlibet diœcesim.

4° Sede episcopali vacante, Vicarius Capitularis potest vocare quemlibet episcopum ad consecrandas ecclesias diœcesis; si sit ipse episcopali caractere insignitus, potest procul dubio consecrare ecclesias diœcesis. — Unde, si, sede vacante, Regulares velint consecrare ecclesiam, teneri videntur recurrere ad vicarium capitularem, qui vocabit, quem voluerit, episcopum.

§ 3. De ipsa consecratione.

13. — Præparatio consecrationis (De *reliquiis* agetur in speciali titulo *De altari*).

1° *Dies*, qua fieri possit consecratio :

a. De jure communi, qualibet die potest Episcopus consecrare ecclesias. — Constat cap. *Tua fraternitas*, 2, De consecratione ecclesiæ : « In diœcesi tua licet tibi ecclesiis dedicationem impendere *tam diebus dominicis quam privatis*. »

b. Attamen, ut ait *Pontificale Romanum* (P. II, in tit. *De ecclesiæ dedicatione*) : « Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, *decentius* tamen in *dominicis diebus* vel *sanctorum solemnitatibus* fit. »

2° *Jejunium die præcedenti.* — Pridie consecrationis, jejunare debent tum episcopus consecrans tum illi qui petunt ecclesiam sibi consecrari. — Constat ex *Pontificali Romano*, loc. cit., ubi ait : « *Pontifex consecrans* et qui *petunt ecclesiam sibi consecrari*, præcedenti die jejunare debent. » Sed *illi tantum* jejunare tenentur, ut constat hoc textu et pluribus decisionibus S. Rit. Congr.[1]. —

[1] V. g., in *Mechlinien.*, 19 jul. 1780; *Decreta authentica*, n. 2519, t. II,

Hinc ergo, si laicus fundator aut benefactor petat ab Episcopo consecrationem, tenetur ad jejunium, non vero laici qui non petunt; si capitulum petat, omnes capitulares tenentur ad jejunium, etiam ii qui contra consecrationem votum dederunt, quia revera capitulum, cujus sunt, petiit.

3° *Vigiliæ.* — Juxta *Pontificale*, in tit. *De ecclesiæ dedicatione*, princ. : « Celebrandæ sunt vigiliæ ante reliquias ipsas, et canendi *nocturni* et *matutinæ laudes in honorem sanctorum quorum reliquiæ sunt recondendæ.* » Ergo, pridie dedicationis, postquam Episcopus, ad præscriptum *Pontificalis* (paulo ante verba citata), reliquias, in vasculo sigillato positas, deposuerit « in honesto et mundo loco, vel sub tentorio ante fores ecclesiæ », celebrandæ sunt vigiliæ coram reliquiis sic paratis, id est, canendi sunt *nocturni* et *laudes* de sanctis, quorum sunt reliquiæ. De quo hæc dicenda :

a. Juxta interpretationem S. Rit. Congr., nocturni et laudes sumendi sunt *de Communi* (nempe *Martyrum*), sine nomine expresso : « Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliæ cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis, *de Communi*, cum simili oratione *de Communi*, sine nomine expresso, quum non sint partes officii diei[1]. »

b. Hæ preces *non sunt partes officii diei*, ut constat eodem decreto; unde clerici addicti ecclesiæ consecrandæ, qui non affuerunt celebrationi vigiliarum coram reliquiis, non tenentur præfatos nocturnos privatim recitare. Curandum est parocho aut alii ecclesiæ præposito, ut vigiliæ

p. 144; — in *Camberien.*, 12 sept. 1840; *ibid.*, n. 2821, t. II, p. 295. — Decretum in *Mechlinien.*, servari jussit S. Inq. Congr., die 14 dec. 1898; *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 533.

[1] S. Rit. Congr., in *Cenomanen.*, 14 junii 1845; *Decreta auth.*, n. 2886, t. II, p. 324.

celebrentur a sufficienti numero clericorum aut laicorum [1].

14. — Ritus consecrationis.

Quoad rem liturgicam, cf. *Pontificale Romanum*, et ejus commentatores, v. g., Catalanum [2].

Quædam tantum dicenda sunt, quæ propius spectant jus canonicum.

1° *De consecratione altaris intra consecrationem ipsius ecclesiæ peragenda :*

a. Certum est non posse *licite* consecrari ecclesiam, quin etiam consecretur in ea saltem unum altare, nempe altare majus. — Constat tum ex ipso *Pontificali Romano*, quod, intra ritus consecrationis ecclesiæ, ponit consecrationem altaris ; — tum ex S. Rituum Congr., quæ expresse respondit : « *Debet cum ipsa* (ecclesia) *omnino consecrari altare majus;* nam istud est principale, et si hoc tantum sit in ecclesia, sufficit ; alia vero sunt accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine ecclesiæ consecratione [3]. » Attamen, si jam esset consecratum altare majus, aliud altare deberet consecrari intra ritus consecrationis ecclesiæ, ut per se patet, et ut etiam respondit S. Rit. Congr. [4].

b. Attamen pariter certum est ecclesiam *valide* consecrari, etiamsi non consecretur aliquod altare. — Constat *decreto* S. Congr. Rit., 19 maii 1896 : « I. An ecclesia, in cujus consecratione omissa fuit consecratio altaris, habenda sit *valide* consecrata ? — Ad I. *Affirmative*, nempe

[1] De his vigiliis cf. etiam Martinucci, *Manuale sacrarum cærem.*, lib. VII, c. XVIII, n. 13, *nota*, Romæ, 1872, t. IV, p. 270.

[2] *Pontificale Romanum, commentariis illustratum*, auctore J. Catalano, Parisiis, 1851, t. II.

[3] In causa *Urbis*, 19 sept. 1665 ; *Decreta authentica*, n. 1321, t. I, p. 272.

[4] In *Cæsaraugustana*, 31 aug. 1872 ; *Decreta auth.*, n. 3269, ad 1, t. III, p. 22.

valide; sed non licite, nisi habeatur apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia altaria jam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur[1]. » Cf. etiam decisionem in *Fanen.,* 17 junii 1843, ad 2[2].

2° *De consecratione plurium altarium intra consecrationem ipsius ecclesiæ.*

Quod possint, intra ritus consecrationis ecclesiæ, consecrari *plura* altaria, nemini dubium esse potest, tum ex usu communi, tum ex cap. *Cum sis,* 5, De consecratione ecclesiæ, in quo dicitur : « Noveris quod *plura, in ecclesia una, altaria, simul poteris consecrare.* » — Tunc autem, si plures sint episcopi, episcopus consecrator ecclesiæ consecrabit altare majus, et alia altaria consecranda aliis committere poterit episcopis, ut olim vulgo fiebat[3].

3° *De celebratione missæ in consecratione ecclesiæ.*

a. Missa *celebrari debet*, post peractam ecclesiæ consecrationem, ut constat ipso *Pontificali Romano,* quod hunc ritum inter alios inserit; quod maxime consonat antiquo usui, ut patet ex supra dictis, n. **10**[4].

b. Pontifex consecrans tenetur *per se ipsum* hanc missam celebrare, nisi sit nimium fatigatus, quod constat eodem textu *Pontificalis :* « Tunc exit Pontifex *missam celebraturus;* si vero, *fatigatus nimis, celebrare noluerit, facit missam solemniter per aliquem sacerdotem* celebrari. » Unde, extra casum nimiæ defatigationis, requiritur

[1] *Decreta auth.,* n. 3907, t. III, p. 305. — In hoc toto numero, non agitur, ut patet, nisi de altari fixo.

[2] *Decreta auth.,* n. 2862, t. II, p. 315.

[3] Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. II, c. XIII, n. 2-5, Bassani, 1788, t. II, p. 240-241.

[4] Can. *Omnes basilicæ,* 3, dist. I, De consecratione, qui a multis allegatur, apocryphus est, quoad partem quæ ad rem præsentem pertinet; quoad cetera, desumptus est ex *Capit. Wormatiensi* (an. 829), c. III; Migne, *P. L.,* t. XCVII, col. 631.

indultum apostolicum ut Pontifex missæ celebrationem alii sacerdoti committat; quod indultum aliquando conceditur[1].

c. Quidquid dixerunt aliqui[2], *missa non est de substantia consecrationis*, tum quia id nullo jure cavetur, tum quia aliter Pontifex non posset simplici presbytero committere celebrationem missæ[3].

4° *De essentia consecrationis ecclesiæ.*

Reponenda est in *unctione facta sacro chrismate supra duodecim cruces* in parietibus aut columnis ecclesiæ et in *prolatione verborum correspondentium,* nempe, juxta Pontificale : « Sanctificetur et consecretur hoc templum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in honorem Dei, etc. » — Constat : 1. Ex eo quod, demptis consecratione altaris et celebratione missæ quæ non sunt de essentia consecrationis, ut dictum est, pars præcipua quæ remanet est unctio præfata, quæ, sive natura sua, sive ex verbis quæ eam comitantur, aptissima est ad significandam templi dedicationem; — 2. Ex decisione S. Congr. Rit., in *Lisbonen.,* 12 apr. 1614 : « Sacra Rit. Congr., ... considerando quod *consecratio ecclesiæ maxime consistit in inungendis sacro chrismate duodecim crucibus per ecclesiam, et in proferendis illis verbis : Sanctificetur,* etc., quæ cruces, cum adhuc ab episcopo, qui in consecratione defecit, non fuerunt inunctæ, ut in facto præsupponitur, censuit et judicavit : Consecrationem dictæ ecclesiæ de novo et a principio ab episcopo inchoandam et continuandam esse usque ad finem[4]. » Vox illa *maxime* non significat aliud (præter unctionem, etc.), requiri ad essen-

[1] V. g., in *Oppiden.,* 24 maii 1844; Gardellini, edit. 3ª, n. 4976, t. IV, p. 80.

[2] Apud Giraldi, *Expositio Juris pontif.,* part. I, sect. DXCVIII, p. 414-415, argumentantes ex cit. c. *Omnes basilicæ.*

[3] Cf. Giraldi, *loc. cit.*

[4] *Decreta authentica,* n. 319, t. I, p. 91.

tiam consecrationis, sed alios esse ritus servandos, ut omnia recte fiant.

5° *De pluralitate consecratorum.*

Ecclesia consecrari potest non tantum ab uno episcopo, *sed etiam a pluribus episcopis, qui inter se dividant partes consecrationis.* — Constat ex *usu Ecclesiæ,* tum temporibus *antiquis,* pro quibus eruditi cumulant exempla ecclesiarum, quæ fuerunt *a pluribus episcopis comministris* consecretæ[1]; — tum temporibus *recentioribus,* pro quibus Benedictus XIV affert plurima exempla[2]; imo ipse, in consecratione ecclesiæ S. Apollinaris, in Urbe, adhibuit episcopum comministrum, ut fatetur. Unde, cum consecratio templi, quæ est tota juris ecclesiastici, unice pendeat ex voluntate Ecclesiæ, Benedictus XIV, cum pluribus theologis quos allegat, concludit : « Non ab uno ergo tantum, sed a pluribus episcopis, ejusdem ecclesiæ dedicatio fieri potest[3]. » Primo quidem aspectu, textus *Pontificalis Romani* obstare videtur huic pluralitati consecratorum; sed, interprete Benedicto XIV et præsertim consuetudine, quæ est optima legum interpres, hic textus, licet supponat unum consecratorem, attamen non prohibet plures.

Dixi : ... *Qui dividant inter se partes consecrationis,* v. g., ut patet ex exemplis a Benedicto XIV adductis, qui inter se dividant aspersionem parietum intra et extra ecclesiam, consecrationem altarium (si plura sint consecranda), etc.; imo Benedictus XIV tenet duos episcopos posse inter se dividere cruces inungendas, modo super unam et eamdem crucem idem episcopus et unctionem

[1] Cf. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. II, c. XIII, Bassani, 1788, t. II, p. 241; — Catalanus, *In Pontificale Romanum,* ad tit. *De dedicatione ecclesiæ,* princ., n. 9-11, Parisiis, 1851, t. II, p. 49.

[2] In epistola *Peracta,* ad abbatem Campidonensem, 16 nov. 1748, § 4-9; *Bull. Bened.,* t. IV, append.

[3] *Ibid.,* § 10.

faciat, et verba proferat (sicut ipse fecit in consecratione prædictæ ecclesiæ), eodem modo, ait, quo, apud Græcos, plures sacerdotes, in administranda uni moribundo extrema unctione, inter se dividunt unctiones faciendas [1].

15. — Dedicationis festum.

1° *Obligatio illud festum celebrandi.* — Duplex est festum dedicationis, nempe illud quod ipsomet die dedicationis celebratur; et deinde anniversaria dies dedicationis quotannis recurrens. Porro datur obligatio utrumque festum celebrandi per officia divina. Quod inductum est potius *consuetudine*, quam *jure scripto;* nam canones qui hanc celebrationem præcipiunt, nempe can. *Solemnitates*, 16, et can. *Solemnitates*, 17, dist. I, De consecratione, sunt apocryphi, nempe a Pseudo-Isidoro conficti [2]. Consuetudo autem utrumque festum celebrandi antiquissima est. Postquam, ut supra (n. **10**, 1°) dictum est, dedicata fuit Jerosolymis ecclesia a Constantino ædificata, quotannis deinceps celebrata est anniversaria dies ejusdem dedicationis : quod expresse testatur Sozomenus [3]. Huic annuæ celebritati Jerosolymis interfuit Silvia Aquitana, in fine sæculi IV, ut ipsa narrat; quam celebritatem accurate describit [4]. Hanc pariter consuetudinem quotannis celebrandi anniversariam diem dedicationis ecclesiarum testatur S. Isidorus Hispalensis [5] (m. a. 636), qui, loquens de *annuis festivitatibus dedicationis ecclesiarum*, dicit christianos *servare morem illum* [6]; qui mos constans est

[1] Cit. epistola *Peracta*, § 10-17.

[2] Cf. Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, Lipsiæ, 1863, p. 701.

[3] *H. E.*, lib. II, c. XXVI; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 1007.

[4] *Peregrinatio ad loca sancta*, editio 2ª, Romæ, 1888, p. 76-78.

[5] *De ecclesiasticis officiis*, lib. I, c. XXXVI; Migne, *P. L.*, t. LXXXIII, col. 771.

[6] Juxta quosdam, hunc morem etiam memorat S. Gregorius Magnus,

et universalis, et quasi omnium oculis obversatur; supponitur insuper in pluribus infra citatis S. Rit. Congr. decretis.

2° *Officium dedicationis, ipsomet die dedicationis;* agitur de *officio*, quale reperitur in Breviario sub titulo *Commune dedicationis ecclesiæ;* quod officium nihil commune habet cum *vigiliis,* de quibus supra dictum est.

a. Hoc officium recitari debet a *clericis ecclesiæ consecratæ addictis;* nam festum dedicationis est festum *proprium* ecclesiæ consecratæ, quod proinde, sicut alia festa propria, a toto et solo clero ecclesiæ celebrandum est. Unde episcopus consecrans, eo solo titulo, *non tenetur* ad hoc officium recitandum, licet *ex congruentia possit* illud recitare ipso die consecrationis, uti respondit S. Rit. Congr. in *Varsavien.,* 7 maii 1746, ad 3[1].

b. Hoc officium, die consecrationis, non incipit a *nocturnis*, multo minus *a primis vesperis*[2], sed tantum ab *hora quæ recitanda est post consecrationem jam peractam,* et, clarius et brevius, ab *hora tertia.* Ita decidit S. Rituum Congr.[3], quia nempe officium dedicationis, ut cuique legenti patet, supponit omnino consecrationem ecclesiæ jam esse factam. — Proinde, quoad *nocturnos*, *laudes* et *primam,* clerici, de quibus agitur, recitant officium ut notatur in proprio kalendario[4], quod officium deinde relinquunt, ut, hora *Tertia,* incipiant officium dedicationis.

c. Hoc officium, ex *rubricis generalibus* Breviarii, cele-

Epist., lib. XI, ep. LXXVI, *Ad Mellitum;* Migne, *P. L.,* t. LXXVII, col. 1215; sed hoc dubium est, nam vocabulum *dedicatio,* adhibitum a S. Gregorio, significare potest ipsammet ecclesiæ consecrationem, non vero anniversarium hujus consecrationis.

[1] *Decreta auth.,* n. 2390, t. II, p. 91.

[2] Cf. S. Rit. Congr., in *Mechlinien.,* 29 julii 1780, ad 4; *Decreta auth.,* n. 2519, t. II, p. 144.

[3] In *Cenomanen.,* 7 dec. 1844; *Decreta auth.,* n. 2868, t. II, p. 317.

[4] Ut de se patet, et ut rescripsit S. Rit. Congr., in cit. *Mechlinien.,* ad 5.

brandum est sub *ritu duplici primæ classis* cum octava; quod si eodem die occurrat festum solemnius, transferendum est officium dedicationis, quod tunc incipiet a primis vesperis; de qua translatione adeantur liturgistæ[1].

d. Quoad partem præcipuam officii, nempe *Missam*, dicenda est missa *Terribilis est*, de Communi dedicationis. Constat ipso textu *Pontificalis Romani* (in fine tituli *De dedicatione*). — Attamen, juxta decisionem S. Rit. Congr.[2], excipienda sunt quædam solemniora festa, in quibus, juxta rubricas et decreta, missa de festo, non de dedicatione, celebranda est, de quo iterum adeantur liturgiæ periti[3].

16. — 3° *Officium anniversarii dedicationis.*

A. *Ecclesiæ, quarum anniversarium dedicationis celebrari debet.* — Sunt omnes ecclesiæ, quarum *consecratio certa* est, *modo non sint execratæ*. Unde : 1. Non sufficit ut ecclesia sit *benedicta*, sed requiritur ut sit *consecrata; benedictio* enim canonice nec est nec dicitur *dedicatio;* — 2. Si sit *dubia* consecratio, fieri non potest dictum anniversarium, uti expresse decidit S. Rit. Congr. in *Alexandrina*, 18 aug. 1629, ad 1[4]; — 3. Si ecclesia amiserit decus consecrationis per execrationem, item fieri nequit anniversarium dedicationis; tunc enim vere et proprie non amplius adest *dedicatio*, et falsa essent quæ de tali ecclesia dicerentur in officio et in missa; non item tamen dicendum, si ecclesia fuerit tantum *polluta*, quia tunc remanet consecrata; cf. S. Rit. Congr., in *Lausannen.*, 8 apr. 1713, ad 1[5]; — 4. Si ecclesia sit *diruta*, non amplius faciendum

[1] V. g., de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, part. V, n. 113, Lovanii, 1863, t. III, p. 149.

[2] In *Neapolitana*, 23 feb. 1884, ad 3; *Decreta auth.*, n. 3605, t. III, p. 157.

[3] De Herdt, *loc. cit.*, n. 113, n° 4.

[4] *Decreta auth.*, n. 511, t. I, p. 128.

[5] *Ibid.*, n. 2218, t. II, p. 17.

est anniversarium dedicationis, ut per se patet; ita S. Rit. Congr., tum in una *Nullius Balneariæ*, 15 sept. 1815, ad 1[1]; tum in *Mechlinien.*, 27 feb. 1847, ad 1[2]; — 5. Si ecclesiæ consecratæ nullus clerus sit addictus, nullus quidem clericus tenetur recitare *officium* anniversarii dedicationis, nec etiam clerici illi parochiæ addicti, in cujus territorio sita est præfata ecclesia, uti respondit S. Rit. Congr., in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 33[3]; verum, si, ipso die anniversarii dedicationis præfatæ ecclesiæ aut per octavam, missæ celebrentur in hac ecclesia, dici debent de *Dedicatione*, aut cum hujus commemoratione, juxta rubricas; ita S. Rit. Congr. *decreto generali*, 5 junii 1899, ad 4[4], quod quidem non agit nisi de festo *Titularis*, sed videtur omnino applicari debere festo *Dedicationis*. — De *oratoriis* consecratis, cf. infra, n. **72** dicenda.

B. *Dies, qua celebrandum est anniversarium dedicationis.* — Hoc anniversarium celebrandum est quotannis ipsamet recurrente die consecrationis, ut de se satis patet, et confirmatur jurisprudentia S. Rit. Congr.[5]; unde, si occurrat festum solemnius, juxta Rubricas transferendum est. — Attamen, in *decreto generali*, 4 feb. 1896, S. Rit. Congr. declaravit : « V. Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria dedicationis ecclesiæ, quæ infra annum a consecratione recurrit, nihilominus *episcopo ecclesiam consecranti jus inhærere*, juxta decreta alias edita[6], *aliam diem fixam, vel etiam dominicam, dummodo in consecrationis actu, seligendi pro illius anniversario quotannis solemnius*

[1] *Decreta auth.*, n. 2567, t. II, p. 163.
[2] *Ibid.*, n. 2934, t. II, p. 345.
[3] *Ibid.*, n. 2682, t. II, p. 233.
[4] *Ibid.*, n. 4025, t. III, p. 363.
[5] V. g., in *Januen.*, 13 martii 1649; *ibid.*, n. 920, t. I, p. 198. — Si de ipso *die* dedicationis certo non constet, sufficit gravis probabilitas, ex S. Rit. Congr. responso in *Ariminen.*, 14 junii 1608; *ibid.*, n. 261, t. I, p. 73.
[6] V. g., in una *Urbis*, 19 sept. 1665; *ibid.*, n. 1321, t. I, p. 272.

celebrando, exceptis duplicibus primæ et secundæ classis universalis Ecclesiæ, necnon quibuscumque Dominicis privilegiatis, et duplicibus primæ classis ecclesiarum particularium[1]. » — In casu speciali, quo certa est consecratio, et dubia dies, dubium est utrum episcopus jus habeat assignandi diem certum pro anniversario recolendo; sunt decisiones S. Rit. Congr. *pro*[2] et *contra*[3]. Affirmandum videtur, quia reservatio S. Sedi est res juridice odiosa et restringenda, nec admittenda, nisi sit certa.

C. *Qui celebrare debent præfatum anniversarium.* — Distinguendum est :

1. Si ecclesia *non sit cathedralis*, celebrari tantum debet in ipsamet ecclesia (non in aliis), et a clericis huic addictis; quod constat, post plura particularia decreta S. Rit. Congr.[4], *decreto generali* ejusdem S. Congr., 9 julii 1895, n. 3 : « Anniversarium vero Dedicationis ecclesiæ eodem sub ritu (duplici primæ classis cum octava) ab omni clero recolatur, qui ad eamdem ecclesiam, uti supra dictum est, utpote propriam pertinet[5]; » unde, ut dicitur infra, n. **23,** de celebratione festi Titularis, anniversarium Dedicationis alicujus ecclesiæ celebrare tenentur omnes clerici qui habent in ea beneficium, vel ejus servitio, quocumque titulo canonico, sunt addicti, uno verbo, qui constituunt *clerum* hujus ecclesiæ.

2. Si ecclesia sit *cathedralis*, standum est, post plura

[1] *Decreta auth.*, n. 3881, t. III, p. 296. — In Gallia, tenetur episcopus assignare ipsammet diem dominicam in qua celebratur anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum Galliæ, nempe dominicam quæ sequitur octavam Omnium Sanctorum, juxta statim dicenda, p. 43.

[2] In *Alexandrina*, 18 aug. 1629; *ibid.*, n. 511, t. I, p. 126.

[3] In *Majoricen.*, 13 aug. 1667; *ibid.*, n. 1358, t. I, p. 280.

[4] V. g., in cit. *Alexandrina*, 18 aug. 1629, ad 2; — in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 33; *Decreta auth.*, n. 2682, t. II, p. 233.

[5] *Decreta auth.*, n. 3863, t. III, p. 289. — Hoc decretum habes infra, ad calcem voluminis, *documentum II.*

alia particularia decreta[1], præfato *decreto generali*, an. 1895, n. 4 : « Ad anniversarium autem quod spectat dedicationis cathedralis ecclesiæ, S. Rit. Congr. jubet ut illud celebretur ab universo clero sæculari diœcesis sub ritu duplici primæ classis, in civitate episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem festum recolent ii tantum ex clero regulari qui in civitate degunt episcopali, sub ritu duplici secundæ classis sine octava. »

D. Quando alicui diœcesi, vel ordini regulari, aut instituto, concessum est celebrare uno eodemque die anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum diœcesis aut ordinis aut instituti, standum est iterum præfato *decreto generali*, n. 3 : « Quod si alicui diœcesi vel instituto concessum sit anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo clero, quibus indultum favet, dictum festum semel celebrabunt sub ritu duplici primæ classis cum octava, sive ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius ecclesiæ dedicationis festo omisso[2]. »

E. In Gallia, ex indulto *Pro reductione festorum*, 9 apr. 1802, a card. Caprara Legato promulgato[3], et responso ejusdem Legati 21 junii 1804[4], anniversarium dedicationis ecclesiarum cathedralium et aliarum quarumcumque consecratarum in toto territorio reipublicæ Gallicanæ celebrari debet in globo *in dominica quæ sequitur octavam Omnium Sanctorum* in omnibus ecclesiis[5] et ab

[1] V. g., in *Nullius Sublacensis*, 19 sept. 1750; *Decreta auth.*, n. 2049, t. II, p. 98.

[2] Notandum est festum dedicationis alicujus ecclesiæ, aut anniversarium, non esse *de præcepto* servandum a populo.

[3] Quod legas in *Bull. Rom. cont.*, Romæ, 1846, t. XI, p. 323-324.

[4] Hoc responsum invenitur in extenso allegatum in *dubio* misso ad S. Rit. Congr. in *Tornacen.*, 22 julii 1848; *Decreta auth.*, n. 2974, t. II, p. 361.

[5] Nisi aliud specialiter concessum sit, uti, v. g., pro diœcesi Aniciensi,

universo clero. — De quo notanda : 1. Agitur de territorio reipublicæ Gallicanæ, *prouti tunc erat*, ut per se patet; quod confirmatur responso S. Rit. Congr., quæ rescripsit indultum non valere pro diœcesi Oranensi; in *Oranen.*, 2 sept. 1872, ad 2[1]; — 2. Agitur de ecclesiis etiam postea ædificandis et consecrandis in præfato territorio, juxta interpretationem S. Rit. Congr., v. g., in *Sagien.*, 31 aug. 1872, ad 1[2]; — 3. Regulares etiam qui nullam habent ecclesiam consecratam, etiamsi degant extra civitatem episcopalem, tenentur præfato indulto, juxta interpretationem S. Rit. Congr., in una *Ordinis Sancti Benedicti*, 15 martii 1895, ad 2[3].

N. B. — Quoad regulas de occursu vel concursu festi Dedicationis cum aliis festis, standum est supra cit. *Decreto generali*, 4 feb. 1896[4].

§ 4. De benedictione ecclesiarum.

17. — Benedictio ecclesiarum. — *Benedictio* ecclesiæ est *ritus sacer, quo, defectu consecrationis, aliqua ecclesia cultui divino in perpetuum dedicatur.* Discrimina benedictionem inter et consecrationem patebunt ex dicendis :

1° *Minister benedictionis :*

a. Minister legitimus benedictionis ecclesiarum est tum episcopus in sua diœcesi, tum etiam simplex presbyter, sed is cum delegatione ab episcopo. — Constat ipso textu

in qua dedicatio omnium ecclesiarum celebratur quotannis die 11ª julii, aut, si hæc non sit dies dominica, dominica proxime sequenti.

[1] Hoc responsum, licet non insertum novissimæ collectioni decretorum S. Rit. Congr., est maxime authenticum. — Indultum tamen Cardinalis Caprara extensum fuit ad quædam loca (*colonies*) serius territorio reipublicæ Gallicanæ annexa; *Decreta auth.*, n. 3752 (pro Vicariatu apostolico Senegambiæ), t. III, p. 217.

[2] *Decreta auth.*, n. 3275, t. III, p. 24.

[3] *Ibid.*, n. 3847, t. III, p. 279.

[4] *Ibid.*, n. 3881, t. III, p. 296.

Ritualis romani, t. VIII, c. XXVII : « *Sacerdos*, novam ecclesiam *de licentia episcopi benedicturus*, etc. »

b. Sacerdos, benedicens ecclesiam sine licentia episcopi, illicite quidem, sed *valide* agit. — Deducitur ex præfato textu Ritualis et c. *Aqua*, 9, De consecratione eccles.; juxta enim c. *Aqua*, episcopus « quæ *ordinis episcopalis* sunt, *non potest inferioris gradus clericis demandare* »; atqui, ex Rituali, potest episcopus delegare, jure communi, presbyteris benedictionem ecclesiæ; ergo hic ritus non est ordinis episcopalis; ergo est ordinis presbyteralis, et proinde hunc exercens presbyter valide agit. Et ita communiter sentire videntur doctores, Petra, de Herdt, etc.[1].

c. Prælati regulares, vi privilegii primo concessi a Leone X Ordini Minorum[2], et aliis Regularibus vi communicationis privilegiorum acquisiti, jus habent benedicendi proprias ecclesias, oratoria et cœmeteria. — Quod privilegium refertur communiter a doctoribus, ut ad omnes Regulares pertinens[3]; attamen quidam[4] dicunt illud privilegium in aliquibus regionibus non esse in usu.

2° *Ritus benedictionis.* — Describuntur in *Rituali romano*, t. VIII, c. XXVII :

a. Essentia benedictionis. — Consistit in ipsa *aspersione* (cum aqua benedicta) *parietum ecclesiæ in eorum parte superiori et inferiori*, et quidem sive *extra* ecclesiam, sive *intra*. — Constat ipso textu *Ritualis* et communi doctorum opinione.

[1] Petra, *In Const. VI Urbani IV*, n. 21, t. III, p. 181; — de Herdt, *S. Liturgiæ Praxis*, pars V, n. 129, Lovanii, 1863, t. III, p. 166.

[2] Brevi *Religionis suadet*, 3 feb. 1515; *Bullarium Minorum*, Romæ, 1750, t. VI, p. 217.

[3] Reiffenstuel, in tit. *De consecratione eccl.*, n. 9; — Barbosa, *De officio episcopi*, Alleg. 27, n. 11; — Pellizarius, *Manuale regularium*, tract. VIII, c. V, n. 67; — Quarti, *De benedictionibus*, tit. I, sect. IV, dub. 7; — Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 4, n. 8.

[4] V. g., Quarti, Pellizarius, *loc. cit.*

b. De missa celebranda. — Post benedictionem celebrari debet missa, ut ait *Rituale :* « His peractis, dicitur missa de tempore occurrenti, vel de *Sancto;* » per hunc autem *Sanctum* S. Rit. Congregatio intelligit, non quidem Sanctum, de quo fit officium in kalendario[1], sed Sanctum, *in cujus honorem benedicitur ecclesia,* argumento ducto ex *Pontificali* quod, in fine tituli *De benedictione et impositione* primarii lapidis pro ecclesia ædificanda, sic statuit : « His expletis, si velit, parat se (episcopus) ad celebrandam missam in dicto loco, *de Sancto in cujus nomine ecclesia fundatur;* » de quo Sancto, juxta eamdem S. Congr., celebrari debet missa *votiva solemnis;* ita in *Neapolitana,* 23 febr. 1884[2].

c. De altari. — Ut hæc missa celebrari queat in præfata ecclesia, non sufficit dicta aspersio, nec illa qualiscumque benedictio altaris quæ fit a ministro intra ritum benedictionis, ad normam *Ritualis,* sed requiritur *altare,* saltem altare portatile, jam ab episcopo solitis unctionibus aliisque ritibus, ad normam *Pontificalis Romani,* consecratum. — Constat tota traditione ecclesiastica, de qua infra dicitur, ad cujus mentem in eodem sensu respondit S. Congr. Rituum, in *Tuden.,* 22 jan. 1707, ad 3[3].

§ 5. De consecrationis et benedictionis effectibus.

18. — Effectus consecrationis et benedictionis.

1° *Duplex effectus* utriusque[4] :

[1] Ut docuerunt plures liturgistæ, v. g., Catalanus, *Rituale romanum commentariis exornatum,* tit. VIII, c. XXIX, § 9, n. 1, Patavii, 1760, t. II, p. 106; — de Herdt, *loc. cit.,* pars VI, n. 289, p. 322.

[2] *Decreta auth.,* n. 3605, ad 1 et 2, t. III, p. 157.

[3] *Ibid.,* n. 2177, t. II, p. 4.

[4] Cf. D. Thomam, pars III, q. LXXXIII, art. 3; — Suarez, *De eucharistia,* disp. LXXXI, sect. I, II.

a. Prior et primarius effectus in eo consistit ut *locus efficiatur sacer*. — Quum, ex ipso naturali rationis lumine, locus debeat aptari et proportionari rebus vel functionibus quæ in eo fieri debent, et in ecclesia res maxime sacræ perficiantur, oportuit et locum suo modo fieri sacrum. Sane, in rigore, ipsamet *destinatio ad finem sacrum*, facta ab auctoritate competente, nempe episcopali, jam sufficeret ad efficiendum locum *sacrum*, ut per se patet[1], et constat c. *Si ecclesia*, 10, De consecratione ecclesiæ, in quo dicitur ecclesiam, etiam nullo modo benedictam, *pollui* posse. Sed, quum usus, quibus destinatur ecclesia, sint sacerrimi, jussit legislator canonicus, ad dedicandam ecclesiam, formam adhiberi benedictionis et consecrationis, qua *magis expresse significaretur, imo et produceretur sanctitas loci*. Hoc autem fit per consecrationem aut benedictionem; nam, ex una parte, per multiplices ritus hujus consecrationis, apte *significatur* sanctitas loci, et ejus dedicatio sacris usibus, ut patet percurrenti cæremonias consecrationis ecclesiæ; et, ex altera parte, suo modo *producitur* loci sanctitas, ut patet ex eo quod *expellantur dæmones*, *arceantur usus profani*, et *Deus advocetur speciali modo habitaturus in hoc loco* per promptiorem exauditionem precum, et uberiorem facilioremque gratiæ actualis collationem. Unde hæc sanctitas non est qualitas physica inhærens, sed *entitas aliqua moralis*, quæ consistit in dedicatione ad usus sacros, in speciali custodia contra dæmones, in speciali protectione et assistentia Dei.

b. Alter effectus, ex priori ortus, respicit *utilitatem et sanctificationem fidelium*. — Sub hoc respectu, ecclesia benedicta aut consecrata se habet ad instar alicujus *sacra-*

[1] Sic bonum immobile donatum ecclesiæ et *acceptatum ab episcopo*, fit bonum *sacrum*, cujus invasio *sacrilega* esset.

mentalis, in favorem fidelium qui in ea orant; sicut enim *sacramentale* producit, juxta theologos, *ex opere operantis Ecclesiæ*, remissionem peccatorum venialium, collationem gratiarum actualium, expulsionem vel compressionem dæmonum, et, juxta naturam uniuscujusque sacramentalis, collationem aliquorum bonorum temporalium, sic et hos effectus, et eodem modo, producit ecclesia benedicta aut consecrata, in favorem fidelium in ea orantium, ut patet ex ipsis ritibus consecrationis[1]. Unde et S. Petrus Damianus numeravit dedicationem oratoriorum inter *sacramenta* (late accepta) Ecclesiæ[2]. — Et ex hoc effectu sequitur nova ratio *sanctitatis* ecclesiæ; sicut enim alimentum dicitur *sanum*, quia producit sanitatem, sic ecclesia recte dicitur *sancta*, quia producit sanctificationem fidelium.

2° *Discrimen, sub respectu effectuum, inter consecrationem et benedictionem :*

a. Non videntur differre *specifice;* effectus enim quos operatur consecratio, operatur et benedictio, ut patet ex hujus ritibus.

b. Attamen, quoad ambos effectus, *magis expresse significantur* per consecrationem quam per benedictionem, ut solo primo aspectu patet; et insuper *in majori gradu produci* videntur; quum enim hi effectus producantur, ut dictum est, *ex opere operantis Ecclesiæ*, et in consecratione Ecclesia multo magis obsecret et instet apud Deum quam in simplici benedictione, pronum est concludere prædictos effectus in majori gradu produci in una quam in altera.

[1] Cf. Suarez, *loc. cit.*, et insuper disp. XV, sect. IV, ubi hæc omnia optime declarantur.

[2] Sermo LXIX, *In dedicatione ecclesiæ;* Migne, *P. L.*, t. CXLIV, col. 900.

§ 6. De obligatione consecrationis vel benedictionis.

19. — Obligatio consecrationis vel benedictionis. 1° *Jure communi scripto, datur obligatio ecclesias consecrandi.* — Probatur et evolvitur propositio :

a. Haec obligatio primo invecta est consuetudine, quam testatur, jam sæculo IV, S. Athanasius, cujus *Apologia* (supra, n. **10**, allegata) clarissime ostendit ita necessariam fuisse ecclesiæ consecrationem, ut non nisi urgente necessitate in ecclesia non consecrata sacra synaxis celebrari potuisset. — Hanc consuetudinem, sæculo IX, scriptam reliquit Pseudo-Isidorus in suis *Falsis decretalibus*, ex quibus excerpti sunt varii canones, qui demum inserti sunt *decreto* Gratiani, v. g., canones 1, 2, 11[1], et canon 14[2], dist. I, De consecratione, et plures alii. — Hinc etiam concilia particularia consecrari jusserunt ecclesias, v. g., conc. Moguntinum (an. 888), can. 9[3] (= can. 12, dist. I, De consecratione), conc. Londinense (an. 1237), can. 1, quod jussit ecclesias *cathedrales, conventuales* et *parochiales* consecrari saltem *infra biennium ab ædificatione perfecta*, ea adjecta pœna ut alioquin celebratio missæ in eis prohibita remaneat[4].

b. Hanc consuetudinem universalem, legibus specialibus sancitam, lege generali confirmavit Gregorius IX,

[1] Hos tres attribuit Felici IV (Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, Lipsiæ, 1863, p. 698). — Canonem *Tabernaculum*, 2, quotannis legimus in *Breviario Romano*, in officio *de Communi Dedicationis ecclesiæ*, die octava, lect. 2ⁱ nocturni.

[2] Quem tribuit Clementi Romano (*ibid., Epist. Clementis tertia*, n. 70, p. 58).

[3] Mansi, t. XVIII, col. 67.

[4] Mansi, t. XXIII, col. 447-448.

cap. *Si ecclesia*, 10, De consecratione Ecclesiæ, in quo hæc aperte edicit : « Si ecclesia non consecrata... fuerit polluta..., aqua protinus exorcizata lavetur. *Est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda.* » Ergo toleratur quidem, per aliquod tempus, celebratio missæ in ecclesia non consecrata, sed tandem aliquando oportet ut consecretur.

2° *Contra hoc jus scriptum invaluisse videtur consuetudo universalis, ita ut pro nullis ecclesiis hodie requiratur, de jure communi, proprie dicta consecratio.* — Hic agitur de *facto*, quod proinde per *testes* probari debeat. Porro hanc consuetudinem passim testantur auctores a duobus aut tribus saltem jam sæculis. Sic Suarez, Quarti (qui testatur de opinione communi), Schmalzgrueber, Giraldi (licet ægre concedat consuetudinem), etc.[1]. Etsi autem quidam, v. g., Gatticus et Catalanus[2], distinguere videntur inter *majores* ecclesias, nempe cathedrales, et *minores*, requirentes consecrationem pro majoribus, non vero pro aliis, attamen auctores superius allegati non distinguunt, imo Frances[3] rejicit necessitatem consecrationis nominatim pro cathedralibus. Sic etiam passim recentiores.

Dixi : *De jure communi;* nam *de jure particulari* requiri potest consecratio pro quibusdam ecclesiis; sic, concilium Romanum (an. 1725)[4], pro diœcesibus provinciæ romanæ subjectis, jubet consecrari intra biennium ecclesias saltem cathedrales et parochiales[5]. Insuper negari

[1] Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. III, § *Est autem;* — Quarti, *De rubricis missalis*, pars III, tit. X, n. 1, sect. I, dub. 2, Venetiis, 1727, p. 382; — Schmalzg., in tit. *De consecratione ecclesiæ*, n. 6; — Giraldi, pars I, sect. DXCVIII, p. 413.

[2] Gatticus, *De oratoriis domesticis*, c. XII, Romæ, 1770, p. 117; — Catalanus, *Rituale romanum*, in tit. VIII, c. XXIX, pr., n. 8, Patavii, 1760, p. 101.

[3] *De ecclesiis cathedralibus*, c. XXXIV, n. 116, Venetiis, 1698, p. 385.

[4] Tit. XXV, c. I, Bruxellis, 1726, p. 93.

[5] Juxta hoc jus particulare concilii Romani respondit S. Rit. Congr. in *Cuneen.*, 7 aug. 1875, ad 1; *Decreta auth.*, n. 3364, t. III, p. 56.

nequit Ecclesiam valde optare ut majora saltem templa consecrentur, ad majorem nempe ipsis venerationem conciliandam.

3° *Datur præceptum ecclesias saltem benedicendi.* — Constat consuetudine quæ, dum sustulit, ut dictum est supra, necessitatem consecrationis, ei substituit *benedictionem*, ritum nempe minorem et breviorem, qui etiam a simplicibus presbyteris perfici posset. Ita consuetudinem exponunt allegati doctores, v. g., Quarti, Catalanus, locis citatis; ita etiam resolvit S. Congregatio Rituum, v. g., in *Oranen.*, 2 sept. 1871 : « Si earum (ecclesiarum) benedictio fuit omissa, benedicantur quam primum, quum ecclesia, ut ad divinum cultum dedicetur, saltem debet benedici [1]. » Putaverim tamen missam celebrari posse, de expressa licentia episcopi, *in ecclesia etiam nondum benedicta*, sed tantum *ad tempus*, dum expectatur opportunitas benedictionis. Sicut enim, ut patet cit. cap. *Si ecclesia*, missa celebrari poterat ad tempus in ecclesia nondum consecrata, et proinde nec benedicta, quia tunc nondum inventa erat benedictio, ita nunc missa celebrari posse videtur *ad tempus* in ecclesia nondum benedicta; eo magis quod, per assignationem hujus ecclesiæ cultui publico factam ab episcopo, locus fit vere religiosus et sacer, ut constat cap. *Ad hæc*, 4, De religiosis domibus [2].

[1] *Decreta auth.*, n. 3255, ad 2, t. III, p. 13.

[2] Ita etiam Quarti, *loc. cit.* (contra Catalanum, *loc. cit.*, n. 1, 8); — Pax Jordanus, Coloniæ Allobrogum, 1729, t. I, lib. IV, tit. I, n. 113-114, p. 300.

CAPUT IV

DE PATRONIS SEU TITULARIBUS ECCLESIARUM [1]

20. — Præviæ notiones.

1° *Titulus* ecclesiæ est aliqua res vel persona sacra, sub cujus auspiciis dedicatur ecclesia, et a cujus nomine nuncupatur, ut ab aliis distinguatur, eodem modo ac homini in baptismo imponitur aliquod nomen, quo distinguitur ab aliis. — Dixi : 1. *Aliqua res sacra*, nempe *mysterium* (v. g., ascensio Domini, assumptio B. Mariæ, etc.), vel *alia res ad Christum aut sanctos pertinens* (v. g., sancta crux, vincula S. Petri, etc.); — 2. *Aliqua persona sacra*, nempe una (vel plures) persona *divina*, *angelica*, *humana*.

2° Si titulus sit aliqua persona *creata* (humana vel angelica), hæc persona vocatur etiam *Patronus* ecclesiæ; unde est simul Patronus et Titularis ecclesiæ. — Dixi : persona *creata;* nam cum Patronus idem sit ac *advocatus* seu *intercessor apud majorem*, v. g., principem, et persona *divina* majorem se non habeat, hæc potest esse Titulus, non vero Patronus ecclesiæ; ipse Christus, licet

[1] Guyet, *Heortologia*, lib. I, c. IV, VI, Venetiis, 1729, p. 20 sq.

dicatur *Advocatus noster* (παράκλητος) apud Patrem [1], non consuevit assumi in *Patronum*, sed tantum in *Titularem* ecclesiæ; sic fert usus Ecclesiæ, ne scilicet confundatur cum aliis Patronis [2].

3° Non confundendus est Titularis aut Patronus ecclesiæ cum *Patrono loci;* patronus enim ecclesiæ est aliquis sanctus, assumptus ab episcopo, in ipsa dedicatione aut benedictione alicujus templi, ad istud denominandum et protegendum; dum *Patronus loci* est aliquis sanctus, electus ab incolis alicujus loci, nempe civitatis, provinciæ aut regni, in specialem advocatum apud Deum. Non repugnat quidem eumdem sanctum esse simul Patronum ecclesiæ et Patronum loci; sed possunt esse diversi.

21. — Electio seu assumptio tituli ecclesiæ.

1° Assumi potest in *Titulum ecclesiæ*, vel sanctissima Trinitas, aut aliqua (vel plures) persona divina, — vel Christus Dominus, aut aliquod mysterium vel miraculum vel alia res ad ipsum pertinens, — vel beatissima Virgo Maria, aut aliquod mysterium, prærogativa, miraculum, factum ad ipsam pertinens, — vel Angeli omnes aut aliquis eorum ordo, aut quidam angelus determinatus, — vel denique *Sancti,* aut aliquod factum speciali memoria dignum ad ipsos spectans, v. g., *vincula S. Petri, conversio S. Pauli, stigmata S. Francisci*, etc. — Quæ omnia demonstrat usus Ecclesiæ [3]; a quo usu recedere, hac in re, non liceat.

2° *Generaliter loquendo, assumi nequeunt in Patronos ecclesiarum Beati*, qui nempe nondum sunt canonizati. — Constat : 1. *Ipsa natura decreti simplicis beatificationis;*

[1] I Joan., II, 1.
[2] Cf. Guyet, *loc. cit.*, c. V, q. III, p. 24.
[3] *Ibid.*, c. VI.

per istud enim decretum, permittitur tantum, et non modo definitivo, ut aliquis cultus publicus exhibeatur beato, cum certis limitibus, v. g., ut in ejus honorem celebrari possit missa, vel recitari officium, vel aliud hujusmodi, et quidem in tali diœcesi aut provincia; ita ut illi tantum actus permittantur, qui nominatim sunt expressi in decreto, ut diserte docet Benedictus XIV[1]; atqui, de facto, quum dedicatio alicujus ecclesiæ alicui servo Dei sit actus cultus *maxime publicus* et *permanens*, nunquam permittitur in decretis beatificationis, sed tantum ad summum *erectio alicujus altaris*[2]; — 2. *Constanti jurisprudentia S. Rituum Congr.*, quæ semper respondit in hoc sensu, v. g., in *Vercellen.*, 11 apr. 1840[3]. Et ita passim doctores, v. g., Guyet, de Herdt, etc.[4].

Dixi : *Generaliter loquendo;* quia « si, ait Benedictus XIV, *loc. cit.*, sermo sit de beatis, qui sunt in antiquissima et immemorabili cultus possessione, illi actus illis exhibeantur, qui per longissimum et immemorabile tempus, cum scientia et tolerantia Ordinarii aut Sedis apostolicæ, præstiti eisdem fuerunt ».

3° *Assumi possunt in Patronos ecclesiarum servi Dei canonizati*, nempe : 1. vel ii qui decreto Romani Pontificis in catalogum Sanctorum sunt relati; — 2. vel ii qui, ante tempora Alexandri III, qui Sedi apostolicæ reservavit canonizationem sanctorum, *traditione illibata* habebantur ut sancti, v. g., ait Guyet[5], « quorum vel nomen in martyrologio Romano insertum habetur, vel festum annuum,

[1] *De beatificatione et canonizatione sanctorum*, lib. I, c. XXXVII, n. 8, Romæ, 1747, t. I, p. 338.

[2] Cf. decreta S. Congr. Rit. *super cultu Beatis præstando*, 27 sept. 1659, et 17 apr. 1660; *Decreta authentica*, n. 1130, 1156, t. I, p. 231, 238.

[3] *Decreta auth.*, n. 2809, t. II, p. 291.

[4] Guyet, *loc. cit.*, c. V, q. X; — de Herdt, *loc. cit.*, t. III, n. 124, p. 157.

[5] *Loc. cit.*, c. V, q. VII, p. 27-28.

in diœcesi aut civitate, ab omni hominum memoria perpetuo celebratum fuit, vel denique sub quorum nomine ecclesiæ aliquæ dicatæ reperiuntur. »

4° Patronus seu Titulus ecclesiæ eligitur in ipsa *benedictione primi lapidis* ecclesiæ ædificandæ, ut constat ipso ritu *Pontificalis romani,* tit. *De benedictione primarii lapidis;* eligitur autem ex privato etiam fundatorum beneplacito, de consensu tamen episcopi, ut ipso usu constat. Proprie vero constituitur titulus in *consecratione* vel *benedictione* ecclesiæ, ut etiam constat ritu *Pontificalis romani,* tit. *De dedicatione ecclesiæ,* et *Ritualis romani,* tit. *De benedictione ecclesiæ.*

5° In ipsa dedicatione ecclesiæ non solet ab episcopo assumi nisi unus Patronus seu titulus ecclesiæ (ut satis patet textu *Pontificalis* aut *Ritualis*), vel duo *per modum unius,* nempe sub uno eodemque festo (v. g., sanctorum Philippi et Jacobi, Gervasii et Protasii, etc.); quod si episcopus assumpserit duos (aut plures) Titulares *divisim,* nempe colendos festis diversis (v. g., S. Pauli et S. Ludovici, ut hic Parisiis), hi titulares erunt inter se pares, seu, ut dicitur, *æque principales,* et eisdem proinde fruentur prærogativis : quod constat jurisprudentia constanti S. Rituum Congr.[1].

22. — Mutatio tituli ecclesiarum. — Mutatur titulus vel per *substitutionem* alterius tituli, vel per *additionem* alterius tituli, vel, si sint plures titulares aut tituli, per *suppressionem* unius. Porro :

1° Episcopus, propria auctoritate, mutare nequit titu-

[1] V. g., in *Derthonen.,* 20 apr. 1822; in *Tarvisina,* 12 sept. 1884, ad 3; *Decreta authentica,* n. 2619, t. II, p. 198; n. 3622, t. III, p. 166; cf. etiam t. IV, p. 221-223, *Adnotationes super decreto in Derthonen.,* n. 2619.

lum ecclesiæ; sed requiritur indultum apostolicum. Ita constans jurisprudentia S. Rituum Congr. [1].

2° Si ecclesia amiserit suam consecrationem aut benedictionem, ita ut nova indigeat, perit titulus; unde episcopus, in nova dedicatione, potest alium imponere titulum; maxime tamen decet ut servet antiquum titulum, cui, si velit, alium addat. Ita sæpius S. Rit. Congr. [2].

3° Si alius titulus addatur auctoritate apostolica, fruitur eisdem privilegiis, ac antiquus titulus, ita ut ambo sint *æque principales*, ut dictum est supra. Si addatur tantum ex devotione populi, non est titulus liturgicus, licet ab eo denominetur ecclesia [3].

23. — Cultus titulo debitus. — Cultus Titularibus ecclesiarum debitus hæc complectitur :

1° Celebratur Titularis festum (missa et officium) sub *ritu duplici primæ classis cum octava*. Ita *Rubricæ generales breviarii*, tit. VII, n. 1, et S. Rituum Congr., *decreto generali*, 9 julii 1895, n. 2, ubi hæc leguntur : « II. Eodem ritu duplici primæ classis cum octava celebrari debet festum solemnius Titularis ecclesiæ ab iis omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est, aut ratione beneficii aut ratione subjectionis; adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam Titulus cathedralis ecclesiæ ab universo clero totius diœcesis, sine octava tamen a Regulari [4]. » —

[1] V. g., in *Tarvisina*, 6 sept. 1834, ad 2; — in *Molinen.*, 12 sept. 1857, ad 17; *Decreta auth.*, n. 2719, t. II, p. 256; n. 3059, t. II, p. 404; — cf. etiam, t. IV, p. 340-342, *Adnotationes super decreto in Tarvisina*.

[2] V. g., in *Nullius Terræ Pesciæ*, 2 maii 1626; *Decreta auth.*, n. 402, t. I, p. 109.

[3] Ita Gardellini, *Adnotationes* in dictam *Derthonen.*, 20 apr. 1822, n. 1; *Decreta auth.*, t. IV, p. 221.

[4] *Decreta auth.*, n. 3863, t. III, p. 189. — Habes hoc decretum in extenso ad calcem voluminis, *Documentum II*. — Cf. etiam responsum S. Rit.

Unde quicumque habent *beneficium* in ecclesia, debent celebrare festum titularis hujus ecclesiæ modo prædicto; illud autem *beneficium* late intelligi debet, ita ut eadem obligatione teneantur etiam ii omnes qui *hujus ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo,* sunt addicti, ut ait ipsa S. Rit. Congr., in alio decreto, 27 junii 1899, mox referendo, circa commemorationes agendas in *Suffragiis sanctorum;* imo *totus clerus* ecclesiæ dictum festum celebrare debebit, ut ait pariter S. Rit. Congr., in alio *decreto generali* (infra, n. **24,** referendo), 5 junii 1899, n. 4; ut tamen quis sit *de clero,* non sufficit ut aliquod ministerium aliquando obeat in ecclesia, v. g., audiendo confessiones; juxta S. Rit. Congr., in *Mechlinien.*, 7 dec. 1844, ad 1, q. 1[1]. Et ita communiter doctores[2]. — Si agatur de Titulo ecclesiæ cathedralis, celebrari etiam debet ritu prædicto, *ratione subjectionis*, ab universo clero totius diœcesis, uti audivimus a S. Rit. Congr.

2° Per totum annum, in officio, inter *Suffragia communia*, ponenda est commemoratio de *Titulari* ecclesiæ. Constat : 1. *Rubricis generalibus breviarii*, tit. 1, n. 6, et tit. xxxv, n. 1, ubi legimus : « Illis (suffragiis sanctorum) adjungitur commemoratio de Patrono vel titulo ecclesiæ...; » — 2. *Decreto S. Rit. Congr.,* 27 junii 1899, circa commemorationes, n. 1, ubi hæc habentur : « Quilibet, sive sæcularis, sive regularis, alicujus ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo addictus, dummodo ecclesia sit publica, etsi non consecrata, tenetur tam in vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffra-

Congr., in una *Ordinis Minorum,* 9 apr. 1900, ad 2, *Acta S. Sedis,* t. xxxiii, p. 123, vel *Canoniste,* t. xxiii, an. 1900, p. 489.

[1] *Decreta auth.,* n. 2872, t. ii, p. 318.

[2] Cf. de Herdt, *loc. cit.,* t. ii, n. 220-222, p. 257 sq.; — Carpo, *Bibliotheca liturgica,* part. I, n. 308, Bononiæ, 1878, p. 167-168; — Gasparri, *De eucharistia,* n. 144, Parisiis, 1897, t. i, p. 95-96.

gia commemorationem agere de ejusdem ecclesiæ titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili, et quamvis commemoratio jam soleat fieri Patronorum loci vel regionis[1]. » — De quo notandum, cum ipsa S. Rit. Congr., in eodem decreto, n. 8 : « Præter commemorationem de *titulo* seu *patrono ecclesiæ*, nulla de patrono loci, vel diœceseos, provinciæ aut regni, vi rubricæ, facienda est, nisi contraria vigeat consuetudo. » Unde nec facienda commemoratio tituli ecclesiæ cathedralis, præterquam a clero cathedralis. — De aliis adjunctis liturgicis quæ respiciunt hanc Tituli commemorationem, vide præfatum decretum, ad calcem hujus voluminis.

3° In oratione *A cunctis*, sicut in postcommunione *Mundet et muniat*, ad signum N., ponendum est nomen *Titularis* ecclesiæ. — Ita, silente Rubrica, constans jurisprudentia S. Rit. Congr., v. g., in *Mutinen.*, 23 sept. 1837, ad 7, q. 1[2]; et quidem Titularem ecclesiæ in dicta oratione nominare debent, non tantum ii qui sunt addicti servitio hujus ecclesiæ et in hac ecclesia celebrant, sed etiam ii omnes qui in eadem ecclesia celebrant, licet ejus servitio non sint addicti; ita, in iisdem decretis, S. Rit. Congr.

24. — Ecclesiæ vel oratoria, quorum titulares ad præfatum cultum jus habent.

1° *De ecclesiis.* — Ecclesiarum omnium, modo sint consecratæ vel saltem benedictæ, titulares jus habent ad præfatum cultum. — Constat, omissis aliis, S. Rit. Congr. *decreto generali*, 5 junii 1899, super festo Titularium, n. 1, ubi legimus : « In *quibusvis ecclesiis* publicisque oratoriis,

[1] *Decreta auth.*, n. 4043, t. III, p. 369. — Habes hoc documentum in extenso ad calcem hujus voluminis, *documentum V.*

[2] *Ibid.*, n. 2769, t. II, p. 275; cf. de Herdt, *loc. cit.*, t. I, n. 84, p. 109.

vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum octava[1]. » — Hinc : 1. Non amplius requiritur, sicut olim, ut ecclesia sit *independens* et *alii ecclesiæ non subjecta;* nam decretum generale non distinguit, imo dicit *in quibusvis ecclesiis;* insuper idem decretum ecclesiis addit *publica oratoria*, quæ non solent esse independentia ab ecclesia parochiali, in quibus tamen jubet celebrari Titularis festum[2]; — 2. Pariter non amplius requiritur ut ecclesiæ *aliquis clerus*, aut saltem unus sacerdos sit addictus; constat expresse ex præfato *decreto generali*, n. 4, ubi cavetur, si nullus clerus sit ecclesiæ addictus, festum Titularis saltem celebrandum esse per missas sacerdotum in hac ecclesia sacra peragentium ritu Titularibus debito. In quo tamen casu, non tenetur clerus ecclesiæ parochialis, in cujus territorio sita est ecclesia clero destituta, hujus Titularis festum celebrare (nisi in quantum celebrat in hac ecclesia); quod per se satis clarum est; in quo sensu respondit S. Rit. Congr., in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 33[3]; — 3. Non requiritur ut ecclesia sit consecrata; sed sufficit ut sit solemniter benedicta, benedictione nempe illa cujus ritus exhibetur in *Rituali romano*, tit. VIII, c. XXVII; quod jam certum erat ante præfatum *Decretum generale*, an. 1899, ut constat S. Rit. Congr. responsis in *Halifaxien.*, 16 apr. 1886, ad 1[4]; in una *Vicariatus apostolici Senegambiæ*, 28 nov. 1891, ad 1[5], etc.

[1] *Decreta auth.*, n. 4025, t. III, p. 363. — Habes hoc decretum ad calcem voluminis, *documentum IV.*

[2] Antiquatæ disciplinæ remanent tamen vestigia in novissima decretorum collectione, v. g., in *Tuden.*, 23 maii 1846, ad 4; *Decreta auth.*, n. 2915, t. II, p. 336.

[3] *Decreta auth.*, n. 2682, t. II, p. 233.

[4] *Ibid.*, n. 3661, t. III, p. 182.

[5] *Ibid.*, n. 3752, t. III, p. 217.

2° *De oratoriis.* — Hæc dicenda :

A. Oratoria *publica*, vi præfati decreti an. 1899, in eodem gradu ponuntur ac ipsæ ecclesiæ, ut ex relato textu patet. Unde, modo sint consecrata aut saltem solemniter benedicta, eorum Titulares jus habent ad dictum liturgicum cultum. Nec obstat si dependeant ab ecclesia parochiali, aut si nullus clerus sit eis addictus : quod ex dictis patet. Cæterum dari obligationem ea oratoria saltem benedicendi, dicetur infra, n. **72**, 2°.

B. Oratoria *semi-publica*, si agatur de oratoriis *principalibus* quæ erecta sunt in seminariis, aut communitatibus religiosis, etc., jus etiam habent ad Titularem liturgicum. — Constat præfato decreto an. 1899, n. 5, ubi legimus : « In oratoriis autem, quæ existunt in ædibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibusque Regularium, relativum Titularis festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex eis consecrata vel benedicta solemniter fuerint; » agitur autem hic non de oratoriis publicis, sed de oratoriis *semi-publicis*, tum quia talia esse solent oratoria præsertim ædium episcopalium et seminariorum, tum quia aliter inutile prorsus fuisset ea specialiter memorare, utpote inclusa in superioribus partibus decreti, tum quia absonum fuisset hanc addere restrictionem : « nisi in casu quo consecrata vel benedicta fuerint, » quum ex ipso decreto, n. 2, oratoria publica debeant semper esse benedicta. — Confirmatur recentiori responso S. Rit. Congregationis, die 14 martii 1903 : « Proposito dubio : Utrum capella principalis seminariorum solemniter benedicta cum speciali Titulo, gaudeat privilegiis quæ competunt Sanctis vel Mysteriis Titularibus cujusvis ecclesiæ sive oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut, in oratione *A cunctis* et in Suffragiis Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur. S. Rit. Congregatio, ad

relationem subscripti secretarii, audito etiam voto Commissionis liturgicæ, rescribendum censuit : *Affirmative*, juxta decreta n. 4025, diei 5 junii 1899, ad 5, et n. 4043, diei 27 junii 1899, ad 1 et ad 8. Atque ita rescripsit die 14 martii 1903. Card. Cretoni Præf. D. Panici Archiep. Laodicen. Secret.[1]. » — Hinc, ad concilianda hæc decreta cum responso S. Rit. Congr., in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 32, ubi, ad hoc quæsitum : « An festum Titularis capellarum publicarum et oratoriorum, quæ existunt in ædibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibus Regularium..., celebrari debeat sub ritu duplici primæ classis cum *Credo* et octava, » rescripsit : « *Negative*[2], » dicendum est in hoc posteriori decreto agi tantum de oratoriis *non benedictis*, in altero vero de *benedictis*. — Hæc notanda : 1. Si agatur de oratorio seminarii, tenentur ad cultum Titularis liturgicum, non tantum rector et alii moderatores seminarii, verum etiam alumni in sacris ordinibus constituti; hi enim omnes constituunt, ut ita dicam, *clerum* seminarii; quod cæteroquin constat ex responsis S. Rit. Congr., tum in *Ruremunden.*, 27 febr. 1847, ad 3 et 5[3]; tum in *Cenomanen.*, 28 sept. 1872, ad 2[4]; — 2. In præfato casu, tenentur ad nominationem Titularis (Oratorii seminarii) in oratione *A cunctis*, non solum qui celebrant in oratorio principali, sed etiam qui celebrant in aliis oratoriis minus principalibus seminarii, uti respondit S. Rit. Congr. in *Goana*, 16 junii 1893, ad 8[5].

[1] Hoc responsum ex authentico exemplari transcripsi. — Cf. etiam *Ephemerides liturg.*, t. XVII, an. 1903, p. 194.

[2] *Decreta auth.*, n. 2682, t. II, p. 233.

[3] *Ibid.*, n. 2939, t. II, p. 347.

[4] *Ibid.*, n. 3279, t. III, p. 26.

[5] *Ibid.*, n. 3804, t. III, p. 251.

CAPUT V

DE EXSECRATIONE ECCLESIARUM, ET DUBIA CONSECRATIONE

25. — Notio. — *Exsecratio,* ex vi vocabuli et communi definitione, est hic *amissio qualitatis loci sacri*, et proinde, pro ecclesia consecrata, est *amissio consecrationis,* et, pro ecclesia benedicta, est *amissio benedictionis.* Unde multum differt tum a *pollutione ecclesiæ,* qua, ecclesia remanente sacra, violatur ejus sanctitas, tum ab *interdicto,* quo prohibetur ne sacra fiant in ecclesia. — Quum autem, ut dictum est, jura jubeant ecclesias consecrari aut saltem benedici, ecclesia semel exsecrata, requiritur nova dedicatio.

26. — Amissio consecrationis. — *Ecclesia amittit suam consecrationem, si tota vel ex majori parte corruat; non vero si ex minori tantum parte corruat.*

Probatur prior pars cap. *Ligneis*, 6, De consecratione ecclesiæ : « *Ligneis ædificiis ecclesiæ vestræ casu consumptis, parietibus tamen illæsis*,... respondemus quod, *cum parietes in sua integritate permanserint*, ob causam prædictam nec ecclesia... debet denuo consecrari. » Ergo, si

parietes ipsi corruissent, et sic ecclesia tota diruta fuisset, amisisset consecrationem; idem ex textu dicendum, si parietes majori ex parte corruissent : quod explicatur in secunda propositionis parte.

Probatur altera pars, ex collatis textibus tum cit. cap. *Ligneis*, tum cap. *Si ecclesiam*, 1, eod. tit., in VI, in quo Bonifacius VIII declarat polluto cœmeterio, ecclesiæ contiguo, non censeri pollutam ecclesiam : « Ne minus dignum, majus, aut accessorium, principale ad se trahere videatur. » Ex priori nempe capite constat *non amitti consecrationem*, *si pars ecclesiæ* (scilicet in casu *ædificia lignea*, seu tectum) *corruat*, ex altero cit. capite constat hanc partem, cujus destructio non noceat consecrationi, debere esse minorem; si nempe corruat pars minor, pars major remanens non erit exsecrata, *ne minus dignum*, *majus*, *aut accessorium*, *principale ad se trahere videatur :* quæ non est nisi applicatio regulæ 42 juris, in VI : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

27. — Corollaria. — Hinc plura sequuntur :

1° Ecclesia non exsecratur, *licet ipsi parietes ex parte cum tecto corruant*, *modo tamen pars remanens sit vere et certe major partibus destructis :* quod communi hominum judicio æstimatur. — Sequitur ex superiori propositione.

2° Ecclesia non exsecratur, *licet crusta* (gallice, *crépi*, *enduit*) *parietum*, *in qua cruces depictæ erant*, *etiam tota exciderit*. — Et quidem ad hos usque ultimos annos, tradebant communiter doctores in casu proposito amitti consecrationem, « quia, ait Schmalzgrueber (qui multos allegat), consecratio consistit in exteriore parte seu superficie parietum qui chrismate liniuntur, et in quibus crucis signum apponitur, ideoque ex horum combustione vel notabili abrasione violatur consecratio, etiamsi parietes

non corruerint[1]. » — Verum ista opinio nullo jure nititur, et nunc explosa est a S. Rit. Congr. : 1. *Nullo jure nititur;* canon enim *Ecclesiis*, 20, dist. I, De consecr., præterquam quod apocryphus est, non loquitur nisi de *combustione*, quod Glossa, propria auctoritate, extendit ad *decrustationem;* imo hæc opinio aperte contraria est, ut patet, cit. cap. *Ligneis*, 6, De consecr.; — 2. Explosa est a S. Rit. Congr., decreto 19 maii 1896, ad 2: « II. Utrum ecclesia, e cujus parietibus vel partim, vel *integre disjicitur simul incrustatio*, vulgo *intonaco*, ut renovetur, consecrata maneat, vel exsecrata? — Ad II. Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum[2]. » — 3. Nec valet argumentum adversariorum; essentia quidem consecrationis in τὸ *fieri*, consistit in crucibus inungendis et verbis relativis proferendis; verum, postquam consecratio perfecta est, ecclesia manet in æternum consecrata, donec eadem moraliter perseveret, ut ex juribus citatis constat.

3° Ecclesia non exsecratur, *licet nullum supersit vestigium crucum olim inunctarum.* — Constat superiori corollario. Attamen rector ecclesiæ curare debet ut remaneant hæ cruces, in testimonium peractæ consecrationis. Quum enim, in *Januen.*, quæreretur : « An duodecim cruces..., expleta consecratione, possint evelli si sint factæ ex marmore, aut deleri si sint depictæ; an vero remanere debeant perpetuis futuris temporibus in testimonium consecrationis ejusdem ecclesiæ, » respondit S. Congr. Rit.:

[1] Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 23; cui opinioni, saltem ex parte, adhæsisse videtur Benedictus XIV, epist. *Jam inde*, 12 maii 1756, § 7; *Bull. Bened.*, t. IV, n. LVII.

[2] *Decreta auth.*, n. 3907, t. III, p. 305. Cui decreto viam paraverant duæ decisiones ejusdem Congr., in *Senien. et Modrussen.*, 5 maii 1882; *Decreta auth.*, n. 3545, t. III, p. 127, et in *Tridentina*, 26 junii 1894; *Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 439. Ad ejusdem porro decreti normam postea responsum est, in *Nicoteren.*, 9 aug. 1897; *Decreta auth.*, n. 3962, t. III, p. 333.

« *Omnino* perpetuis in futuris temporibus *remanere debere*[1]. » Unde, quum in cit. *Senien.*, 5 maii 1882, tota incrustatio renovata fuisset, jussit S. Congr. : « Iterum depingantur vel apponantur cruces in parietibus in testimonium paractæ consecrationis[2]. »

4° Ecclesia non exsecratur, *licet parietes et alia omnia successive reparentur, etiam cum intentione totum reparandi, modo tamen, pro singulis reparationibus, pars destructa minor sit parte remanente.* — Ratio est quia hæc ecclesia semper *eadem moraliter remanet.* Juxta enim jus romanum (L. *Proponebatur*, 76, ff. *De judiciis*, V, 1), eadem legio militum, idem populus, idem tribunal semper remanent, licet omnia membra successive renoventur; item eadem navis, idem corpus humanum, licet partes omnes successive renoventur. Porro hoc principium admissum est in jure canonico, ut constat cap. *Quod in dubiis*, 3, De consecratione eccl., in quo dicitur : « Nec negamus, quin *oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri*[3]. » Ergo idem dicendum in casu præsenti de ecclesia successive per partes reparata; pars minor reparata fit consecrata per suam annexionem parti majori consecratæ, sicut oleum fit consecratum per suam mixtionem cum oleo consecrato; et sic ecclesia nunquam amittit suam consecrationem. — Dixi : *Etiam cum intentione totum reparandi*, quia hæc intentio non mutat jus. — Et ita revera docent communiter doctores[4], licet quidam contradicant[5].

[1] In *Januen.*, 18 feb. 1696; *Decreta authentica*, t. I, n. 1939, p. 421.

[2] *Decreta auth.*, n. 3545, t. III, p. 127.

[3] In minori nempe quantitate, ut aiunt omnes (ex cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione ecclesiæ, in VI). Cf. in caput *Quod in dubiis* Giraldi, *Expositio*, etc., part. I, sect. DXCIX, p. 421.

[4] V. g., Reiffenstuel, in tit. *De consecratione*, n. 12; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 27-28; — Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. IV, § *Sextus casus.*

[5] Quorum opiniones exponit Bened. XIV, cit. epist. *Jam inde*, § 11-13.

5° Ecclesia non exsecratur, *licet amplietur in longitudine aut latitudine*, modo pars addita minor sit parte antiqua; quæ pars minor fit consecrata per suam junctionem cum alia parte. — Sequitur ex dictis.

6° Ecclesia non exsecratur, *licet, vi aut malitia hominum, redacta sit ad usus profanos, etiam per longum tempus.* — Hæc enim profanatio, de jure, non producit exsecrationem ecclesiæ, imo, per se, nec ejus pollutionem, ut dicetur infra.

Dixi : *Vi aut malitia hominum;* nam aliter esset, si episcopus, ob causas a jure prævisas, jussisset ecclesiam ad usus profanos redigi. Sic conc. Tridentinum, cap. *Cum illud*, 7, sess. XXI, De ref., loquens de ecclesiis parochialibus aut non parochialibus, vetustate aut alia causa collapsis, quæ instaurari nequeant ob inopiam incolarum, ait : « Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur *cum facultate tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.* » Porro hæc *conversio ad usus profanos*, facta auctoritate episcopi, est vera exsecratio ecclesiæ, quæ proinde amittit suam consecrationem. Quum enim locus Deo consecratus sit incompatibilis cum usibus profanis, ex regula 51 juris in VI (« Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum », concilium Trid., eo ipso quod jubet aut permittit locum sacrum profanari, censetur ab illo auferre dignitatem loci sacri : quod non superat potestatem Ecclesiæ, quum ab ea sola pendeat tota vis consecrationis.

28. — Amissio benedictionis. — *Ecclesia benedicta amittit suam benedictionem, si tota vel ex majori parte, non vero si ex minori tantum parte corruat*, eodem modo ac dictum est de consecratione.

Hæc propositio est contra multos doctores qui docent benedictionem non amitti, etiamsi corruant ex toto parietes, quia nempe *benedictio adhæret pavimento.* Ita expresse Suarez, Schmalzgrueber, Quarti, etc. etc.[1].

Constat propositio : 1. *Ex analogia cum ecclesia consecrata;* ecclesia enim *consecratur* per unctionem in parietibus, et *exsecratur* per destructionem ædificii, vel totalem, vel majori ex parte, licet remaneat pavimentum; ergo, quum ecclesia *benedicatur* per aspersionem in parietibus, et benedictio non sit aliud nisi diminuta consecratio, dicendum est ecclesiam benedictam exsecrari eodem modo ac ecclesia consecrata, quum non aliter inveniatur dispositum in jure; — 2. *Ex regula generali de cessatione benedictionum;* ut enim communiter docent doctores, res benedicta (v. g., vasa sacra, vestes sacerdotales, etc.) retinet suam benedictionem, *quamdiu remanet moraliter eadem*, moraliter, inquam, relative nempe ad usum cui destinatur; amittit autem eam, semel ac cessat hæc moralis identitas. Atqui quum ecclesia destruitur, vel totaliter, vel majori ex parte, licet remaneat pavimentum, amittit suam moralem identitatem, quia non amplius apta est ad usum, ad quem fuit ædificata; ergo amittit et benedictionem.

Nec valet argumentum adversariorum, nempe quod *benedictio adhæreat pavimento;* hoc enim nec ullo jure cavetur, nec ullo prorsus fundamento nititur[2]; juxta enim *Rituale romanum*, non pavimentum, sed soli *parietes, in parte superiori et inferiori, asperguntur aqua benedicta*[3].

[1] Suarez, *De eucharistia,* disp. LXXXI, sect. IV, § *Sextus casus,* et in opere *De religione,* tract. II, lib. III, c. II, n. 4; — Schmalzg., in tit. *De consecratione,* n. 16; — Quarti, *In rubricas missalis,* part. III, tit. X, n. 2, dub. 7, Venetiis, 1727, p. 400.

[2] Ita etiam Gasparri, *De eucharistia,* n. 183, Parisiis, 1897, t. I, p. 125.

[3] Episcopus, *necessaria cogente causa,* consensum præbere poterit ut ecclesia tantum benedicta convertatur in usus profanos, v. g., si non pos-

29. — Dubia consecratio.

1° Consecratio quum sit *factum*, non præsumitur, sed probari debet; probatur autem vel per *scripturam*, vel per *testes*; hic autem, contra legem generalem, testis *unus*, modo idoneus, sufficit, ut concludunt communiter doctores ex analogia cum baptismo, ad quem probandum testis unus sufficit, ex can. *Cum itaque*, 112, dist. IV, De consecratione[1]; addunt etiam canonistæ probationem consecrationis desumi posse ex crucibus quæ conspiciuntur in parietibus[2]; quod tamen caute accipiendum est: nam aliquando parantur cruces in parietibus pictæ vel sculptæ pro futura consecratione, quæ indefinite differtur. Quoties ergo probatio idonea consecrationis non existit, dicitur *dubia consecratio*.

2° In hoc casu dubii, *ecclesia debet consecrari* (vel saltem benedici). — Constat *traditione et consuetudine ecclesiastica*, cujus luculentum testimonium præbet S. Gregorius M., *Epist.*, lib. XIV, ep. XVII, *Ad Felicem*[3]: « De dedicationum vero ecclesiarum dubitatione.... hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, ut quoties tam de baptismo aliquorum vel confirmatione, quam de *ecclesiarum consecratione dubitatio habetur*, et nec scriptis nec testibus ratio certa habetur, utrum... ecclesiæ consecratæ sint, ut... *ecclesiæ canonice dedicentur*, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. » Quam

sit reparari; sicut diximus supra (n. **27**, 6°) de ecclesia consecrata, imo facilius. Cf. de Bonis, *De oratoriis publicis*, n. 165, p. 285 (ad calcem operis Assemani, *De ecclesiis*, Romæ, 1766).

[1] Qui canon desumptus est ex S. Leone Magno, epist. CXXVI; Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 1193.

[2] Reiff., in tit. *De consecratione*, etc., n. 10.

[3] Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 1325.

deinde legem inseruit Pseudo-Isidorus in suis *falsis decretalibus*[1], et, post alios, Gratianus in suum *Decretum*, c. *Solemnitates*, 16, dist. I, De consecratione; cf. etiam c. *Ecclesiæ*, 18, ead. dist.[2]. — De hac re, nulla controversia est inter doctores[3]; unde etiam, de jure particulari, invenitur alicubi præceptum ut absolute dedicentur ecclesiæ, quarum est dubia consecratio[4].

N. B. — Quod dicitur de dubia consecratione, applicandum est, ut patet, dubiæ *benedictioni*.

[1] Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 701.

[2] Desumptus ex *Capitularibus* Car. M., lib. I, n. 145; cf. lib. V, n. 267; lib. VII, n. 391; qui libri (V-VII) compilati sunt a Pseudo-Benedicto Levita (Baluze, *Capitularia regum Francorum*, Parisiis, 1780, t. I, col. 730, 877, 1110, vel apud Migne, *P. L.*, t. XCVII).

[3] Cf. Benedictus XIV, cit. epist. *Jam inde*, § 1-5.

[4] V. g., in conc. Rom. (an. 1725), tit. XXV, c. III, Bruxellis, 1726, p. 94.

CAPUT VI

DE POLLUTIONE ECCLESIARUM ET EARUM RECONCILIATIONE

30. — Notio. — *Pollutio*, in re præsenti, est *moralis violatio sanctitatis ecclesiæ, inducta per certos quosdam actus turpes aut profanos in ecclesia patratos, unde, jure ecclesiastico, prohibentur in ea celebrari divina officia, donec reconcilietur.*

§ 1. De variis actibus, quibus polluitur ecclesia.

Quatuor sunt hujusmodi actus, ut sequitur :

31. — Homicidium. — *Homicidium, voluntarium et injuriosum, in ecclesia patratum, eam polluit.*

Constat assertio cap. *Proposuisti*, 4, De consecratione ecclesiæ, in quo, proposito casu de ecclesia violata per *homicidia quæ ibi contingunt fieri interdum*, respondet Innocentius III, non quidem ecclesiam denuo consecrari debere [1], sed *reconciliari per aquam cum vino et cinere*

[1] Uti jubere videtur can. *Si motum*, 19, dist. I, De consecratione : « Si

benedictam : qui ritus adhuc hodie pars præcipua est reconciliationis ecclesiæ pollutæ.

Dixi : 1. *homicidium*, sive suiipsius (seu suicidium) sive alterius; ad utrumque enim extenditur, ut patet, vox *homicidium*.

2. Homicidium *voluntarium* ; non attenditur enim homicidium ab amente, vel casu fortuito commissum, quod nullo modo violat sanctitatem ecclesiæ.

3. Homicidium *injuriosum*, nempe occiso, si quis enim, ob justam sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellat, et aggressorem occidat, nullo modo violatur sanctitas ecclesiæ.

4. Homicidium *in ecclesia patratum* ; homicidium enim extra ecclesiam patratum non habet relationem cum ecclesia. Ut autem dicatur *in ecclesia patratum*, requiritur et sufficit ut causa proxima mortis, v. g., vulnus, venenum, *accipiatur in ecclesia*, licet mors extra accidat; sic ecclesia polluitur, si quis fuerit percussus in ecclesia, licet percussor sit extra, aut licet percussus moriatur extra; non vero polluitur, si quis fuerit percussus extra ecclesiam, licet percussor sit intra, aut licet percussus moriatur intra. Sic jura consuetudo communisque doctorum sententia interpretata est[1].

De quo notanda duo :

1° Etiam *occisio hominis justa*, nempe ex justa sententia judicis, in ecclesia patrata, polluit eam. — Ratio est quia prohibitum est, jure ecclesiastico, exsequi senten-

homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur et *denuo consecretur.* » Cui canoni proinde derogat Innocentius. — Cæterum hic canon est incerti auctoris, forsan Vigilii; invenitur enim inter *Excerptiones* Egberti, archiepiscopi Eboracensis (m. a. 771), qui illum refert ad Vigilium, sed sine ullo alio indicio (apud Mansi, *Concilia*, t. XII, col. 426, excerptio 139).

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. *De consecr.*, n. 19; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 67-68.

tiam capitalem in ecclesia (ut infra dicetur), et quidem ob reverentiam loco sacro debitam; unde hæc occisio, licet forsan non injuriosa reo, est sacrilega et maxime loco sacro injuriosa. Et ita omnes.

2° Etiam *occisio hominis in odium fidei*, in ecclesia patrata, polluit eam, non qua martyrium est, sed qua nefaria actio est et sacrilega, unde adagium : *Actio displicuit, passio grata fuit.*

32. — Effusio sanguinis humani. — Hæc causa pollutionis ecclesiarum distincta est a superiori, nempe ab homicidio; homicidium, etiam sine sanguinis effusione, polluit ecclesiam; item effusio sanguinis sine homicidio. Unde *effusio sanguinis humani, voluntaria, injuriosa, graviter culpabilis, copiosa, in ecclesia patrata, polluit eam.*

Constat assertum cap. *Si ecclesia*, 10, De consecratione ecclesiæ : « Si ecclesia non consecrata cujuscumque semine fuerit aut *sanguinis effusione* polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divina laudis organa suspendantur. » Et idem in cap. *Si ecclesiam*, 1, eod. tit., in VI[1].

Dixi : 1. *Effusio sanguinis, voluntaria, injuriosa, in ecclesia patrata :* quæ verba exponi debent uti supra de *homicidio;* ratio enim prorsus eadem est.

2. *Graviter culpabilis;* aliter enim non esset proportio inter culpam et pœnam, utique gravem, nempe prohibitionem divinorum officiorum in ecclesia.

3. Effusio... *copiosa;* hoc enim sonat vocabulum *effusio*, quod legitur in duobus cit. capitibus[2].

V. B. — Hic etiam applicari debent duo notata supra de *homicidio.*

[1] Omitto can. *Ecclesiis*, 20, dist. I, De consecratione, quia auctor canonis incertus est.

[2] Cf. Reiffenst., *loc. cit.*, n. 17; — Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. IV, § *Secundo violatur.*

33. — Effusio seminis humani. — *Effusio quæcumque seminis humani, voluntaria, facta in ecclesia, polluit eam.* — Constat cit. cap. *Si ecclesia*, et cap. *Si ecclesiam*, 1, eod. tit. in VI[1].

Dixi : 1. Effusio *voluntaria* : nam si quis, vel in somno, vel invitus, patiatur pollutionem, hæc non polluit ecclesiam : hoc enim effectu tunc mere physiologico non censetur violata ecclesiæ sanctitas. Et hoc verum est, licet pollutio, *in sua causa*, non careat peccato gravi[2].

2. Effusio *quæcumque*, etiam ex copulâ conjugali : nam textus cit. capitis non distinguit : Si ecclesia, ait, *cujuscumque* semine, et proinde etiam *conjugum*. Cæterum hæc copula, licet in se licita, ratione tamen loci sacri, jure naturali graviter illicita est[3]. — Excipitur tantum casus, quo conjuges huic rei vacarent, ob aliquam necessitatem, v. g., ad vitandum periculum incontinentiæ, quod fieri posset tempore bellorum quo multi et diu manere coguntur in ecclesiis : sicut enim occisio hominis non polluit ecclesiam, quando quis occidit ad servandam propriam vitam naturalem, sic prædicta copula non polluit ecclesiam, quando quis huic vacat ad servandam vitam supernaturalem, vel ob aliam gravem necessitatem. Ita communiter doctores, ex quadam epikeia[4].

34. — Sepultura excommunicati vitandi, vel infidelis.

1° *Sepultura excommunicati vitandi, facta in ecclesia, polluit eam.*

Constat assertum cap. *Consuluisti*, 7, De consecratione

[1] Cf. etiam cap. *Significasti*, 5, De adulteriis.

[2] Ita Reiff., cum communi opinione, *loc. cit.*, n. 20.

[3] Sanchez, *De matrimonio*, lib. IX, disp. XV, n. 8.

[4] Reiff., *loc. cit.*; — Suarez, *loc. cit.*, § *Tertio violatur*; — Sanchez, *loc. cit.*, n. 12.

ecclesiæ, in quo dicitur : « Cœmeteria, in quibus *excommunicatorum corpora* sepeliri contingit, *reconcilianda erunt* aspersione aquæ solemniter benedictæ... » Ratio autem affertur cap. *Sacris*, 12, De sepulturis : « Sacris est canonibus institutum, ut, quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis... ; » unde et ibidem præcipitur ut excommunicatorum corpora, si de facto sepulta fuerint in cœmeterio, exhumentur, modo possint ab aliis corporibus discerni et projiciantur. — Licet autem non agatur nisi de *cœmeteriis*, attamen unanimi interpretatione dispositio canonis extenditur ad *ecclesias*, ob identicam rationem.

Dixi : Excommunicati *vitandi;* quia, juxta communissimam opinionem, sepultura excommunicati *tolerati* non polluit ecclesiam; quum enim, juxta Martini V const. *Ad evitanda scandala*, liceat nobis communicare cum excommunicatis toleratis *vivis*, possumus etiam cum ipsis communicare *defunctis*, et sic cessat ratio pollutionis. Quod valet etiamsi sint *notorie* excommunicati; nam excommunicati *notorii* et excommunicati *vitandi* valde differunt.

2° *Sepultura infidelis aut pagani, facta in ecclesia, polluit eam.* — Ita probabilissima et communissima sententia, constans non tam *jure scripto* quam *consuetudine*. Canones enim qui solent ab auctoribus allegari, nempe can. *Ecclesiam ubi*, 27, et can. *Ecclesiam in qua*, 28, dist. I, De consecratione, non sunt conciliorum ad quæ referuntur, bene vero ex *Pœnitentiali* quod dicitur Theodori, archiepiscopi Cantuariensis (m. a. 690), c. 1[1]; unde non habent vim juris communis; attamen testantur consuetudinem sui temporis et loci, et quum deinceps in varias

[1] Ed. Petit, Migne, *P. L.*, t. xcix, col. 927.

inserti sint collectiones, et præcipue in decretum Gratiani, paulatim induxerunt consuetudinem universalem (cæteroquin juri maxime conformem), cujus signum est illa doctorum *communissima* opinio.

3° *Num ecclesiam polluat sepultura hæretici (aut schismatici, notorii, catechumeni, infantis non baptizati?*

1. *Sepultura hæretici (aut schismatici) notorii probabilius non polluit ecclesiam.* Ratio est quia, ex una parte, recenseri nequit inter *infideles*, et, ex altera parte, licet sit excommunicatus, non tamen est *vitandus*, nisi (quod est extra hypothesim) ejus excommunicatio sit denuntiata. Ita communius doctores[1], contra paucos. — Nec obstat cap. *Quicumque*, 2, De hæreticis, in VI, quia ibi tantum infligitur contra hæreticos pœna *privationis sepulturæ*, et (si jam sepulti sint) *exhumationis :* quod non est idem cum *pollutione*[2]*;* quæ stricte accipienda est, quia est odiosa. Quoad verba ultima capitis *Quicumque :* « Et locus ille perpetuo careat sepultura, » non significant *pollutionem* (quæ semper cessare potest per reconciliationem), sed *prohibitionem* sepeliendi fideles, non quidem in cœmeterio, sed *in illo tantum loco cœmeterii*, ubi fuerat sepultus hæreticus, ut recte dicunt Thesaurus et Suarez[3].

2. *Sepultura catechumeni non polluit ecclesiam.* Ratio est quia catechumenus, licet non sit baptizatus, non computari solet (præsertim in rebus odiosis) inter *infideles*, eo magis quod veram fidem, imo charitatem, habere possit. Ita communiter contra paucissimos.

3. Quoad *sepulturam infantis non baptizati*, distinguen-

[1] V. g., Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 75-76; — Petra, *In const. II Honorii III*, n. 53 sq., t. II, p. 214; — Thesaurus (licet allegetur ab auctoribus alterius opinionis), *De pœnis*, v° *Sepultura*, c. IV, § *Item differentia*, ed. Giraldi, p. 387.

[2] Ut recte notat Schmalzg., *ibid.*, n. 77.

[3] Thesaurus, *loc. cit.;* — Suarez, *De censuris*, disp. XII, sect. IV, n. 13.

dum est; si agatur de filio parentum infidelium, ejus sepultura polluit ecclesiam, quia nempe computatur cum suis parentibus inter infideles; — si agatur de infante filio parentum fidelium, sed adhuc in utero defunctæ matris, ejus sepultura non polluit ecclesiam, quia est quid unum cum matre; — si agatur de infante jam nato, controvertitur utrum ejus sepultura polluat ecclesiam, an non. Putaverim ego non pollui (licet hujusmodi sepultura prohibeatur), quia cit. canones *Ecclesiam ubi* et *Ecclesiam in qua*, qui, ut dixi, testantur consuetudinem Anglorum in fine sæculi VII, intelligendi sunt, in sensu genuino, de illis paganis, aut ethnicis, qui tunc adhuc plurimi erant in his regionibus; porro infantes, de quibus agitur, non possunt recenseri inter hujusmodi paganos, præsertim in re odiosa; hi enim infantes, utpote progeniti e fidelibus parentibus, sunt in via proxima ad baptismum et quasi catechumeni. Ita non pauci doctores[1].

35. — Extra hos quatuor casus, non sunt alii. — Quatuor enim prædicti casus, sunt soli, de quibus extet jus certum; atqui, in rebus pœnalibus, interpretatio strictior facienda est, nec valet argumentum a simili, imo a fortiori. — Unde non polluitur ecclesia per sepulturam *hæretici*, ut dictum est, nec per sepulturam *interdicti* etiam *personaliter*[2], nec per sepulturam *suspensi*, nec si redigatur ad usus profanos, nec si in ea fiant alia, etiam graviora, delicta, præter illa quæ prævisa sunt a jure. — Unde deserendi sunt illi non pauci doctores[3], qui

[1] V. g., Schmalzg., *loc. cit.*, n. 74, cum multis quos allegat; — item hodie d'Annibale, *Summula...*, ed. 3, t. III, n. 15, not. 19, p. 15. Contra Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. IV, § *Quinto violatur*; — S. Alph., lib. VI, n. 366.

[2] Cf. Schmalzg., *loc. cit.*, n. 77.

[3] V. g., Thesaurus, *De pœnis*, v° *Sacrilegium*, c. V, § 1; multi alii apud

tenent ecclesiam pollui, si consecretur aut benedicatur ab episcopo excommunicato.

§ 2. Requisita generalia ut prælati actus inducant pollutionem ecclesiæ.

Tria requiruntur ut prælati quatuor actus inducant pollutionem ecclesiæ :

36. — Primum requisitum : *Ut sint certi, non dubii.* — Quando actus est dubius, dubio sive juris, sive facti, applicamus regulam 30 juris, in VI : « In obscuris, minimum est sequendum. » — Unde non idem dicendum est de dubia *pollutione* ac de dubia *consecratione;* pro hoc enim ultimo casu, non deest sufficienter certa dispositio juris (ut supra dictum est, n. 29) : secus in priori casu. — Decreta S. Rit. Congr., quæ allegari possent in contrarium, non sunt nisi *particularia*[1], nec voluit illa Congr. quæstionem generalem de dubia pollutione dirimere, ut patet ex *Corduben.*, 11 julii 1807[2].

37. — Secundum requisitum : *Ut non sint occulti.* — Ratio est quia pollutio ecclesiæ non est *physica* violatio ejus sanctitatis, sed tantum *moralis* violatio, quæ proinde pendeat a communi judicio et æstimatione hominum. Porro, communi hominum sensu, quamdiu delictum aliquod, patratum in ecclesia, remanet occultum, hæc ecclesia non amittit famam suam, nec proinde violata censetur ejus sanctitas. Ita intellecta fuit vis hujus pollutionis.

Suarez, *De eucharistia, loc. cit.*, § *Quarto violatur;* et adhuc hodie de Angelis, in tit. *De consecratione eccl.*, part. II, n. IV, t. II, p. 283.

[1] Hæc videas apud Gasparri, *De eucharistia*, n. 246, t. I, p. 173-174.

[2] Gardellini, edit. 3ª, n. 4506, Romæ, 1857, t. III, p. 58.

etiam ab antiquo, v. g., a Glossa (in cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione eccl., in VI, v° *Pollui*), cujus interpretatio ab omnibus recepta fuit[1]. — Verum, licet ab initio delictum fuerit occultum, si postea fiat publicum, ab eo tempore censetur polluta ecclesia et reconciliatione eget.

38. — Tertium requisitum : *Ut hi actus ponantur in ecclesia;* aliter enim hi actus non essent injuriosi ipsi ecclesiæ, nec per eos censeretur violari ejus sanctitas. — Quum autem hic simus in odiosis, stricte intelligenda est locutio *in ecclesia;* per *ecclesiam* hic intelligitur, juxta communem doctorum interpretationem, totum spatium quod est inter pavimentum et tectum inferius, et, ex altera parte, inter extremam absidem et partem *internam* januarum ecclesiæ. Unde :

1° Ut ecclesiæ partes et loca sacra (ad effectum de quo agitur) habentur omnes capellæ interiores, quæ sunt unum corpus cum ecclesia, — chorus et locus organorum, — sedes, ubi confessiones fidelium audiuntur, — et etiam, ut mihi videtur[2], illa tabulata interiora (gallice *tribunes*, *galeries intérieures*) quæ exstruuntur intra ecclesiam, ut major numerus fidelium divinis officiis interesse possit.

2° Non habentur ut loca sacra, ad effectum de quo agitur, *turris;* — nec *sacrarium* (*sacristie*), quia janua dividitur a corpore ecclesiæ, nec ad sacra deputatur; — nec a fortiori *cameræ* adhærentes ecclesiæ; — nec spatium interjectum inter tectum inferius et tectum superius (gal-

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. *De consecratione*, n. 22; — Schmalzg., in eumd. titulum, n. 82; — Suarez, *De eucharistia, loc. cit.*, § *Secundo dubitari;* — Quarti, *In rubricas missalis romani*, part. III, tit. x, n. 2, dub. 8, Venetiis, 1727, p. 400-401.

[2] Quidquid in contrarium dicunt Sanchez, *De matrimonio*, disp. XV, n. 35, p. 670; — Fagundez, *In quinque Ecclesiæ præcepta*, part. I, lib. III, c. xiv, n. 47, Lugduni, 1626, p. 213.

lice *combles, grenier*); — nec pars *externa* januarum ecclesiæ, licet sit ibi porticus, aut alia janua [1].

3° Quoad capellas inferiores aut cryptas, ita videtur dicendum :

a. Si capellæ inferiores sint ita extructæ, ut *a parte interiori ecclesiæ liber ad eas pateat ingressus*, videntur unum quid esse cum corpore ecclesiæ (ad instar capellarum interiorum); unde benedicuntur cum ipsa ecclesia et eo ipso quo benedicitur ecclesia, fiunt unus locus sacer cum ipsa; et proinde prædicti actus si fiant in his capellis, polluunt ecclesiam [2].

b. Idem prorsus dicas de *crypta* ad sepulturam mortuorum deputata, si *a parte interiori ecclesiæ liber ad eam pateat ingressus;* benedicitur cum ipsa ecclesia, et possunt statim in ea sepeliri defuncti, quin alia requiratur benedictio; unde si præfati actus fiant in ea, polluunt ecclesiam, cujus est pars.

c. Si capellæ inferiores ita sint extructæ, ut non pateat in eas ingressus nisi per viam publicam, non faciunt quid unum cum ecclesia; et proinde, si prædicti actus fiant in ipsis, non polluitur ecclesia. — Idem dixerim de aliis capellis *exterioribus*, ad quas ingressus non patet ab ipsa interiori ecclesia.

d. Idem dicas de crypta inferiori, ad quam non sit accessus nisi per viam publicam; est quasi cœmeterium distinctum, quod, ut sit capax sepulturæ fidelium, requirit benedictionem specialem, et de quo, relative ad pollutionem, dicendum est sicut de aliis cœmeteriis (de quibus suo loco).

e. Si remaneat dubium, utrum capella vel crypta sit

[1] Cf. Sanchez, *loc. cit.;* — Fagundez, *loc. cit.;* — Quarti, *loc. cit.*, dub. 9.

[2] Ita cit. auctores, quibus addas d'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, n. 15, p. 15.

pars ecclesiæ, ad effectum de quo agitur, servanda est regula 30 juris, in VI : « In obscuris, minimum est sequendum. »

f. De crypta, non habente capellam neque destinata ad sepulturam, idem dicendum videtur, ac de sacrario.

§ 3. Quænam ædes sacræ sint obnoxiæ pollutioni.

39. — Quænam ædes sacræ obnoxiæ sint pollutioni.

1° Obnoxiæ sunt pollutioni *ecclesiæ omnes consecratæ aut benedictæ*. — Ita omnes, et patet ex cit. cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione eccl., in VI; cap. *Significasti*, 5, De adulteriis, in quibus, ubi agitur de pollutione, semper memorantur *ecclesiæ;* porro hoc nomine veniunt, ante omnes, ecclesiæ consecratæ aut saltem benedictæ.

2° Obnoxiæ sunt etiam *ecclesiæ non consecratæ, nec benedictæ, modo jam deputatæ sint ad cultum divinum auctoritate episcopi*. — Clare patet ex cap. *Si ecclesia non consecrata*, 10, De consecratione eccl.; ecclesiæ enim, de quibus agit hic textus, non erant benedictæ, quia hoc tempore *benedictio* non adhuc erat inventa, et tamen pollutæ dicuntur. Ratio est quia, per deputationem ad usus sacros auctoritate episcopi, factæ sunt loca sacra et veræ ecclesiæ.

3° Idem dicendum de *oratoriis publicis* (de quibus agetur Titulo sequenti), *etiam non benedictis*, modo fuerint ab episcopo deputata ad cultum divinum. — Ratio est quia tempore quo condita omnia præfata capita quæ de pollutione agunt, *oratoria* inter *ecclesias* computabantur[1],

[1] Cf. Gatticum, *De oratoriis domesticis*, c. 1, n. 10-11, Romæ, 1770, p. 5-6.

et etiam hodie ita vocantur aliquando, licet adsit discrimen, ut notatum est supra (n. **3**).

4° Oratoria *stricte privata* seu *domestica*, nempe in ædibus privatis constituta, non sunt obnoxia pollutioni; nullo enim modo sunt loca sacra, ut suo loco dicetur. Ita omnes.

5° Quoad *capellas principales* seminariorum, collegiorum, palatiorum episcopalium, etc., *quæ non sint oratoria publica*[1], distinguendum est :

a. Si non sint benedictæ, sat communiter non habentur ut obnoxiæ pollutioni; tunc enim recte non possunt assimilari *ecclesiis*, de quibus textus juris agunt. Sic in praxi tutum esse docet Quarti[2].

b. Si sint benedictæ, communiter docetur aut supponitur eas esse pollutioni obnoxias; sunt enim tunc omnino loca sacra. — Putaverim tamen eas non esse pollutioni obnoxias; nam sumus in materia odiosa et proinde stricte intelligenda; atqui textus juris non agunt nisi de *ecclesiis;* porro capellæ, de quibus agimus, non sunt *ecclesiæ*, nec inter *ecclesias*, rigore juris, intelligi possunt; imo neque *oratoriis publicis* assimilantur, nisi in quibusdam liturgicis, v. g., pro celebratione missæ a sacerdote extraneo, ut constat decisione S. Congr. Rit., in *Ruthenen.*, 22 maii 1896 : « Dummodo agatur de capella principali (seminariorum, etc.), quæ *instar oratorii publici*, *ad effectum memorati decreti*, habenda est[3]; » ergo, quoad alios effectus, præsertim odiosos, non sunt habendæ instar oratoriorum publicorum, multo minus ecclesiarum. — Nec obstat quod sint benedictæ; nam benedictio confert quidem oratorio, ut sit *locus sacer*, non vero ut sit *ecclesia*. — Ita salvo meliori judicio.

[1] Si sint *oratoria publica*, dicendum ut supra, ad 3.
[2] *Loc. cit.*, dub. 9; licet contra sentiat Sanchez, *loc. cit.*, n. 39.
[3] *Decreta authentica*, n. 3910, t. III, p. 306.

6° Quoad *capellas minores* seminariorum, etc., a fortiori dicendum est eas non esse pollutioni obnoxias, eo magis quod non solent benedici.

§ 4. De effectibus pollutionis ecclesiæ.

40. — Effectus pollutionis ecclesiæ.

1° Ecclesia polluta, *nefas est in ea celebrare divina officia, et præsertim missam.* — Constat : 1. cap. *Si ecclesia,* 10, De consecratione eccl., in quo dicitur : « Si ecclesia... fuerit... polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, *ne divinæ laudis organa suspendantur;* » ergo, polluta ecclesia, divina officia (et in iis missa) suspendi debent; — 2. Specialiter pro missa, cap. *Is qui,* 18, De sententia excomm., in VI : « Is qui in ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta... scienter celebrare præsumit, *licet in hoc temerarie agat,* irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit. » — Per *divina* autem *officia* intelliguntur, præter missam, horæ canonicæ, publicæ processiones et quodlibet officium liturgicum.

2° Celebrans in ecclesia polluta peccat mortaliter, ut constat cit. cap. *Is qui;* attamen nullam pœnam incurrit, non *irregularitatis*, ut patet eodem capite, nec *censuræ;* nam, quidquid dicendum est de jure antiquo[1], de tali censura nullum vestigium invenitur in const. *Apostolicæ Sedis;* in hac quidem const., *De interdictis*, n. 2, plectuntur *censura interdicti* qui celebrant in *locis interdictis;* verum alia ecclesia *interdicta,* alia *polluta;* hi duo conceptus valde inter se differunt.

[1] Reiffenstuel, in tit. *De consecr. eccl.,* n. 23, ad probandum incurri suspensionem in tali casu, affert can. *Nullus,* 15, dist. I, De consecratione; verum hic canon apocryphus est, ex sic dictis *Gestis synodalibus* S. Silvestri (Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ,* p. 450).

3° Si pollutio ecclesiæ accidat tempore ipso quo celebrantur divina officia, hæc statim cessare debent; si agatur de missa, hæc tenenda : « Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia *ante canonem*, *dimittatur missa;* si *post canonem* [1], *non dimittatur.* » Ita *rubricæ generales Missalis*, part. III, *De defectibus*, c. x, n. 2.

4° Polluta ecclesia, *nefas est in ea sepelire mortuos,* quia, relative ad sepulturam defunctorum, ecclesia habetur instar cœmeterii. — Similiter, polluta ecclesia, censetur pollutum cœmeterium, *modo sit ecclesiæ contiguum,* ut expresse decidit Bonifacius VIII, cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecr. eccl., in VI.

5° Etiam polluta ecclesia, episcopus, *ex gravi necessitate,* permittere potest ut in ea missa celebretur, v. g., si non sit alia ecclesia in qua celebrari queat, nec reconciliatio statim fieri possit; ita concludendum est ex canonibus, 1, 2, 11, dist. I, De consecr., qui, licet apocryphi, ostendunt tamen Ecclesiæ hac in re consuetudinem. Ita communiter doctores [2]. — Imo, juxta quosdam, in urgenti necessitate, v. g., deferendi viaticum moribundo, sacerdos posset præsumere veniam episcopi, qui adiri non posset [3].

§ 5. De reconciliatione ecclesiæ pollutæ.

41. — Reconciliationis necessitas. — Quando ecclesia polluta est, reconcilianda est, ut patet, et quidem *quam primum commode fieri potest,* ut concluditur ex

[1] Id est, post canonem *inceptum.*

[2] Schmalzg., in tit. *De consecr. eccl.*, n. 65; — Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. IV, § *His positis;* — Quarti, *In rubricas Missalis*, part. III, t. x, n. 2, dub. 1, p. 396; — S. Alph., lib. VI, n. 361; — d'Annibale, *Summula*, t. III, n. 15; — Gasparri, *De eucharistia*, n. 243.

[3] D'Annibale, *ibid.*, not. 31.

data ratione in cap. *Si ecclesia*, 10, De consecr. eccl., nempe : « Ne divinæ laudis organa suspendantur. »

42. — Reconciliationis minister. — Distinguendum est :

1° *Si agatur de ecclesia consecrata :*

a. Minister *ordinarius* reconciliationis est *episcopus diœcesanus*, aut, cum ejus delegatione, alius episcopus. — Constat cap. *Aqua*, 9, De consecr. eccl., quod totum referendum est, quia utile erit etiam pro aliis quæsitis : « Aqua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus; per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provinciæ Bracharensis, quæ dicenda est potius corruptela; quia, licet episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod tamen mandantibus episcopis super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus. »

b. Episcopus *delegare nequit presbyterum*, ad reconciliationem faciendam, etiam cum aqua per episcopum benedicta. — Constat clarissime cit. textu.

c. Cum delegatione Rom. Pontificis, potest simplex presbyter reconciliare ecclesiam. — Nam reconciliatio ecclesiarum non est nisi de *jure ecclesiastico*, ut constat ex ultimis verbis cit. cap., ubi pontifex *tolerat quod hac de re factum est.*

d. De facto, prælati regulares, vi privilegii primo concessi a Leone X ordini Minorum [1], et aliis Regularibus vi communicationis privilegiorum acquisiti, jus habent reconciliandi proprias ecclesias et cœmeteria; et quidem, ad

[1] Brevi *Religionis suadet*, 3 feb. 1515; *Bull. Minorum*, Romæ, 1750, t. VI, p. 217.

normam cit. cap. *Aqua*, in genere uti debent, in hac peragenda reconciliatione, *aqua per episcopum benedicta*, eo nempe ritu qui describitur in *Pontificali romano;* verum, si episcopus distet ultra duas diætas, possunt uti *aqua quam ipsi benedixerint:* quod extendi posse videtur etiam ad casum quo vacat sedes episcopalis. — Una diæta æquivalet 20 milliariis italicis, juxta Glossam, in cap. *Nonnulli*, 28, De rescriptis, communiter receptam[1]. Hoc autem privilegium cum omnibus suis partibus, refertur communiter a doctoribus, ut ad omnes regulares pertinens[2].

2° *Si agatur de ecclesia tantum benedicta :*

a. Simplex sacerdos potest illam reconciliare. — Patet supra (n. **32**) cit. cap. *Si ecclesia*, 10, De consecr. eccl. : « ... Aqua *protinus* exorcizata lavetur, *ne divinæ laudis organa suspendantur;* » ergo, ut omnes ex his verbis inferunt, *quoties ecclesia non fuit consecrata*, simplex sacerdos potest eam reconciliare; si enim expectandus esset episcopus, non posset *protinus* reconciliari.

b. Num autem hic sacerdos egeat *delegatione episcopi*, controvertitur. Alii affirmant, auctoritate *Ritualis romani*, quod hanc delegationem supponit; dicit enim tit. viii, c. xxviii, initio : « Ecclesiæ violatæ (nondum consecratæ) reconciliatio per *sacerdotem ab episcopo delegatum* fiat hoc modo; » et etiam, c. xxx (de reconciliatione cœmeterii) : « Sacerdos, *si ab episcopo facultatem habeat*, etc. » Ita, cum aliis, S. Alphonsus[3]. — Alii negant, eodem argu-

[1] Unum milliarium italicum æquivalet circiter 1852 gallicis metris.

[2] Reiffenstuel, in tit. *De consecratione eccl.*, n. 27; — Pellizarius, *Manuale regularium*, tract. VIII, c. v, n. 69; — Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 4, n. 68-69.

[3] Licet dubitans, lib. VI, n. 363. — Ita etiam Catalanus, *Rituale romanum*, tit. VIII, c. xxx, § 1, Patavii, 1760, t. ii, p. 111, licet alibi idem Catalanus neget hanc delegationem requiri; *Com. in Pontificale romanum*, part. II, tit. vii, *De ecclesiæ et cœmeterii reconciliatione*, § 2, n. 7, Parisiis, 1851, t. ii, p. 331.

mento quod statim factum est; nempe, si expectanda esset episcopi delegatio, ecclesia non posset *protinus* reconciliari, et *suspenderentur divinæ laudis organa.* Ita Pirhing, Reiffenstuel, Benedictus XIV, Quarti, Ferraris, etc.[1], qui interpretantur verba *Ritualis* de delegatione, non ex præcepto, sed ex decentia.

43. — Reconciliationis ritus.

1° Si agatur de ecclesia consecrata, episcopus ipse eam reconciliet adhibendo ritum in *Pontificali romano* descriptum, part. II, tit. *De ecclesiæ et cœmeterii reconciliatione.*

2° Si ad ecclesiam reconciliandam delegetur a Romano Pontifice *simplex sacerdos*, hic adhibebit etiam eumdem ritum in *Pontificali* descriptum, sed utendo aqua ad hunc usum ab episcopo rite benedicta. — Quod utrumque probatur ex *Rituali romano*, tit. VIII, c. XXVIII, n. 9, ubi hoc diserte præcipitur. — Excipitur, ut dictum est, pro regularibus, si episcopus distet ultra duas diætas; tunc enim prælatus ipse benedicere potest aquam ritu notato in eodem loco *Pontificalis.*

3° Si simplex sacerdos reconciliet ecclesiam nondum consecratam, adhibet ritum in *Rituali romano* descriptum, tit. VIII, c. XXVIII.

[1] Pirhing, in tit. *De consecr. eccl.*, n. 19; — Reiff., in eumd. tit., n. 28; — Bened. XIV, *De synodo*, lib. XIII, c. XV, n. 2; — Quarti, *loc. cit.*, dub. 10, p. 402; — Ferraris, *loc. cit.*, n. 71.

CAPUT VII

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM AB USIBUS PROFANIS

N. B. — Immunitas *localis ecclesiarum*, de qua hic agitur [1], duo importat : unum, quod, ob reverentiam iis locis debitam, *certi quidam actus in eis exerceri prohibeantur;* — alterum, quod ad se confugientibus *asylum inviolatum* præbeant. De *jure asyli* agitur in capite sequenti.

44. — Actus prohibiti in ecclesiis [2].

1° *Prohibentur in ecclesiis judicia sæcularia, sub pœna nullitatis.* — Constat :

a. Cap. *Cum ecclesia*, 5, De immunitate ecclesiarum : « Sæculares judices causas, ubi *de sanguinis effusione et de corporali pœna* agitur, in ecclesiis vel cœmeteriis agitare, sub interminatione anathematis prohibemus; » hic prohibentur judicia sæcularia *criminalia.*

b. Cap. *Decet*, 2, eod. tit., in VI (ex concilio Lugdu-

[1] De immunitate *personali* clericorum, et de immunitate *reali* alibi agitur.

[2] Cf. canonistas in tit. *De immunitate eccl.*, præsertim Reiffenstuel et Schmalzgrueber; — Suarez, *De religione*, tract. II, lib. III, cap. IV-VII.

nensi II, an. 1274) : « Omnis in eis (ecclesiis et cœmeteriis) *sæcularium judiciorum* strepitus conquiescat, *nulla* inibi causa *per laicos, criminalis maxime, agitetur;* sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. » Paulo infra, in eod. capite, decernitur pœna nullitatis : « Et nihilominus processus judicum sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis *omni careant robore firmitatis.* »

Dixi : Judicia *sæcularia;* nam judicia *ecclesiastica* nullo modo prohibentur in ecclesiis [1], licet plerumque deceat hæc judicia alibi exerceri.

2° *Prohibentur in ecclesiis negotiationes et nundinæ.* — Constat eod. cap. *Decet :* « Sint postremo quæcumque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab ipsis (ecclesiis) prorsus extranea... Cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis *negotiationes*, et præcipue *nundinarum ac fori cujuscumque tumultus.* » De quo hæc notanda :

a. Non tantum frequens negotiatio prohibetur in ecclesiis, sed etiam *singuli actus negotiationis;* hic est enim sensus genuinus hujus vocabuli *negotiationes.* Attamen una vel altera venditio, non gravis momenti, materiam levem non excederet, et forsan a peccato excusari posset [2].

b. Licet contractus, in ecclesia initi, sint *illiciti*, sunt tamen *validi;* pœna enim nullitatis quæ plectit judicia sæcularia, non est ad eos extendenda, quia est odiosa.

c. Toleratur ex *fere universali consuetudine* venditio rerum piarum, quibus fideles statim utantur in templo, v. g., candelarum, modo tamen hæc venditio sine ullo strepitu fiat et non turbentur divina officia : jubet enim omnino cit. cap. *Decet* ne turbetur divinum officium.

[1] Cf. Suarez, *loc. cit.*, c. IV, n. 10-11.

[2] Ita Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. VIII, § *Secundo ex hoc.*

3° *Prohibentur in ecclesiis « universitatum et societatum quarumlibet concilia, conciones et publica parlamenta ».* — Sunt ipsa verba ejusdem cap. *Decet.* Non tamen in hac prohibitione comprehenduntur illi cœtus aut conciones, quorum finis *pius* est, id est, ut infra dicitur, quorum finis refertur ad *fidem, religionem, misericordiam* aut *charitatem.* Ita omnes, ex communi interpretatione et usu.

4° *Prohibentur in ecclesiis omnes sæculares actiones.* — Constat conc. Trid., decreto *Quanta cura,* sess. XXII, *De observandis et evitandis in celebratione missæ,* in quo ait, § *Deinde :* « Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item *sæculares omnes actiones,* vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant (episcopi). » De quo notandum :

a. Sæculares actiones opponuntur actionibus *piis;* actiones autem *piæ* eæ sunt quarum finis (finis nempe *operis,* non enim attenditur finis *operantis*) refertur vel ad *fidem,* ut disputationes aut prælectiones de scientia sacra, vel ad *religionem*, ut spectacula pia [1], vel ad *charitatem* aut *misericordiam* spiritualem vel corporalem, ut multi pii cœtus. Unde hæ actiones piæ permittuntur in ecclesiis [2]; prohibentur vero, cit. textu concilii Trid., actiones *sæculares,* licet cæteroquin utiles et honestæ, ut *deambulationes, comessationes,* etc.

b. A fortiori prohibentur actiones *vanæ* et *profanæ,* ut ludi, spectacula, etc.

5° *Prohibentur in ecclesiis confabulationes et vana colloquia.* — Constat tum cit. textu conc. Trid., — tum cit.

[1] Reiff., *loc. cit.,* n. 19; — Schmalzg., *loc. cit.,* n. 84; — Suarez, *De religione, loc. cit.,* c. VI, n. 4.

[2] Addunt communiter auctores permitti in ecclesiis collationem graduum magisterii aut doctoratus. Reiff., *ibid.;* — Schmalzg., *loc. cit.,* n. 80; — Suarez, *De religione, loc. cit.,* c. IV, n. 15.

cap. *Decet* : « Cessent (in ecclesiis) *vana* et multo fortius *fœda* et *profana colloquia;* cessent *confabulationes quælibet*[1]. »

6° *Prohibetur ne profana supellex admittatur in ecclesiis.* — Constat cap. *Relinqui*, 2, De custodia eucharistiæ : « Firmiter prohibemus, *ne hujusmodi supellectilia* (nempe laicorum et etiam clericorum) *in ecclesiis admittantur,* nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat haberi refugium; sic tamen ut, necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. » Quæ tamen prohibitio, ut notat Suarez[2], non respicit sacrarium (*sacristie*), aut cameras inhærentes ecclesiæ.

45. — Furta in ecclesiis.

1° Si quis furetur in ecclesia rem sacram, v. g., calicem, duplex patrat peccatum, furti nempe et sacrilegii. Ita omnes, nec est difficultas.

2° Si quis furetur in ecclesia rem in se quidem non sacram, sed ad ecclesiam pertinentem, v. g., tapetia, sedilia, pecuniam, etc., is, præter furtum, patrat scelus sacrilegii, quia res ad ecclesiam pertinens est aliquo modo sacra, juxta omnes.

3° Si quis furetur in ecclesia rem ad privatum quidem pertinentem, sed aliquo modo etiam ad ecclesiam, v. g., rem in ecclesia *depositam*, vel ei in *pignus* datam, etc., item patrat sacrilegium, quia ecclesia habet in eam rem officia et proinde jura determinata.

4° Si quis furetur in ecclesia rem ad privatum pertinen-

[1] Ad sanciendas prohibitiones cap. *Decet* et cit. decreti Trid., addidit pœnas pecuniarias S. Pius V, const. *Cum primum,* 1 apr. 1566; *Bull. rom.,* t. IV, part. II, p. 284; sed hæ pœnæ in desuetudinem abierunt.

[2] *De religione, loc. cit.,* c. VI, n. 1; — sic etiam Schmalzg., *loc. cit.,* n. 84.

tem, nec ullo modo ad ecclesiam, v. g., rem quam privatus secum defert in ecclesia, quid dicendum? — Multi dicunt furem etiam tunc patrare sacrilegium, ex celebri textu canonis *Quisquis*, 21, caus. XVII, q. IV : « Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel *non sacrum de sacro*, sive sacrum de non sacro. » Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ita Suarez, Schmalzg., multique alii[1]. — Alii vero dicunt, in determinato nostro casu, non committi sacrilegium, quia sufficienter satisfit generalitati canonis, si dicatur sacrilegium esse furari res privatorum, ecclesiæ titulo *depositi* aut *pignoris* creditas. Ita Fagundez, cum aliis a se allegatis[2]. Cui opinioni eo magis adhærendum puto quod : 1. Verba cit. canonis sunt apocrypha[3]; — 2. In casu nostro, res non sacra potius *in* sacro, quam *de* sacro aufertur. Unde, sicut mentiri aut detrahere in ecclesia non est sacrilegium, ita nec furari rem profanam *in* ecclesia.

46. — Quænam ædes sacræ hac parte immunitatis localis fruantur.

1° Præfata immunitate fruuntur *omnes ecclesiæ* et *oratoria publica*, licet nondum benedicta, modo auctoritate episcopi sint ad cultum divinum deputata. — Constat tum ex dictis supra, n. **39**, — tum cap. *Ecclesiæ*, 9, De consecratione ecgl. : « Ecclesiæ, in qua divina mysteria celebrantur, *licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur;* quia *obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis auribus profananda.* » — *Ecclesia* autem intelligitur, non in sensu strictiori, sicut

[1] Cf. Suarez, *loc. cit.*, c. V; — Schmalzg., *loc. cit.*, n. 70-73.

[2] Fagundez, *loc. cit.*, part. II, lib. IV, c. IV, n. 9.

[3] Licet quædam partes ejusdem canonis sint authenticæ. Cf. Friedberg, *Corpus juris canonici*, in hunc canonem.

supra (n. **38**) pro pollutione, sed in sensu lato, ita ut sub vocabulo *ecclesiæ* comprehendantur saltem partes propius adhærentes ecclesiæ, v. g., *sacrarium*.

2° Præfata immunitate fruuntur etiam capellæ seminariorum, palatiorum episcopalium, communitatum, etc., licet non benedictæ. — Ratio est quia, propter deputationem ad cultum divinum *factam auctoritate episcopi*, sunt vere *loca religiosa et sacra*, ut patet ex statim allegato cap. *Ecclesiæ*, et ex cap. *Ad hæc*, 4, De religiosis domibus [1]. Atqui, hoc semel posito : 1. Ipsum jus naturale prohibet ne in iis locis sacris fiant illi actus sæculares et profani, qui supra enumerati sunt; quod enim profanum est, dedecet locum sanctum [2]; — 2. Jus canonicum prohibet ne loca sacra deputentur usibus profanis, ut patet Regula 51 juris in VI : « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum; » quæ regula applicatur in cit. cap. *Ecclesiæ* et *Ad hæc*. — Unde non est hic discrimen ponendum inter capellam *principalem* et capellas *minores* harum communitatum; nam et hæ quoque, ad normam conc. Trid., decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis et evitandis*, etc., designantur et deputantur ab Ordinario ad cultum divinum. — Unde sic exponunt præfatam immunitatem doctores communiter [3].

3° Si agatur de *negotiationibus* aut *judiciis sæcularibus exercendis*, prohibentur, non tantum in *ecclesiis*, sed etiam in *cœmeteriis* (cit. cap. *Cum ecclesia*, 5, De immunitate

[1] Unde hoc admittunt omnes doctores; cf. Reiff., in tit. *De religiosis domibus*, n. 3-4.

[2] Ut notat Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. VIII, § *Secundo ex hoc*.

[3] Cf. Reiff., in tit. *De immunitate eccl.*, n. 7-11; — Pirhing, in eumd. tit., n. 2-4; — d'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, n. 15, not. 13, p. 14.

ECCL., et cap. *Decet*, eod. tit., in VI); imo *judicia* prohibentur etiam in *domibus* ecclesiæ adhærentibus, ut patet cap. *Ut in domibus*, 1, DE IMMUNITATE ECCL.

4° Præfata immunitate non fruuntur oratoria *stricte domestica;* non enim sunt loca sacra.

CAPUT VIII

DE JURE ASYLI [1]

§ 1. Notitiæ historicæ.

47. — A tempore Constantini ad Theodosium. — Jus asyli in genere consistit in eo quod rei confugientes ad ecclesias, inde non possunt violenter extrahi. Prima lex scripta quæ supponit jus asyli est Theodosii, an. 392, ut dicetur. Sed, ante hanc legem, extant jam indicia historica certa de existentia juris hujus :

1° S. Ambrosius, epist. XX, *Ad Marcellinam,* n. 20, ait : « ... Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? Voluptati est

[1] De jure asyli cf. omnes canonistas in tit. *De immunitate ecclesiarum;* — Suarez, *De religione,* tract. II, lib. III, c. VIII-XIII; — Bened. XIV, *Inst.,* XLI; — Thomassin, *Discipline de l'Église,* part. II, liv. III, c. XCV-CI, — Bingham, *Origines ecclesiasticæ,* lib. VIII, c. XI, Halæ, 1727, t. III, p. 353 sq.; — Hinschius, *Kirchenrecht,* § 221, Berlin, 1888, t. IV, p. 380-398; — Barthel, *De jure asyli,* 1733 (*Opuscula juridica,* Bambergæ, 1771, t. II, p. 474-525); — Zech, *De benignitate moderata Eccl. Rom. in criminosos* (apud Schmidt, *Thesaurus,* etc., t. V, p. 284-425); — Hahn, *De ancipiti... asylorum jure* (apud Schmidt, *ibid.,* p. 426-451); — Assemani, *De ecclesiis, earum reverentia et asylo,* Romæ, 1766; — Van Espen, *De asylo templorum* (*Scripta omnia,* Lovanii, 1753, t. IV, part. II, p. 63 sq.); — de Beaurepaire, *Essai sur l'asile religieux dans l'empire romain et la monarchie française* (*Bibliothèque de l'École des chartes,* IIIe série, t. IV, p. 351 sq., 573 sq.; t. V, p. 151 sq., 341 sq.); — multa præterea alia opera notata apud Hinschius, *loc. cit.*

mihi. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec *altaria tenebo, vitam obsecrans*, sed pro altaribus gratius immolabor[1]. » Quæ verba supponunt altaria jam esse locum refugii. Epistola hæc scripta est an. 385.

2° Paulinus, notarius S. Ambrosii, dicit, in *Vita Ambrosii*, n. 31 : « ... Ad tuitionem eorum *qui ad ecclesiam confugerant*, etiam ipse (Ambrosius) Aquileiam perrexit, *precaturus pro eis, quibus facile venia impetrata est*[2]. » Ergo jam ecclesiæ loca erant refugii.

3° S. Gregorius Nazianzenus laudat S. Basilium (m. a. 379), eo quod protexerit viduam quamdam, quæ, *contra vim sibi intentatam, ad ecclesiam confugerat;* lex enim Dei, ait, *altaribus honorem haberi jubet. Oratio* XLIII, *in laudem Basilii Magni*, n. 56[3]. — Verba Synesii (m. a. 431), epist. LVIII[4], clarissima sunt in eodem sensu, sed supponunt jam leges hac de re fuisse latas; unde hæc epistola LVIII temporibus Theodosii Magni posterior est.

4° Juxta Ammianum Marcellinum, scriptorem gentilem, lib. XV, c. v, Sylvanus Agrippinæ (an. 355) *confugit in ædiculam ritus christiani*[5]; lib. XXVI, c. III, Hilarius (an. 364) *confugit ad ritus christiani sacrarium*[6]. Hi quidem, narrante eodem Ammiano, postea extracti et trucidati sunt; verum hæc facta ostendunt jam opinionem invaluisse de possibili et probabili refugio in ecclesiis christianis.

5° Juxta Zosimum, scriptorem item gentilem, lib. IV, Scythæ fugitivi (an. 386) *in eas ædes se recipiebant, quæ a christianis habentur in honore, proque asylo ducuntur*[7]; lib. V, uxor filiaque Rufini *ad ecclesiam christianorum metu confugiunt, ne cum illo pereant*[8]; quibus ideo parcitum est.

1 Migne, *P. L.*, t. XVI, col. 997.
2 Migne, *P. L.*, t. XIV, col. 38.
3 Migne, *P. G.*, t. XXXVI, col. 568.
4 Migne, *P. G.*, t. LXVI, col. 1400.
5 Parisiis, 1681, p. 86.
6 *Ibid.*, p. 450.
7 Ed. Basileæ (sine anno), p. 77.
8 *Ibid.*, p. 89.

6° Cur autem, reddita Ecclesiæ a Constantino pace, hic ecclesiis christianis honor tribui cœperit, ut haberentur instar asylorum pro confugientibus, facile intelligitur. A temporibus enim antiquis, fere apud omnes populos, templa deorum, imo, apud Romanos, statuæ imperatorum, præbebant asylum confugis. Porro par erat, ut non minus honoraretur Deus verus, ejusque templa. Item apud Judæos, ut omnes norunt, non deerant asyli; sex enim designatæ sunt civitates, in quas confugere poterant qui casu aliquem occidissent (cf. Num., xxxv, 6, 13-15; — Josue, xx, 2-9); porro valde decebat ut etiam sub lege gratiæ pararentur miseris asylorum loca [1].

7° Attamen hoc tempore, ex refugio in templis nullum jus proprie dictum acquirebatur confugis, sed tantum pro ipsis episcopi vel rectores ecclesiarum intercedebant ad principem aut judices sæculares, ut a pœnis debitis liberarentur : hæc est *intercessio* episcoporum pro reis, cujus tam frequens mentio fit apud veteres scriptores, et de qua tam præclare loquitur S. Augustinus, epist. CLIII, *Ad Macedonium* [2]. — Prima lex verum jus tribuens confugis, videtur esse l. *Fideli*, 2, C. *De his qui ad ecclesiam confugiunt* (I, XII), quæ est Theodosii junioris, an. 414.

48. — A Theodosio Magno ad finem sæculi sexti.

1° *Leges civiles romanæ.*

a. Prima lex scripta [3], jus asyli, non condens, sed supponens,

[1] De asylis apud Græcos et Romanos, cf. Daremberg et Saglio, *Antiquités grecques et romaines*, Paris, 1877, v° *Asylia*, t. I, p. 505-510; — In Cod. Theod., tit. *De his qui ad statuas confugiunt* (IX, XLIV), ibique Gothofredum; — de asylis Hebræorum, cf. Osiander, *De asylis Hebræorum* (apud Ugolini, *Thesaurus antiquitatum sacrarum*, Venetiis, 1763, t. XXVI, p. 359-388); — cf. etiam (Simon), *Des asyles*, apud *Histoire de l'Académie des inscriptions*, ed. in-8, t. III, p. 37 sq.

[2] Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 653-665. — Cf. Van Espen, *De intercessione episcoporum*, c. I, *Opera*, Lovanii, 1753, t. IV, part. II, p. 63 sq.; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. II, lib. III, c. LXXXV sq.

[3] Juxta Baronium, *Annales*, ad an. 324, n. 61, legem in hoc sensu primam edidit Constantinus, sed *Acta S. Silvestri*, ex quibus hæc hausit Baronius, spuria sunt.

imo et restringens, est l. *Publicos*, 1, *Cod. Theod., De his qui ad ecclesias confugiunt* (IX, XLV), an. 392 : « Publicos debitores, *si confugiendum ad ecclesias crediderint*, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos qui eos occultare probantur, episcopos exigi. »

b. Sequuntur, in eodem *Cod. Theodosiano, eodem loco*, aliæ leges, l. *Judæi*, 2 (an. 397), et l. *Si quis*, 3 (an. 398), quæ pariter restringunt jus asyli, præsertim quoad Judæos, confugientes ad ecclesias et simulantes se velle converti.

c. Eodem anno 398, agente in primis Eutropio, jus asyli suppressum est ab Arcadio, lata lege, quam memorant Socrates [1], Sozomenus [2], S. Chrysostomus [3], etc. ; quam legem primus passus est Eutropius [4]. — Unde et Patres concilii Carthaginensis, Carthagine celebrati V Kal. Maias an. 399, ad imperatores deputaverunt duos episcopos qui ab eis legem de immunitate ecclesiarum impetrarent; cf. *Codex canonum Ecclesiæ africanæ*, post canonem 56 [5].

d. Restitutum est jus asyli ab imperatoribus Theodosio juniore et Honorio, an. 414, l. *Fideli*, 2, cod. *De his qui ad ecclesiam confugiunt* (I, XII). Quæ lex pars est amplioris constitutionis [6].

e. Sequitur l. *Pateant*, in utroque *Codice Theodosiano* et *Justinianeo* descripta (l. *Pateant*, 3, cod. *De his qui*, etc.); quæ pariter non est nisi pars amplioris constitutionis, an. 431 [7]. — Anno autem 432, jura asyli determinata sunt pro *servis* ad ecclesias confugientibus, l. *Super*, 5, *Cod. Theod.*, cit. tit., et l. *Si servus*, 4, cod. eod. tit.

f. Hæc omnia, de jure asyli sancita, confirmavit imp. Leo,

[1] Socrates, *H. E.*, lib. VI, c. v; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 673.

[2] Sozomenus, *H. E.*, lib. VIII, c. VII; Migne, *ibid.*, col. 1533.

[3] S. Chrysostomus, *Homilia in Eutropium*, n. 3; Migne, *P. G.*, t. LII, col. 394.

[4] De hac lege, cf. Gothofredum, in cit. l. *Si quis*, 3, *Cod. Theod.*, ed. Ritter, Mantuæ, 1741, t. III, p. 364.

[5] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 168.

[6] Quam integram vide apud Sirmondum, *Appendix Cod. Theod.*, const. XIII; *Opera varia*, Parisiis, 1696, t. I, p. 730.

[7] Quam videas apud Gothofredum, post l. *Pateant*, 4, in *Cod. Theod.*, p. 369.

an. 466, l. *Præsenti*, 6, cod. *De his qui ad ecclesiam confugiunt;* item hæc confirmavit Justinianus, referendo in suum Codicem, dicto titulo, plerasque superiores leges; verum modum imposuit juri asyli, excipiendo ab hoc beneficio plura graviora scelera, v. g., homicidium, adulterium, raptum virginum, etc., in *Novella XVII* (an. 535), cap. 7.

2° *Leges canonicæ.* — Paulatim Ecclesia positive recepit leges civiles romanas de asylo, ut constat sive ex variis conciliis, quæ his temporibus celebrata sunt in diversis locis, sive etiam ex responsis Rom. Pontificum. Sic :

a. Concilium Arausicanum I (an. 441), can. 5, ait : « Eos qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportere; sed loci reverentia et intercessione defendi [1]. »

b. Concilium Arelatense II (an. 443 vel 452), can. 30, idem sancit de *servis* [2].

c. Gelasius (492-496) eamdem disciplinam recognoscit et servari jubet, pluribus ad varios episcopos epistolis, in quibus, inter alia, jubet ut ille beneficio privetur asyli, qui alium in ecclesia constitutum per vim abstrahere præsumpsit [3].

d. Eamdem disciplinam sanxerunt : concilium Aurelianense I (an. 511), can. 1; — concilium Epaonense (an. 517), can. 39; — concilium Ilerdense (an. 523), can. 8; — concilium Aurelianense IV (an. 541), can. 21 [4].

49. — A sæculo septimo et deinceps.

1° In his sæculis altiores radices egit disciplina asyli, ut constat tum concilio Toletano XII (an. 681), can. 10 (= can. *Diffinivit*, 35, caus. XVII, q. IV), in quo locus asyli extensus est ad 40 vel 30 passus circa ecclesias (infra, n. **51**) [5]; — tum concilio Moguntino (an. 813), can. 39 (= can. *Reum*, 9, caus. XVII, q. IV), qui

[1] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 122.

[2] *Ibid.*, p. 134.

[3] Cf. fragmenta 40, 41, 42, 43 apud Thiel, *Epistolæ Rom. Pontificum*, p. 504-506. Fragmentum 40 insertum est decreto Gratiani, can. *Frater*, 10, caus. XVII, q. IV.

[4] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 160, 172, 20 205.

[5] *Ibid.*, t. I, p. 329.

transivit in jus commune [1]; — tum Nicolai *Responsis ad consulta* Bulgarorum (an. 866), cap. 25 [2]; — tum variis conciliis in sæculis XI et XII, quorum præcipua sunt : Romanum (an. 1059) [3]; Claromontanum (an. 1095), can. 29, 30 [4]; Rhemense (an. 1131), can. 14 [5]; Pisanum (an. 1134), can. 14 [6]; Rothomagense (an. 1190), can. 18 [7].

2° In Gallia, eadem disciplina viguit, ut constat cit. numero superiori conciliis; cf. etiam *Decretio* Childeberti regis (an. 595), cap. 4 [8]; et *Capitulare III* Dagoberti regis (an. 630), tit. I, cap. 4 [9]. Carolus Magnus primum quidem parum favere visus est disciplinæ asyli, ut constat *Capitulari* an. 779, cap. 8 [10]; verum postea eam plene recepit, ut constat ejus *Capitulari* an. 789, cap. 2 [11], et ejus *Capitulari II* an. 803, cap. 3 [12] (= cap. 134 libri I *Capitularium*) [13].

3° Interea jus asyli, quod jam invaluerat in consuetudinem universalem, ingreditur jus commune scriptum canonicum, nempe per can. *Item placuit*, 15, concilii Lateranensis II, sub Innocentio II (an. 1139) et per cap. *Inter alia*, 6, De immunitate eccl., ex Innocentio III, statim citanda.

§ 2. In quo consistat jus asyli [14].

50. — Complexus juris asyli. — Hæc præcipue complectitur jus illud :

[1] Mansi, *Concilia*, t. XIV, col. 73.
[2] Migne, t. CXIX, col. 1012; unde can. *Sicut antiquitus*, 6, caus. XVII, q. IV.
[3] Quod refert epistola Nicolai II; Mansi, t. XIX, col. 873.
[4] Mansi, *Concilia*, t. XX, col. 818.
[5] *Ibid.*, t. XXI, col. 461.
[6] *Ibid.*, t. XXI, col. 490.
[7] *Ibid.*, t. XXII, col. 584.
[8] Baluze, *Capitularia*, t. I, col. 18.
[9] *Ibid.*, col. 97.
[10] *Ibid.*, col. 197.
[11] *Ibid.*, col. 251.
[12] *Ibid.*, col. 388.
[13] *Ibid.*, col. 729.
[14] Cf. canonistas in tit. *De immunitate eccl.*, præsertim Reiffenstuel et Schmalzgrueber.

1° *Qui confugit ad ecclesiam, non est violenter ab ecclesia extrahendus.* — Constat :

a. Can. *Item placuit*, 15, conc. Lat. II (an. 1139, sub Innocentio II), quæ videtur esse prima lex canonica generalis ea de re lata : « ... Præcipimus etiam, ut in eos, qui *ad ecclesiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat.* Quod si fecerit, excommunicetur[1]. » Quod jam, eisdem omnino verbis, præscriptum fuerat in concilio Rhemensi, cui præerat idem Innocentius (an. 1131)[2].

b. Cap. *Inter alia*, 6, De immunitate eccl., in quo Innocentius III breviter perstringit totum jus hac de re latum : « Duximus distinguendum, quod fugiens ad ecclesiam, aut liber, aut servus existit. Si liber, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, *non est violenter ab ecclesia extrahendus*, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam[3], sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra et vitam. Super hoc tamen quod inique fecit, est alias legitime puniendus. » Deinde excludit pontifex plura scelera graviora a beneficio asyli, de quibus infra.

Unde hæc sequuntur : 1. Reum non posse repelli a rectoribus ecclesiarum; aliter in vanum abiret jus asyli; — 2. Reum debere ali, dum remanet in ecclesia, vel ex propriis aut consanguineorum bonis, vel ex proprio labore, vel ex eleemosynis; — 3. Neminem posse impedire ne reo necessaria vitæ præbeantur[4]; — 4. Reum quidem posse sponte abire, sed a nemine posse cogi ut exeat.

2° *Qui confugit ad ecclesiam, non potest damnari ad mortem aut pœnam corporalem.* — Constat cit. cap. *Inter alia*, et est præcipuum beneficium juris asyli. De quo

[1] Mansi, *Concilia*, t. xxi, col. 530.
[2] Conc. Rhem., can. 14, Mansi, t. xxi, col. 461.
[3] Intellige *corporalem*, ex contextu.
[4] Cf. Reiff., in tit. *De immunitate eccl.*, n. 156 sq.

curare debent rectores ecclesiarum apud judicem sæcularem. Quod si hic judex reo promittat vitam et membra, ut reus possit exire ab ecclesia, omnino tenetur stare promissis, sub pœna violatæ immunitatis et rei in locum sacrum restituendi. Ita omnes ex præfato capite [1].

3° *Attamen jus asyli non eximit reum ab omni pœna.* — Constat eod. capite : « Super hoc tamen quod inique fecit, est alias *legitime puniendus.* » Unde, juxta Schmalzg., judex sæcularis citabit reum sub interminatione pœnæ, v. g., pecuniariæ; si non compareat, per se, vel per procuratorem, damnare poterit eum ut contumacem [2]. Juxta alios, solus judex ecclesiasticus est ea de re competens [3]. Unde standum legitimis consuetudinibus.

§ 3. De locis quæ jure asyli fruuntur.

51. — Loca jure asyli fruentia.

1° Fruuntur asyli jure *omnes ecclesiæ, etiam nondum benedictæ, etiam interdictæ aut pollutæ.* — Constat cap. *Cum ecclesia*, 5; *Inter alia*, 6; *Ecclesiæ*, 9; *Immunitatem*, 10, De immunitate eccl., in quibus jus asyli tribuitur *ecclesiis* sine ulla distinctione et cum omni verborum generalitate. — De quo notandum :

a. Ecclesia sumitur hic in sensu *latissimo*, ita nempe ut comprehendat atrium, porticum, turrem, parietes aut januas exteriores, imo et domos adhærentes ecclesiæ ad eamque pertinentes. — Constat jure romano, nempe l. *Pateant*, 3, cod. *De his qui ad ecclesiam confugiunt* (I, xii), in quo enumerantur omnes partes exteriores

[1] Cf. Schmalzg., *loc. cit.*, n. 275-277.
[2] *Ibid.*, n. 293.
[3] Cf. Reiff., *loc. cit.*, n. 169.

ecclesiæ adhærentes, in iisque agnoscitur jus asyli; quæ lex in tota Ecclesia recepta est, ut constat canonibus 36, 20, 6, 21, 35, caus. XVII, q. IV, qui canones ostendunt consuetudines multarum regionum catholicarum.

b. Juxta quosdam, fruitur etiam jure asyli *totum spatium per 40 passus adjacens ecclesiis cathedralibus, et per 30 passus minoribus ecclesiis.* — Verum 1. Can. *Sicut antiquitus*, 6, etc.; *Definivit*, 35, caus. XVII, q. IV, qui revera statuunt præfatam immunitatem, non referunt nisi synodum provinciæ romanæ[1], et concilium Toletanum XII (an. 681), can. 10[2]; — 2. A longo jam tempore in desuetudinem abierunt, ut notavit Giraldi[3].

2° Fruuntur etiam jure asyli seu immunia sunt *oratoria publica, etiam non benedicta, etiam interdicta aut polluta.* — Censentur enim nomine *ecclesiarum*, ut jam dictum est.

3° Item immunia sunt *omnia loca sacra et religiosa;* hæc loca ea sunt quæ eriguntur *auctoritate episcopi* vel ad cultum Dei (loca *sacra*) vel ad finem pium, nempe fidem, religionem, charitatem et misericordiam (loca *religiosa*)[4]. — Porro hæc omnia loca immunia sunt : quod inductum est *universali consuetudine;* vi cujus paulatim in eodem gradu habita sunt, relative ad jus asyli, ecclesiæ proprie dictæ et alia loca Deo ad usum pium *publice* (nempe per episcopum) dicata, cujus universalis consuetudinis luculentum præbent testimonium, tum unanimis doctorum consensio, tum Gregorius XIV, celebri const. *Cum alias*, nono kal. junii an. 1591[5], in qua, jus commune suppo-

[1] Excerptus est prior canon ex epistola Nicolai II, præfatam synodum (an. 1059) referentis, apud Mansi, *Concilia*, t. XIX, col. 873.

[2] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 329.

[3] *Expositio juris pontificii*, part. I, sect. DCXXXVII, p. 471. Cf. item Ferraris, v° *Immunitas*, art. 2, n. 19 sq.

[4] Ut constat cap. *Ad hæc*, 4, DE RELIGIOSIS DOMIBUS. Cf. Reiffenstuel, in tit. *De religiosis domibus.*

[5] *Bull. Rom.*, t. V, part. I, p. 272.

neris et exponens, sic enumerat loca jure asyli fruentia, § 2 : « ... Super abducendis vel extrahendis ab *ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, locisque sacris aut religiosis...;* » et iterum, § 3 : « ... *Ad ecclesias, locaque sacra et religiosa* prædicta... » Unde, inter doctores, instar regulæ est, *locum sacrum* vel *religiosum esse eo ipso immunem.* Unde immunia sunt :

a. Monasteria, seminaria, hospitalia, etc., auctoritate episcopi erecta;

b. Capellæ communitatum, de quibus supra dictum est, n. **46.**

4° Item immunia sunt *cœmeteria*, modo fuerint auctoritate episcopi sepulturæ fidelium destinata. — Nam : 1. Sunt loca *religiosa;* — 2. Specialiter declarantur immunia in pluribus capit., nempe cap. *Cum ecclesia*, 5 : cap. *Immunitatem*, 10, De immunitate eccl.

5° *Palatium episcopale* plurimi dicunt etiam esse immune, ex can. *Id constituimus*, 36, caus. XVII, q. IV, in quo revera « domus episcopi » ecclesiæ hac in re assimilatur. — Verum is canon non habet vim juris communis : non est enim nisi can. 1 conc. Aurelianensis I (an. 511)[1]. Unde non valet nisi pro regionibus ad quas consuetudo vim ejusdem extendit[2].

§ 4. Crimina quæ reum excludunt a jure asyli.

52. — Crimina excepta. — Ne locus detur abusibus, plura crimina jure communi notantur, quæ qui perpetraverit, non fruitur jure asyli. Documenta legislativa generalia

[1] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 160.

[2] De his locis cf. etiam Schmalzg., et Reiff., et præterea Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, Romæ, 1883, t. I, p. 660-674.

quæ *crimina excepta* determinant, sunt, præter cap. *Inter alia*, 6; cap. *Immunitatem*, 10, De immunitate eccl. : 1. Gregorii XIV const. *Cum alias*, 9 kal. junii 1591[1]; — 2. Benedicti XIII const. *Ex quo divina*, 7 idus junii 1725[2]; — 3. Benedicti XIV const. *Officii nostri*, idibus martii 1750[3], quæ, in magna sui parte, interpretatur utramque bullam Gregorii et Benedicti XIII[4]. Allegantur insuper documenta specialia, nempe de delicto speciali agentia, v. g., de hæresi, duello, etc., ut infra. — Præcipui autem criminosi, qui privantur jure asyli, sunt hi qui sequuntur :

1° *Publici latrones, viarumque grassatores.* — Constat cit. constit. Gregorii XIV : « Ut laicis ad ecclesias locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint *publici latrones viarumque grassatores*, qui itinera frequentata publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, — aut depopulatores agrorum, — quive homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque cœmeteriis committere non verentur, — aut qui proditorie proximum suum occiderint, — aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ majestatis in persona ipsius principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. » Constat etiam cit. cap. *Inter alia*. — Juxta cit. const. Bened. XIII, sufficit una *grassatio*, si mors aut mutilatio grassati secuta fuerit.

2° *Depopulatores agrorum*, sive *nocturni* (cap. *Inter alia*), sive etiam *diurni*, ex cit. const. Gregorii XIV, quæ non distinguit.

[1] *Bull. Rom.*, t. v, part. I, p. 271.

[2] *Ibid.*, t. xii, p. I.

[3] *Bull. Bened.*, t. iii, n. 29.

[4] Clementis XII bulla *In supremo justitiæ*, 1 feb. 1735 (*Bull. Rom.*, t. xiv, p. 17), quam etiam interpretatur bulla cit. Benedicti XIV, respicit tantum ditionem temporalem Sanctæ Sedis, et quasdam regiones, ad quas deinceps extensa est. Cf. cit. bullam Bened. XIV, §§ 1, 4; item Bened. XIV const. *Alias felicis*, 24 jan. 1744, in *Bull. Bened.*, t. i, n. 88.

3° Rei *homicidii* vel *mutilationis*, in determinatis casibus, nempe :

a. Si quis commiserit homicidium vel mutilationem *in ecclesiis vel cœmeteriis* (cit. cap. *Immunitatem*), sed cum hac interpretatione Benedicti XIII (cit. const.), nempe ut sufficiat si alteruter, occidens aut occisus, sit in ecclesia vel cœmeterio.

b. Si quis *proditorie* aliquem occiderit, ut constat tum cap. *Si quis*, 1, De homicidio, tum cit. const. Gregorii XIV. — Quod confirmat et ampliat Benedictus XIII, cit. constitutione, excludens ab asylo « interficientes proximum suum animo *præmeditato ac deliberato* ».

c. Si quis reus sit *assassinii*, ex const. Greg. — Assassinium est *homicidium perpetratum in personam christiani, per aliquem mercede conductum;* unde omnes rei assassinii [1], nempe mandans, mandatarius et cooperatores, excluduntur a jure asyli [2].

4° *Hæretici* vel *de hæresi notabiliter suspecti*. — Constat ex Joannis XXII const. *Ex parte*, 13 aug. 1317 [3], qui hos et illos expresse excipit a jure asyli. — De horum omnium extractione a locis sacris tractat Benedictus XIV in epistola *Elapso proxime*, 20 febr. 1751 [4].

5° *Judæi conversi, sed postea patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes a fide*. — Ita ex cit. const. Joannis XXII.

6° *Rei læsæ majestatis in persona ipsius principis*. — Constat cit. bulla Gregoriana. — Unde vulnerantes prin-

[1] Cf. Thesaurum, *De pœnis*, part. II, v° *Assassinium*, ed. Giraldi, p. 104. — De *mandante* assassinium, cf. etiam bullam Benedicti XIII, § 4.

[2] Addidit fere omnes homicidas Clemens XII, cit. const.; sed hoc non est de jure communi, ut dictum est.

[3] *Bull. Rom.*, t. III, part. 2, p. 154. — Const. Joannis interpretatur card. Petra, *In const. I Joannis XXII*, t. IV, p. 1.

[4] *Bull. Bened.*, t. III, n. 40.

cipem, occidentes, machinantes in ejus necem, mandantes, etc., privantur jure asyli.

7° *Impedientes ne quis in locum immunem se recipiat, vel violenter extrahentes reum a loco immuni.* — Ita ex bulla cit. Benedicti XIII, et ex bulla cit. Benedicti XIV, § 14.

8° Item, ex cad. bulla Benedicti XIII, plures *delinquentes* circa *administrationem montium pietatis, monetas, litteras apostolicas,* etc.[1].

9° Tandem *reus duelli,* qui « in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto ». — Constat Benedicti XIV bulla *Detestabilem,* 10 nov. 1752, § 8[2], in qua Benedictus præfatum interfectorem privat jure asyli, tanquam *homicidam interficientem proximum suum animo præmeditato ac deliberato,* ad normam cit. constitutionis Benedicti XIII[3].

53. — Processus judicialis in casu criminis excepti.

1° Si reus, qui ad locum immunem confugit, crimen exceptum perpetraverit, privatur jure asyli, ideoque tradi debet curiæ sæculari, ut secundum leges puniatur. Verum, in nullo casu potest tradi curiæ sæculari, *nisi postquam auctoritas competens judicaverit ipsum perpetravisse delictum exceptum.* — Ita tres bullæ Gregorii, Benedicti XIII et Benedicti XIV.

2° Hæc auctoritas competens est *solus episcopus* (vel ejus vicarius generalis), *exclusis aliis Ordinariis,* etiam præ-

[1] Cf. cit. bullam Benedicti XIII, § 4.

[2] *Bull. Bened.,* t. IV, n. 6.

[3] Elenchum dant criminum exceptorum Giraldi, *Expositio juris pontificii,* part. I, sect. DCXXXV, *appendix,* — et Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis,* Romæ, 1883, t. I, p. 679-690.

latis *Nullius*. In casu quo agatur de loco *Nullius diœcesis*, episcopus judex est episcopus *vicinior*. — Ita omnino ex bulla Gregorii XIV, § 4, quam hac in re etiam confirmavit Benedictus XIV, const. cit. *Officii nostri*, § 12. — Unde, ex jurisprudentia S. Cong. Immunitatis [1], nec *vicarius capitularis* est judex competens, sed episcopus *vicinior*. — Episcopus vicinior est ille, cujus ecclesia cathedralis est proximior ecclesiæ cathedrali (vel quasi cathedrali) alterius diœcesis aut territorii separati, ex conc. Trid., cap. *Quæ alias*, 9, sess. XXIV, De reformatione.

3° Ante judicium, reus debet extrahi e loco immuni et duci in carcerem ecclesiasticum. Non potest autem extrahi, nisi adsint perpetrati criminis *indicia*, ut dicitur, *sufficientia ad capturam*. Hæc indicia colligit episcopus, vel colligi jubet per viros ecclesiasticos ad id deputandos. Postea judicat episcopus num vere reus crimen exceptum patraverit. — Ita ex tribus cit. bullis, nempe Gregorii, § 4, 5, Benedicti XIII, § 6, et Benedicti XIV, § 12.

4° Demum, si vere locus est crimini excepto, mandat episcopus, vel ejus vicarius generalis, tradi reum curiæ sæculari. Sine autem hoc episcopali mandato, non possunt ministri curiæ sæcularis extrahere reum, *etiam in casibus clare exceptis;* omnino enim generaliter hoc prohibuit Benedictus XIII, cit. const. *Ex quo divina*, § 7 [2].

§ 5. De personis quæ jure asyli fruuntur [3].

54. — Personæ quæ fruuntur jure asyli. — Agitur,

[1] Apud Pennacchi, *loc. cit.*, p. 694.

[2] Quidquid dicit S. Alphonsus, *De privilegiis*, n. 26; consuetudines contrarias, de quibus S. Alph., sustulit Benedictus XIV, etiam immemorabiles, cit. const. *Officii nostri*, § 17.

[3] Cf. Reiff., *loc. cit.*, n. 54-81; — Schmalzg., *loc. cit.*, n. 154-185; — Pennacchi, *loc. cit.*, p. 674-678.

ut patet, de criminibus *non exceptis;* nam, in criminibus *exceptis,* nemo fruitur jure asyli.

1° *Fruuntur jure asyli fideles omnes laici, clerici, et Regulares.*

a. Quoad *laicos*, nulla difficultas; immunitas enim ecclesiarum præcipue vim suam exerit relative ad potestatem sæcularem, cui subjiciuntur laici. Unde in bulla Gregorii XIV præcipue laici nominantur.

b. Quoad *clericos*, quidquid dixerunt multi, fruuntur etiam jure asyli, ita ut, si, extra crimina excepta, confugiant ad ecclesias, ipsorum superiores non possint eos afficere pœnis corporalibus, nec eos tradere brachio sæculari pœna corporali puniendos. — Ratio est: 1. Quia textus juris, quibus proprie fundatur jus asyli, non distinguunt inter clericos et laicos; — 2. Quia repugnat eos esse deterioris conditionis ac laici[1]. — Quod non impedit quin eorum superiores possint in eos animadvertere censuris aliisque pœnis ecclesiasticis, ut patet.

c. Quoad *Regulares*, non fruuntur jure asyli *adversus ipsorum superiores;* cum enim semper sint in loco immuni (nempe in monasteriis), eo ipso quod jus commune decernat contra illos aliquam pœnam, aliquatenus corporalem, a superioribus infligendam, derogatum censetur quoad illos legi immunitatis. — Adversus autem potestatem sæcularem, fruuntur jure asyli, ut dictum est pro clericis; sed in criminibus *exceptis*, asyli jure privantur, ut expresse declaravit Benedictus XIV pro casu homicidii animo præmeditato ac deliberato perpetrati, const. *Officii nostri,* § 7.

2° *Fruuntur jure asyli baptizati omnes, etiam excommunicati, aut alia censura innodati, et hæretici.*

[1] Cf. Schmalzg., *loc. cit.*, n. 169.

a. Quoad *excommunicatos* aut *alia censura innodatos*, constat, quia effectus uniuscujusque censuræ expresse jure communi determinantur et stricte intelligendi sunt; porro, in his effectibus, ne una quidem vocula est de privatione juris asyli.

b. Quoad *hæreticos*, privantur quidem asyli jure, si ad ecclesias confugiant ratione *hæresis*, quia hoc delictum, ut dictum est, est exceptum; si vero confugiant pro aliis criminibus non exceptis, multo probabilius, quidquid dixerunt graves quidam doctores[1], fruuntur jure asyli, quia scilicet lex de criminibus exceptis (latrocinio, homicidio, assassinio, hæresi, etc.) sic intelligi debet, ex sensu obvio et contextu, ut *pro his criminibus* denegetur refugium, non vero pro aliis quæ forte illis juncta essent.

3° *Fruuntur jure asyli omnes homines, etiam infideles, pagani et judæi.* — Constat, tum quia jura (v. g., cap. *Inter alia*) prorsus indistincte loquuntur; — tum quia privilegium est præsertim *locale*, nempe loco sacro aut religioso concessum, propter ejus venerationem. — Nec requiritur ut velint converti ad fidem, quidquid dicit l. *Judæi*, 1, cod. *De his qui ad ecclesiam confugiunt* (I, XII), quæ in hoc non fuit jure canonico recepta, ut constat ex communi sententia doctorum et jurisprudentia S. Congr. Immunitatis[2].

§ 6. De pœnis contra violantes immunitatem asyli ecclesiastici.

55. — Pœna excommunicationis. — Pius IX, in const. *Apostolicæ Sedis*, 4 idus oct. 1869, *De excommuni-*

[1] Apud Petra, *In const. I Joannis XXII*, n. 9 sq., t. IV, p. 3.
[2] Apud Pennacchi, *loc. cit.*, p. 678.

cationibus, § 2, act. 5, declarat subjacere excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ : « Immunitatem asyli ecclesiastici *ausu temerario violare jubentes aut violantes*[1]. »

56. — Quinam hac pœna feriantur. — Hac pœna feriuntur duæ species delinquentium :

1° *Qui violant præfatam immunitatem;* hanc autem violant :

a. Qui reum, in loco immuni, *capiunt, vi extrahunt,* aut *incarcerant*, sive in criminibus non exceptis, sive etiam, sine interventu potestatis ecclesiasticæ, in criminibus exceptis. — Ita ex tribus bullis cit.

b. Qui *conantur* reum capere, extrahere, etc., licet revera non capiant, quia, v. g., reus latitat, vel resistit. — Ita ex bulla Gregorii XIV, qui, § 8, etiam *tentamen* seu *conatum* pœnis plectit[2].

c. Qui *intercipiunt alimenta*, ut reus cogatur se tradere, vel quacumque alia de causa. — Ita ex Benedicti XIV bulla, § 14.

d. Qui, dum reus est in loco immuni, *hunc locum obsident,* ne reus aufugere possit, etc. — Ita ex eadem bulla Benedicti, § 14.

2° *Qui violare jubent præfatam immunitatem*, modo tamen, ex regula generali, violatio perpetrata fuerit, saltem per conatum, ut dictum est.

57. — Requisita ut hæc pœna incurratur. — Præter requisita generalia ut censura incurratur, de quibus suo

[1] Pii IX *Acta*, t. v, p. 62, ubi tamen notandum est verba *ausu temerario* ponenda esse sicut ponimus, ita ut cadant simul in *jubentes* et in *violantes*. Ita ex *Instructione* S. Officii, 15 junii 1870; *Acta S. Sedis*, t. vi p. 433.

[2] Cf. Reiff., n. 217; — Schmalzg., n. 345.

loco, specialiter hic requiritur ut, sive violans immunitatem, sive violare jubens, agant *ausu temerario,* ut patet cit. textu bullæ *Apostolicæ Sedis.* Ex quo intelligendum est, ex S. C. Inquis. *Instructione*, 15 junii 1870 : « eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subjacere mirum esse non debet [1]. » Unde, ut communiter deducunt auctores, non incurrunt excommunicationem milites aut lictores qui, præter voluntatem, a ducibus immunitatem violare coguntur, — nec magistratus qui non sponte, sed a lege coacti, immunitatem violare mandant [2].

§ 7. De causis et origine juridica juris asyli.

58. — Causæ juris asyli.

1° Causa *principalis et absoluta* est *honor Deo et templis ejus debitus;* templum enim est domus Dei et quasi ejus territorium; sicut ergo injuria est principi, si, sine ejus venia, extrahas ab ejus territorio reum qui illuc confugit, vel si pœnis animadvertas in reum qui ad illum appellavit, ita injuria reputata est vero Deo, si quis ab ejus templo seu domo extraxerit reum qui illuc confugerat, et quasi ad illum appellaverat. Hunc Dei et templorum ejus honorem inducunt, quasi causam præcipuam juris asyli, sive S. Chrysostomus, cit. *Homilia in Eutropium,* n. 3, sive Theodosius, cit. constitutione an. 431, sive multi canones, v. g., cit. can. *Reum,* 9, caus. XVII, q. IV. — Quæ causa eo magis movit homines, quod :

[1] *Instructio* S. Officii, apud *Acta S. Sedis,* t. VI, p. 433.

[2] Cf. Piatum *In const. Apostolicæ Sedis,* in hunc art., Tornaci, 1884, p. 162.

a. Apud multos populos, idem honor tributus erat et tribuebatur multis falsorum deorum templis, et etiam statuis imperatorum, ut dictum est;

b. In plerisque gentibus excultis, idem honor tribuebatur ædibus legati alterius principis, ita ut hæ ædes, cum certo licet moderamine, tutum præberent asylum confugientibus[1] : quæ immunitas remanet adhuc hodie, in quibusdam regionibus, pro certis delictis[2].

Unde, statim ac libertas Ecclesiæ concessa est a Constantino, jus asyli ortum est in favorem templorum christianorum, quin necessaria fuerit aliqua lex canonica aut civilis.

2° Causa *secundaria* et *relativa* reponenda est in *specialibus adjunctis* temporum illorum, nempe medii ævi, præcipue in *vindictæ privatæ insolentia*, et *justitiæ publicæ excessibus*. Nam :

a. Sicut necessitas vitandi vindictam privatam causa fuit aperiendi apud Judæos *civitates refugii*, ut patet ipso sacro textu (Josue, xx, 3), sic et eadem necessitas, tempore perturbationum medii ævi nascentis et labentis, suasit Ecclesiæ ut iis omnibus qui vindictæ privatæ obnoxii essent, plurima loca refugii aperiret.

b. Non deerat quidem *justitia* seu *vindicta publica;* sed *nimis prompta* erat et *dura : nimis prompta*, unde nec reis dabatur tempus parandi defensionem, nec præsertim, quod vehementer commovebat Ecclesiam, tempus pœnitentiæ ad salutem æternam; *nimis dura*, quia frequentissima erat pœna mortis, aut, quod forte durius erat, mutilationis. Quibus omnibus malis occurrit Ecclesia per disciplinam

[1] De quo cf. Olivi, in *Revue catholique des institutions et du droit,* fasc. sept. et oct. 1886; — Vattel, *le Droit des gens,* liv. IV, c. IX, Leide, 1758, t. II, p. 157 sq.

[2] V. g., in republica Peruana, pro delictis *politicis;* cf. cit. *Revue,* p. 267.

asyli, qua minora crimina non sine pœna dimittebantur, majora vero, pœna quidem capitali plectebantur, sed post sufficiens et pro defensione et pro pœnitentia concessum spatium temporis. Unde illa disciplina hunc mirabilem effectum, quo nunc fruimur, operata est, ut nempe passim vindicta privata quiesceret, publica mitesceret [1].

59. — Origo juridica juris asyli. — Dictum est supra de origine *historica;* nunc agitur de origine *juridica;* quæritur scilicet quo jure nitatur disciplina asyli. De quo sunt quinque opiniones brevissime exponendæ :

Prima opinio. — Juxta illam disciplina asyli *ipso jure naturali* fundatur, propter honorem Deo et templis ejus debitum, ut supra (n. **58**) dictum est, in exponenda causa principali et absoluta juris asyli. Ita plures apud Del Bene, *De immunitate,* c. XVI, dub. 2, n. 2.

Secunda opinio. — Juxta illam, hæc disciplina nititur, non quidem naturali jure, sed *jure divino positivo.* — Constat : 1. Veteri lege qua, ut dictum est supra (n. **47,** 6°), reis refugia aperta sunt, nempe plures civitates, et etiam, ut deduci videtur ex Num., XXI, 13-14, ipsum tabernaculum et templum Dei; — 2. Cap. *Quamquam,* 4, De censibus, in VI, in quo legitur : « Cum igitur *ecclesiæ,* ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, *non solum jure humano, quinimo et divino,* a sæcularium personarum exactionibus sint immunes; » — 3. Conc. Trid., cap. *Cupiens,* 20, sess. XXV, De ref. : « *Ecclesiæ,* et personarum ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione* et canonicis san-

[1] Cf. Zech, *loc. cit.,* §§ 34-42, p. 305-314; — Barthel, *loc. cit.,* §§ 8-12, p. 475 sq. Juxta quosdam, jus asyli venit ex eo quod olim Ecclesia putaverit *injustam* esse pœnam mortis reis inflictam : quod omnino falsum est (Zech, *ibid.,* p. 305-306).

ctionibus constitutam. » — Ita Decius, Tuschus, Farinaccius, etc.[1].

Tertia opinio. — Juxta illam, jus asyli ex *solo jure civili* ortum habuit et *illo solo jure* nititur, quod probatur ex ipsamet historia hujus disciplinæ (supra, n. **47**). — Ita Van Espen, *De asylo templorum*[2]; Hahn, opere supra (n. **47**) citato[3]; Vigil, in opere *Defensa de la autoridad*, etc. [4].

Quarta opinio. — Juxta illam, jus asyli *ortum est simul ab utroque jure*, civili et canonico, *et utroque simul nititur*, utpote *materia mixta*. — Ratio est quia, ex una parte, potestati spirituali cura et jus incumbit tuendi sanctitatem templi, ne profanetur; et, ex altera parte, negari nequit quin etiam principi et magistratui sæculari officium incumbat providendi securitati publicæ per justam criminosorum punitionem. — Ita D. Icard, *Prælectiones juris canonici*, n. 565[5].

Quinta opinio. — Juxta hanc sententiam, cui suscribo, tria dicuntur :

1° *Historice*, ut supra dictum est (n. **47**), disciplina asyli orta est ex *consuetudine*, urgentibus causis ibi expositis ; quam deinde consuetudinem firmavit utrumque jus, ut ex dictis patet.

2° Disciplina asyli non est *materia mixta*, sed a solo jure canonico pendet. — Ratio est quia quidquid pertinet ad cultum Dei et venerationem ei habendam constituit *objectum directum* potestatis ecclesiasticæ, in quo *jure exclusivo* fruitur. Atqui profecto hujusmodi est disciplina

[1] Apud Schmalzgrueber, in tit. *De immunitate eccl.*, n. 92.

[2] Cap. VI, *loc. cit.*, p. 79.

[3] Apud Schmidt, t. V, p. 438-440.

[4] Ut ipse narrat Pius IX, in Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851, Pii IX *Acta*, t. I, p. 280.

[5] Ed. 1893, t. II, p. 475.

asyli; confugium enim illud ad domum Dei et quasi appellatio ad ejus clementiam, de se refertur ad cultum Dei et honorem templorum ejus. — Et vero, si hæc materia esset *mixta*, æque ad potestatem sæcularem et potestatem ecclesiasticam pertinens, posset utique sæcularis potestas *alia crimina excepta* indicere, vel alium modum extrahendi reos imponere. Atqui, ut patet ex tribus bullis pluries allegatis, hoc penitus rejicit et annullat Ecclesia, imo et pœnis plectit. Unde sensus ejus est *ad ipsam exclusive* pertinere jus de asylis templorum decernendi. — Ita gravissimi doctores et communis opinio[1].

3° Utique ad potestatem sæcularem incumbit jus, imo et officium, providendi securitati publicæ, et ne quid detrimenti respublica capiat ex refugio criminosorum in ecclesias. — Verum ex hoc tantum sequitur potestatem sæcularem agere posse apud Rom. Pontificem, ut vel alia crimina excipiat, vel modum extraditionis mutet, vel indulta concedat, uti fecere multi reges sæculis præteritis, de quibus loquitur Greg. XIV, cit. const. *Cum alias*, princ., sicut etiam fecere plures, sæculo XVIII, qui bullam Clementis XII, primo editam pro ditione pontificia, petierunt ad sua regna extendi, ut supra dictum est (n. **52**).

60. — *Solvuntur argumenta adversariorum.*

Ad argumentum primæ opinionis : Licet disciplina asyli sit *valde consentanea* juri naturali, *non tamen jure naturali exigitur,* quia extractio rei a templis, facta jussu judicum aut principum, sine loci sacri contemptu, *non est intrinsece mala;* alioquin nunquam licita fieri posset, nec cum licentia Ecclesiæ.

[1] Suarez, *De religione*, tract. II, lib. III, c. VIII, n. 14; — Reiff., *loc. cit.*, n. 78; — Schmalzg., *loc. cit.*, n. 105; — Fagnan, in cap. *Inter alia*, 6, *De immunitate eccl.*, n. 36-38; — Barthel, *loc. cit.*, n. 45, etc. etc.

Ad arg. secundæ opin.: Ad 1. Lex mosaica, quoad *ritualia* et *liturgica*, omnino suppressa est, juxta omnes; — Ad 2. In cap. *Quamquam*, non agitur de immunitate *locali*, sed tantum de *reali*, ut patet ipso textu; — Ad 3. Verba *ordinatio Dei* non indicant strictum præscriptum, sed congruitatem et decentiam.

Ad arg. tert. opin.: Ista opinio reprobata est in Pii IX litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851[1], in quibus damnavit cit. opus Vigil. Unde et damnata propositio XXX, in Syllabo[2]. Facta autem historica tantum demonstrant potestatem civilem recognovisse jus asyli jam consuetudine introductum, quod sua etiam auctoritate deinceps firmavit Ecclesia.

Ad arg. quartæ opin., jam responsum est[3].

§ 8. De jure asyli hodiernis temporibus.

61. — 1° In Gallia, Franciscus I, edicto an. 1539 (*Ordonnance de Villers-Cotterets*, art. 166)[4], dedit potestatem judicibus sæcularibus decernendi capturam rei, etiam ejus qui confugisset in ecclesiam, servatis cæteroquin legibus canonicis et civilibus de criminibus exceptis vel non. — Hoc edictum occasio fuit ut brevi labefactaretur et paulatim periret tota disciplina asyli, ut notant Van Espen[5] et Thomassinus[6]. Unde, a longo jam tempore, in Gallia, non amplius locus est immunitati asyli.

2° In Austria, diutius permansit jus asyli. In concor-

[1] Pii IX *Acta*, t. I, p. 280.
[2] *Ibid.*, t. III, p. 707.
[3] Cf. etiam Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, t. I, p. 645-652.
[4] Isambert, *Recueil général des anciennes lois françaises*, t. XII, p. 634.
[5] *De asylo templorum*, c. VII, § 5, *loc. cit.*, p. 82-83.
[6] *Loc. cit.*, c. C, n. 8-9.

dato cum Austria, an. 1855, art. 15, statuitur : « Ut honoretur domus Dei, qui est Rex regum et Dominus dominantium, *sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea quæ justitia exigit fieri sinant*[1]. » Verum, ab anno 1875, juxta Vering[2], jus asyli habetur ut suppressum. — Sic, juxta eumdem, in Sardinia, Bavaria, etc.

3° In concordato cum Republica Equatoris, an. 1862, art. 10, statuitur : « Ut honoretur domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus dominantium, *sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea quæ justitia exigit fieri sinant,* atque in hoc casu S. Sedes consentit, ut auctoritas ecclesiastica, parochi, nec non prælati domorum regularium, *ad Gubernii petitionem, tribuant veniam, ut extrahantur qui ad sanctas ædes confugerint*[3]. » Quod idem de verbo ad verbum repetitur in alio cum eadem Republica concordato, an. 1881, art. 10[4].

4° Quidquid egit fere ubique potestas civilis, Sancta Sedes, ut dictum est supra, n. **55,** renovavit, in const. *Apostolicæ Sedis,* an. 1869, pœnam contra violantes immunitatem asyli, et proinde renovavit etiam disciplinam asyli, ut etiam confirmatur ex duplici responsione Congr. S. Officii, tum 15 junii 1870[5], tum 22 dec. 1880[6]; imo prædicta constitutio an. 1869, circa finem, § *Decernentes* et *Non obstantibus,* suppressit contrarias *consuetudines*

[1] Nussi, *Conventiones inter S. Sedem et civilem potestatem,* Moguntiæ, 1870, p. 313.

[2] Vering, *Droit canon,* trad. Bélet, Paris, 1881, t. II, p. 535.

[3] Nussi, *loc. cit.,* p. 352.

[4] *Conventiones inter S. Sedem et civilem potestatem* sub Leone XIII, Romæ, 1893, p. 6. — De jure asyli in variis regionibus, cf. etiam Hinschius, *Kirchenrecht,* t. IV, p. 395-398.

[5] *Acta S. Sedis,* t. VI, p. 433-436.

[6] *Ibid.,* t. XV, p. 536-539.

etiam immemorabiles, quas *abusus* declaravit et proinde reprobavit. Unde remanet lex asyli. Verum, de facto, quum eam non recognoscat potestas civilis, rei non amplius confugiunt in ecclesias, ubi facilius et securius caperentur, et sic fere non est locus immunitati asyli.

CAPUT IX

DE BASILICIS

62. — Hierarchia ecclesiarum. — Sicut clerici, ita et ecclesiæ ordine quodam hierarchico constituuntur : quæ hierarchia, si incipias a dignioribus ecclesiis, sic statuitur :

1° Ecclesiæ *patriarchales* Urbis, seu Basilicæ majores.

2° Ecclesiæ *cathedrales*, quæ nempe sunt sedes alicujus episcopi : quæ iterum sunt vel patriarchales (aut primatiales), vel metropolitanæ, vel simpliciter cathedrales, prout episcopus est vel patriarcha (aut primas), vel metropolitanus, vel simpliciter episcopus[1]. His assimilantur ecclesiæ quæ sunt sedes prælatorum *Nullius*, quæ vocari possint *quasi cathedrales*.

3° Ecclesiæ *abbatiales*, quæ nempe sunt sedes alicujus abbatis : quæ iterum sunt sæculares vel regulares, prout abbatia pertinet ad sæculares vel Regulares.

4° Ecclesiæ *collegiatæ*, quibus nempe adscriptum est collegium canonicorum, auctoritate competente institutum; quarum aliæ sunt *insignes*, aliæ simpliciter collegiatæ.

[1] De præcedentia ecclesiarum cathedralium inter se, cf. Frances, *De ecclesiis cathedralibus*, c. XXXIII, Venetiis, 1698, p. 367.

5° Ecclesiæ *parochiales*, quæ scilicet sedes sunt alicujus parochiæ.

6° Ecclesiæ *regulares*, quæ sunt ecclesiæ propriæ regularium, quæ ipsorum conventibus annexæ sunt, et tamen populo fideli patent.

7° Demum *ecclesiæ* simpliciter dictæ, quæ nempe pro publico fidelium usu ædificatæ sunt, sed nullam prædictarum speciem ingrediuntur, v. g., ecclesiæ in territorio alicujus parochiæ erectæ, in commodum parochianorum ab ecclesia parochiali dissitorum [1].

Hic tantum agendum de *basilicis*, quia, de cæteris, locis suis agitur; basilicæ autem sunt *majores* vel *minores*.

63. — Basilicæ majores. — *Basilicæ majores* seu *patriarchales* dicuntur quatuor ecclesiæ Romæ extantes, nempe : Basilica *Lateranensis*, seu Salvatoris, seu S. Joannis in Laterano; — Basilica *Vaticana*, seu S. Petri; — Basilica *S. Pauli extra muros;* — Basilica *Liberiana*, seu S. Mariæ ad Præsepe. De quibus hæc dicenda :

1° Basilica Lateranensis est ecclesia cathedralis ipsius Romani Pontificis, et ideo primum locum tenet super omnes omnino ecclesias, etiam super Vaticanam, ut aliunde declaraverunt tum Gregorius XI, const. *Super universas*, 13 jan. 1372 [2], tum S. Pius V, const. *Infirma ævi*, 21 dec. 1569 [3]. — Controvertitur autem utrum sola constituat Cathedram R. Pontificis, vel potius hanc constituant omnes simul quatuor basilicæ patriarchales, quasi partes unius totius, ad modum quo plura membra constituunt unum corpus; quæ controversia in jure indecisa remanet [4].

[1] Hinschius, *Kirchenrecht*, § 214, t. IV, p. 306-314.
[2] *Bull. Rom.*, t. III, part. II, p. 335.
[3] *Ibid.*, t. IV, part. III, p. 87.
[4] Juxta doctissimum card. de Luca, *Miscellan.*, disc. I, n. 26, *Opera*,

2° Quidquid id est, sat convenit inter doctores has basilicas vocari *Patriarchales*, quia habentur ut ecclesiæ quatuor patriarcharum, nempe basilica Lateranensis ut ecclesia R. Pontificis, qui est patriarcha totius Occidentis; basilica Vaticana, ut ecclesia patriarchæ Constantinopolitani; basilica S. Pauli, ut patriarchæ Alexandrini; basilica Liberiana, ut patriarchæ Antiocheni; quibus ideo quidam addunt basilicam S. Laurentii extra muros, ut ecclesiam patriarchæ Hierosolymitani. Unde hæ quatuor vel quinque basilicæ patriarchales, Romæ extantes, quasi referunt imaginem universalitatis simul et unitatis Ecclesiæ [1].

3° Hæ quatuor basilicæ majores magnis ditantur privilegiis; in earum altari principali soli Romano Pontifici fas est sacra mysteria celebrare, nec ulli alii sine expressa licentia R. Pontificis, singulis vicibus renovanda; unde hoc altare vocatur *papale*. Habent insuper privilegium *portæ sanctæ*, quæ non aperitur nisi anno jubilæi, et a solo R. Pontifice, aut a cardinali ad hoc delegato [2]. — Tres basilicæ, quæ in ipsa Urbe sitæ sunt, habent unaquæque rectorem, nempe cardinalem archipresbyterum, qui tenetur sibi assumere vicarium [3]. Quarta autem, nempe basilica S. Pauli extra muros, habet rectorem abbatem regularem *Nullius* ordinis S. Benedicti, Montis Cassinensis, cui in auxilium dantur plures monachi ejusdem Congregationis [4].

Romæ, 1672, t. XIV, part. 4, p. 7; *De præeminentiis*, disc. XV, n. 7, *Opera*, Romæ, 1669, t. III, part. II, p. 82; cf. etiam *De præeminentiis*, disc. XLI, n. 3, 4, 17, p. 6-10.

[1] Cf. Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. I, lib. I, c. IX, n. 1-2, Bar-le-Duc, 1864, t. I, p. 56-57.

[2] Cf. Moroni, *Chapelles papales*, Paris, 1846, p. 153-165; cf. p. 417-419.

[3] De cujus institutione, officiis et juribus, cf. Andreucci, *De vicariis basilicarum Urbis*, in ejus *Hierarchia*, lib. I, tract. VI, Romæ, 1766, t. I, p. 247-271.

[4] Privilegia basilicæ Vaticanæ quasi in unum collegit Benedictus XIV, in const. *Ad honorandam*, 27 martii 1752, *Bull. Bened.*, t. III, n. 59. —

— Basilicæ majores habent insuper tria privilegia basilicarum minorum, de quibus statim.

64. — Basilicæ minores. — *Basilicæ minores* intelliguntur quædam ecclesiæ, quibus R. Pontifex communicat plura ex privilegiis basilicarum patriarchalium, et quæ idcirco titulo præfato condecorantur. — Octo sunt hujusmodi basilicæ Romæ extantes [1] (præter prædictam basilicam S. Laurentii *extra muros*); extra Romam autem sat multæ sunt ecclesiæ hoc titulo *basilicarum minorum* decoratæ, et quidem ex omni genere ecclesiarum, nempe cathedrales, collegiatæ, parochiales, regulares. — De quibus hæc dicenda :

1° Quando aliqua ecclesia ad dignitatem basilicæ minoris erigitur, clausula in Litteris erectionis adhiberi solita, hæc est : « ... cum omnibus *privilegiis*, *gratiis*, *præeminentiis*, *exemptionibus*, *indultis*, *quibus aliæ hujusmodi basilicæ uti solent*... » — Porro his verbis tria privilegia indicantur, nempe jus *conopæi*, *tintinnabuli*, et *cappæ magnæ*, ut constat auctoritate S. Congregationis Rituum, in *Lucerina*, 27 aug. 1836 [2], in qua « declaravit nomine privilegiorum, gratiarum, præeminentiarum, exemptionum, indultorum, ceterorumque similium, quæ continentur in litteris apostolicis in forma brevis expeditis favore alicujus ecclesiæ ad gradum basilicæ minoris elevatæ, venire *conopæum, omni tamen auri et argenti ornato ab eo excluso, tintinnabulum, et usum cappæ magnæ* [3] ».

Hæc autem privilegia in extenso videas in *Collect. Bull. basilicæ Vaticanæ*, 3 vol. in-folio, Romæ, 1747.

[1] Quarum nomina videas apud Moroni, *loc. cit.*, p. 417.

[2] *Decreta auth.*, n. 2744, t. II, p. 264.

[3] Vide brevia erectionis basilicarum : pro ecclesia metropolitana Parisiensi, 27 feb. 1805, *Bull. Rom. cont.*, t. XII, p. 268; pro ecclesiis Parmensi, Lucerina et Vercellensi, an. 1834, *ibid.*, t. XIX, p. 641, 651, 657;

2° *Conopæum* est magnum umbraculum instar tabernaculi (*tente*) dispositum, longis deductum fasciis linteis, alternantium colorum flavi et rubri [1]. — Quoad *cappam magnam*, qua decorantur canonici basilicæ sic erectæ, ait Gardellini : « In vestibus vero choralibus cappa magna pellibus armellinis ornata in anteriori parte, per hiemem, et cotta super rocchettum, cum cappa deponitur, per æstivum tempus [2]. »

3° Ecclesia erecta in basilicam minorem remanet in suo ordine, v. g., ecclesiarum parochialium vel collegiatarum, et ideo nullam acquirit præeminentiam super ecclesiam ordinis superioris; sic collegiata, licet erecta in basilicam, non præcedit cathedrali. Unde, in brevibus pontificiis erigentibus ecclesias parochiales aut collegiatas in basilicas minores, sæpe apponuntur restrictiones quoad usum ornamentorum, ne scilicet quid detrimenti capiat ecclesia superior [3].

4° Singularem mentionem meretur ecclesia regularis S. Francisci, Assisii sita, quæ a Benedicto XIV erecta est in *basilicam patriarchalem* et *capellam papalem*, in qua summo Pontifici reservavit duo altaria, quæ *papalia* esse et vocari jussit, ad modum *altaris papalis* in romanis basilicis. Unde et basilica Assisiensis affinis est majoribus Urbis basilicis. — Const. *Fidelis Dominus*, 25 martii 1754, § 5-6 [4].

pro ecclesia S. Clotildis, Parisiis, 29 apr. 1897, *Canoniste*, t. XXII, an. 1899, p. 678.

[1] Moroni, *loc. cit.*, p. 347. Basilica Lateranensis, ob suam præeminentiam super omnes basilicas, habet duas cruces, duo conopœa et duo tintinnabula (Moroni, *ibid.*).

[2] In *Nota* ad cit. *Lucerinam*, *Decreta auth.*, t. IV, p. 359.

[3] Sic factum est in *Calatayeronen.*, 25 martii 1817; *Decreta authentica*, n. 2575, t. II, p. 168.

[4] *Bull. Bened.*, t. IV, n. 32.

TITULUS II

DE ORATORIIS

CAPUT I

DE ORATORIIS PUBLICIS [1]

§ 1. De natura oratorii publici.

65. — Notio oratorii publici. — Oratorium publicum est *ædes cultui divino ab episcopo in perpetuum dicata, januam habens viæ publicæ adjacentem, ita ut omnibus jure pateat ingressus.* Vocatur etiam *capella publica.* — Dixi :

1° *Cultui divino* (nempe præcipue celebrationi missæ) *in perpetuum dicata;* in quo differt ab oratorio domestico, quod, ad nutum domini, converti potest in usus profanos.

[1] Cf. de Bonis, *De oratoriis publicis,* ad calcem op. Assemani, *De ecclesiis,* Romæ, 1766; — Fr. a Mostazo, *De causis piis,* lib. V, c. x, Venetiis, 1735, part. II, p. 77 sq.; — Gatticus, *De oratoriis domesticis,* c. III. Romæ, 1770, p. 10.

2° *Ab episcopo* dicata; erectio enim ab episcopo est de essentia oratorii publici. Unde differt ab oratorio *domestico*, in quo missa celebrari nequit sine indulto R. Pontificis.

3° *Januam habens viæ publicæ adjacentem;* hoc enim est elementum necessarium oratorii publici, in sensu qui infra exponetur.

4° *Ita ut omnibus jure pateat ingressus.* Non enim sufficit ut oratorium habeat januam materialiter adjacentem viæ publicæ; multæ enim domus habent januam sic viæ publicæ adjacentem, et tamen non sunt domus publicæ; requiritur ergo omnino ut omnibus liber sit, et quidem jure, ingressus in oratorium; cujus liberi ingressus janua publica non est nisi condicio requisita, et signum. Quæ omnia magis infra patebunt.

His quidem omnibus elementis oratorium publicum congruit cum ecclesia; verum ab ea differt, ut dictum est supra (n. **3**), in eo quod ecclesia eo potissimum fine ædificata sit, ut publico populi fidelis usui inserviat, dum oratorium, licet pateat omnibus fidelibus, attamen erectum est præcipue pro usu alicujus familiæ privatæ, vel alicujus confraternitatis, aut communitatis.

66. — De publico oratorii ingressu. — *Ut oratorium sit publicum, requiritur ut janua viæ publicæ adjaceat, vel saltem, si ad januam perveniri nequeat nisi per atrium, aream, etc., ut hæc area, hoc atrium, sint publici juris.* — Constat :

1° *Perpetua jurisprudentia Sacrarum Congr. Romanarum.* — Sic, ut in re gravis momenti unam vel alteram resolutionem afferamus :

a. S. Congr. Conc., in *Tusculana,* 13 nov. 1626, hæc jussit : « S. C. censuit capellam per D. cardinalem Bevi-

lacqua construendam in villa nuncupata Tusculana, si construatur *in loco ad quem omnibus pateat aditus*, nec habeat aditum vel prospectum ullum in privatas ædes, dictusque Illustrissimus *publico instrumento se obliget, semitam, qua itur ad capellam prædictam, cuicumque liberam in perpetuum servare atque illius dominio et juri renuntiet*, edicto de privatis oratoriis hac de re edito non comprehendi, ibique de licentia Ordinarii posse missas celebrari[1]. »

b. Eadem S. Congr., in *Vercellen.*, 3 aug. 1685, oratorium Castri Catellengi, quod, licet intra mœnia Castri situm, attamen ab immemorabili tempore patebat omnibus fidelibus, qui illuc libere concurrebant ad audiendam missam, declaravit *publicum*[2].

c. Eadem S. Congr., in *Savonen.*, 28 junii et 19 aug. 1724, oratorium, ad quod fideles non poterant accedere nisi per *aream* quamdam, de cujus privato vel publico dominio controvertebatur, declaravit *publicum* « facta per senatorem imperialem (qui dicebatur areæ dominus) in publico instrumento declaratione se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, necnon quod claves tam ecclesiæ quam areæ prædictæ retineantur a capellano »[3]. — Cf. etiam ejusdem Congr. resolutionem in *Nitrien.*, 12 feb. 1735, in cujus causæ discussione multa documenta in eodem sensu allata sunt[4].

d. Et eadem est jurisprudentia S. Congr. Ep. et Reg., ut patet ex celebri causa *Placentina*, 14 nov. 1626, in qua declaravit oratorium quoddam esse publicum, *si*

[1] Hanc resolutionem ex libro XIII *Decret. S. C. C.* refert Gatticus, *loc. cit.*, p. 12.

[2] Hanc causam, licet antiquiorem, videas in *Thesauro S. C. C.*, t. III, p. 65.

[3] *Thesaurus S. C. C.*, t. III, p. 53, 72.

[4] *Ibid.*, t. VII, p. 17-20.

patronus cederet juri quod habebat in situ ante illius portam[1].

c. Idem dicas de S. Congr. Rituum, ex ejus resolutione in *Suessionen.*, 22 julii 1855, supra relata, n. **3**, et ejusdem *Decreto*, 23 jan. 1899, in quo hæc habet[2] : « Constat porro oratoria publica ea esse quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, *januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum*[3]. »

2° *Declarationibus Romanorum Pontificum.* — Sufficiat allegare litteras Clementis XII ad episcopum Placentinum, quam referunt omnes doctores[3] : « Fraternitati tuæ per præsentes committimus et mandamus, ut, si capella prædicta *publico in loco sita sit, ejusque porta viæ publicæ adjaceat*,... capellam hujusmodi sub prohibitione de mandato f. r. Pauli PP. V, Prædecessoris Nostri, de non celebrando in oratoriis privatis publicata, minime comprehensam declarantes, etc. » Allegantur multa alia a Doctoribus[4], ita ut hæc nostra propositio sit omnino certa.

Dixi : ... *Viæ publicæ...;* S. Congregationes non explicaverunt sensum horum verborum, quia nempe supponebant hunc sensum notum esse ex vi ipsorum vocabulorum et ex jure romano; juxta enim jus romanum, ille locus publicus est, qui *in publico usu habetur*, vel *publico usui destinatur*, vel *ad usum omnium pertinet*, ex l. *Sed Celsus*, 6; l. *Pacta*, 72, ff. *De contrahenda emptione*

[1] Hanc refert Ferraris, v° *Oratorium*, n. 86.

[2] *Decreta authentica*, n. 4007, t. III, p. 355.

[3] De Bonis, c. XVIII, n. 328, p. 323; — Gatticus, c. III, n. 4, p. 11.

[4] Cf. de Bonis, c. II et XVIII; — Gatticus, *ibid.*; — Ferraris, v° *Oratorium*, n. 86-91; — Fagnan, in cap. *Auctoritate* (27, De censibus), n. 11-27.

(XVIII, 1); l. *Quilibet*, 1, ff. *De locis et itineribus publicis* (XLIII, VII), et alibi[1]. Unde, si forte via seu semita ducens ad oratorium sit adhuc in dominio privato, jubent dominum renuntiare solemniter huic dominio, ut probant plura ex allegatis exemplis. — Quod autem facit renuntiatio, idem præstare potest præscriptio, ut patet.

67. — Exceptio legi apponenda. — Unus casus exceptus est olim a lege *publici ingressus*, nempe quando oratorium erectum erat *in titulum beneficii*, proinde perpetui; tunc enim, licet oratorium totaliter fuerit in dominio privato, nullam habens januam aut aditum publicum, attamen recognoscebatur ut publicum. — Constat pluribus decisionibus S. Congr. Conc., v. g., in *Compsana*, 3 maii 1704[2]; in *Neritonen.*, 19 feb. 1619[3], etc. Ratio est quia, posita erectione beneficii, sufficienter habebatur oratorium ut divino cultui in perpetuum dicatum, et ecclesiasticæ administrationi subjectum. Et ita, Romæ, notissimum oratorium in palatio Altemps erectum, semper habitum fuit ut publicum, ob conjunctum beneficii titulum[4], et ita etiam hodie. — Attamen, ab initio sæculi XVII, prohibitum est a S. Congr. Conc., ne deinceps hujusmodi oratoria erigerentur, in *Eugubina*, 23 julii 1616[5].

68. — De privato oratorii ingressu. — *Privatus ingressus, modo aliunde sit alter ingressus publicus, nocere non videtur publicitati oratorii.*

[1] Cf. de Bonis, c. I, n. 9 sq.
[2] *Thesaurus S. C. C.*, t. III, p. 64.
[3] Quam habes apud de Bonis, c. XVIII, n. 334, p. 324, cum pluribus aliis, n. 333.
[4] De Bonis, c. XVIII, n. 332.
[5] *Ibid.*, n. 337.

Declaratur propositio. Concilium Trid., decreto *Quanta cura,* sess. XXII, *De observandis et vitandis in celebratione missæ*, jussit ne episcopi patiantur *privatis in domibus* sacrosanctum missæ sacrificium celebrari. Porro quidam auctores dicunt oratorium, quod habet ingressum in ædes privatas per januam interiorem, cadere sub Tridentina prohibitione, quippe quod, ob istam communicationem, esse videatur *in privatis domibus.* Sic Barbosa, qui nec permittit in oratorio publico fenestram in ædes privatas apertam[1]. Imo, ut ex documentis n. **66** allegatis constat, non semel S. Congr. Conc. hos ingressus privatos proscripsit.

Certa tamen *sufficienter* videtur propositio : 1. Nulla lex generalis allegari potest, nec ullus decretalium textus, qui prohibeat talem privatum ingressum; decretum enim Trid. *Quanta cura*, quidquid dicit Barbosa, non est sufficienter clarum aut explicitum: toto enim cælo differt oratorium cum publico ingressu ab illis oratoriis domesticis, quæ prohibet hoc loco concilium; — 2. Revera privatus ingressus nullo modo tollit aut etiam minuit *publicum ingressum,* in quo præcipue stat publicitas oratorii; et hoc privato ingressu valde delectantur patroni aut fundatores oratoriorum, quos ad has fundationes allicere oportet; — 3. Ita docet communis opinio doctorum, quos inter hac in re doctissimi Gatticus[2] et de Bonis[3], qui longe lateque demonstrant præfatam propositionem. — Unde, nisi in casu aliud præscribat Sacra Congr. Conc. (ut in exemplis allatis), aut ipse episcopus, a quo peti-

[1] In *Tridentinum,* in hoc decr. *Quanta cura,* n. 22, Lugduni, 1642, p. 167; — ita etiam, sed magis dubitans Fr. a Mostazo, *loc. cit.,* n. 11 sq.

[2] *Loc. cit.,* c. III, n. 9 sq., p. 14.

[3] *Loc. cit.,* c. II, n. 21 sq.; c. XVIII, n. 344 sq.

tur approbatio oratorii, tenendum est privatum ingressum non nocere publicitati oratorii.

N. B. — Quod dictum est de *janua*, idem dicas de *fenestra* in privatas ædes prospiciente.

69. — Signa publicitatis oratorii. — Præcipua signa sunt :

1. *Publicus ingressus*, de quo jam dictum est.

2. *Titulus beneficii* annexus, ut dictum est.

3. *Campanile cum campana*, nempe ad vocandos ad divina officia fideles; attamen, quidquid dicunt aliqui[1], campana non est *necessaria* ad hoc, ut publicum sit oratorium.

4. *Altare fixum* seu immobile; non enim solent hujusmodi altaria erigi in oratoriis domesticis, quæ facile convertuntur in usus profanos.

5. *Dos assignata oratorio;* non enim assignatur dos oratorio domestico, quod cultui divino in perpetuum non dicatur.

6. *Titularis assignatus oratorio*, cujus festum celebretur quotannis; item *festum dedicationis celebrari solitum*, et alia hujusmodi, quæ demonstrent oratorium fuisse consecratum. — Oratoria enim domestica non consecrantur.

Porro primum signum est et *necessarium* (in sensu exposito), et *sufficiens;* secundum est *sufficiens*, sed *non necessarium;* alia nec necessaria nec sufficientia, sed, in casu dubii, valde prosunt ad demonstrandam publicitatem oratorii[2].

70. — Capella navis. — Si capella navis *locum fixum habeat* in navi, uti capella publica seu oratorium publicum habenda est. — Ita S. Rit. Congregatio, in *Vicen.*,

[1] V. g., Barbosa, *De jure eccl.*, lib. II, c. VIII, n. 11.

[2] De his signis, cf. de Bonis, c. XII.

4 martii 1901, ad 5; quum enim ab ea quæreretur : « 5. Utrum capellæ navium aut altaria in ipsis navibus erecta pro sacro litando debeant considerari ut oratoria publica vel privata, » respondit : « Ad 5. *Si capella locum fixum habeat in navi, uti publica pro navigantibus habenda est;* secus, neque publica est neque privata, sed habetur uti altare portatile[1]. » Ratio est quia, licet capella navis, locum fixum habens in navi, non sit tam firma et stabilis quam oratorium publicum hucusque descriptum, habet tamen suam stabilitatem et perpetuitatem; nata est enim tamdiu durare, quamdiu ipsa navis; ideoque S. Rit. Congregatio tenet eam ut publicam. — Unde etiam, cum in alia *Vicen.*, 10 maii 1901, ad eamdem S. Congregationem referretur : « Quum nuper declarata sit uti publica pro navigantibus capella fixa in navibus, et quum non raro contingat quod, dum naves in portu inveniuntur, familiæ navigantium et officialium, aliæque personæ, diversis ex causis, eas adeant, hodiernus capellanus primarius societatis Transatlanticæ Barcinonensis S. Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum : Utrum omnes qui in dicta capella missæ sacrificio adstant, illud audire valeant in adimplementum præcepti de Sacro in festis audiendo, » respondit : « *Affirmative, juxta decretum* Vicen., diei 4 martii 1901, absque speciali indulto[2]. »

§ 2. De erectione et benedictione oratorii publici, et hujus indole juridica.

71. — Requisita ad erectionem oratorii publici. — Tria communiter requiruntur ad erectionem oratorii publici,

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXIII, p. 679, vel *Canoniste*, t. XXIV, an. 1901, p. 487.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXXV, p. 110.

nempe *consensus episcopi*, *dos competens*, et *ut non cergat in detrimentum aliis ecclesiis*. — De quibus breviter dicendum :

1° *De consensu episcopi*. — Requiritur omnino consensus episcopi, ut constat supra (n. 4) allato canone Calcedonensi, in quo verba *oratorii domus*, ἐκκλησίας οἴκος, complectuntur, tum vi nominis, tum universali interpretatione, non tantum ecclesias, sed etiam quaelibet oratoria publica, quae tunc vix distinguebantur ab ecclesiis. — Notandum tamen est, sufficienter adesse consensum episcopi, si, postquam utcumque fuerit aedificatum oratorium, illud erigat ad dignitatem oratorii publici, permittendo in eo celebrationem missarum.

2° *De dote competenti*. — Distinguunt communiter doctores :

a. Si oratorium *consecrandum* sit, dos ei competens necessario assignanda est. Constat allegatis supra (n. 5) cap. *Cum sicut*, 8. De consecratione ecclesiae, et cap. *Sancitum*, 1. De censibus : licet enim hi textus non loquantur nisi de *ecclesiis*, attamen extendi debent etiam ad *oratoria publica*, tum quia tempore quo conditi sunt hi canones, vix ecclesiae ab oratoriis distinguebantur : — tum propter *identitatem* rationis ; cum enim oratorium consecratum nunquam possit converti in usus profanos, in tuto ponenda est ejus conservatio per dotis assignationem.

b. Si oratorium tantum *benedicendum* sit, dos stricte dicta non requiritur. Licet enim sola *benedictio* sufficiat, ut in perpetuum cultui divino dedicetur oratorium, attamen, fatentibus omnibus, oratorium tantum benedictum facilius converti potest in usus profanos, non quidem privata auctoritate, sed permittente episcopo, qui id ex gravi

[1] De Bonis, c. x, n. 165.

causa concedere potest[1], imo debet, si oratorium non sit amplius aptum ad celebrationem divinorum. Unde sufficit, in erectione oratorii, si fundator aut patronus se obliget ad præbenda necessaria oratorio erigendo; quod si, decursu temporum, patronus deficiat in adimplenda obligatione, episcopus interdicto subjiciet oratorium. Ideoque non dos stricte dicta, sed tantum *obligatio subventionis* requiritur. Et ita doctissimi viri[1].

3° *De requisito ut novum oratorium detrimentum non afferat extantibus ecclesiis*, idem dicendum est ut supra (n. **6, 7, 8**) de ecclesiis ædificandis. Notandum tamen est non solere haberi ut nocumentum grave illam imminutionem sive concursus fidelium sive eleemosynarum, quæ quasi necessario sequitur ex erectione novi oratorii; quod nocumentum compensatur bonis quæ oriuntur ex hujusmodi erectione[2]. Cæterum in concedenda licentia ædificandi oratorium, semper in tuto ponuntur *jura parochialia*.

72. — Consecratio aut benedictio oratorii.

1° *Consecratio.* — Nemini dubium esse potest quin possit *consecrari* oratorium, et exempla non desunt sive olim sive hodie oratoriorum consecratorum. Hac autem consecratione posita, duo, inter alia, sequuntur :

a. Anniversarium dedicationis hujus oratorii celebrari debet quotannis, eodem modo ac dictum est pro ecclesiis, supra, n. **16.** — Constat : 1. Eisdem textibus, aut potius eadem consuetudine, quæ non distinxit inter ecclesias et oratoria publica; — 2. Nova S. Rit. Congregationis decisione quæ finem imposuit difficultatibus ex veteribus deci-

[1] De Bonis, c. x, n. 152 sq.; — C. Petra, *In const. II Paschalis II*, sect. I, n. 95, t. I, p. 223; — Monacelli, *Formularium*, tit. VI, form. 10, n. 4, Romæ, 1713, t. I, p. 148.

[2] De Bonis, c. xx, n. 376 sq.; — Monacelli, *ibid.*, formula 10, n. 8 sq.

sionibus ortis; hæc decisio data est in *Marianopolitana*, 29 nov. 1878, in qua responsum est : « Dummodo oratorium (nempe capella principalis seminarii majoris) fuerit consecratum et non simpliciter benedictum, *celebrandum esse officium* tam sancti titularis quam *dedicationis*[1]. » Hæc decisio, quæ respicit oratorium semi-publicum, a fortiori valet pro publico.

b. Item festum sancti titularis celebrandum est eodem prorsus modo et ritu ac dictum est pro ecclesiis. — Constat ex dictis supra, n. **24.**

2° *Benedictio.* — Quia oratoria non solent tanta stabilitate frui ac ecclesiæ, raro consecrantur, et ideo recurritur ad *benedictionem.*

a. Datur obligatio saltem benedicendi oratoria. — Probatio hujus propositionis non caret difficultate, quia deest textus juris, hanc clare imponens obligationem; textus enim conc. Trid., decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis... in celebratione missæ :* « Neve patiantur (episcopi) privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et *ad divinum tantum cultum dedicata oratoria...* sacrificium (missæ) peragi, » textus hic, inquam, quidquid dicunt aliqui, non cogit, quia hæc verba *ad divinum tantum cultum dedicata* intelligi non debent de ritu liturgico, sed de mandato quo jubet episcopus oratorium destinari ad usus sacros, nec amplius usum profanum habere posse. Cæterum ipsamet deputatio oratorii ad usus sacros, facta ab episcopo, sufficit ut locus iste efficiatur religiosus et sacer, ut omnino constat ex cap. *Ad hæc*, 4, De religiosis domibus. Unde gravissimi doctores dicunt non urgere obligationem benedicendi oratoria[2].

[1] *Decreta auth.*, n. 3471, t. III, p. 99.

[2] V. g., Quarti, qui dicit hanc esse opinionem communem. *In rubricas Missalis romani*, part. III, tit. x, n. 1, sect. I, dub. 3, Venetiis, 1727, p. 382.

Dicendum tamen adesse obligationem saltem benedicendi oratoria publica. — Vera hujus obligationis origo ponenda est in illa consuetudine, de qua supra (n. **19**) dictum est, nempe *consecrandi* omnia loca in quibus celebrandum erat missæ sacrificium, quæ consuetudo complectebatur etiam oratoria, ut late probant doctores[1], sed quæ paulatim consecrationi substituit ritum minorem et breviorem, quem etiam simplices presbyteri perficere possent, nempe *benedictionem*. Hinc necessitatem hujus benedictionis *supponit*, potius quam *imponit*. Rituale romanum, tit. VIII, c. XXVII, in ipsa *rubrica* hujus capitis, quæ sic se habet : « Ritus benedicendi novam ecclesiam seu *oratorium publicum*, *ut ibi sanctissimum missæ sacrificium celebrari possit*. » Inde plures doctores[2] deducunt necessitatem benedictionis pro oratoriis publicis. — Hinc etiam S. Congr. Rit., de *oratorio publico alicujus cœmeterii publici*, archiepiscopo Capuano quærenti num benedici deberet, rescripsit : « *Affirmative*, *tanquam per publicum oratorium*. » In *Capuana*, 31 jan. 1887[3]. Quam suam jurisprudentiam eadem S. Rit. Congr., *Decreto generali*, 5 junii 1899, n. 2, magis determinavit firmavitque, declarans : « Ecclesias autem omnes esse ab episcopo... saltem benedicendas, *quemadmodum etiam oratoria publica*, sub formula in Rituali romano præscripta[4]. »

Duo tamen addenda putaverim : 1. Sicubi existat consuetudo non benedicendi oratoria publica, præsertim minoris momenti, ita tamen ut, ad normam conc. Trid. decreti

[1] V. g., Gatticus, *loc. cit.*, c. XII, p. 108 sq.

[2] V. g., Catalanus, *Rituale romanum*, tit. VIII, c. XXIX, princ., n. 1, 8, Patavii, 1760, t. II, p. 100-102; — Devoti, *Inst. can.*, lib. II, tit. VII, s. III, Gandavi, 1836, t. I, p. 633.

[3] In periodico *Monitore ecclesiastico*, t. V, part. 1, p. 56.

[4] *Decreta auth.*, n. 4025, t. III, p. 363 (ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV*).

Quanta cura, sess. XXII, *De observandis... in celebratione missæ*, episcopus ea designet, visitet et cultui divino exclusive addicat, hæc consuetudo non videtur illegitima; — 2. In omni casu, ut dictum est supra (n. **19**) de ecclesiis, episcopus *ad tempus*, donec expectetur opportunitas benedictionis, in his oratoriis permittere potest missæ celebrationem.

b. Posita benedictione oratorii publici, fieri tamen nequit anniversarium hujus dedicationis, ut dictum est de ecclesiis (n. **16**). — Quoad festum *sancti titularis*, cf. supra, n. **24**[1].

73. — Indoles juridica oratorii publici. — Sequitur ex dictis.

1° Oratorium, ab episcopo legitime deputatum ad cultum divinum, est juridice *locus religiosus;* unde subjacet episcopo, qui illud visitare potest (cf. conc. Trid., cap. *Episcopi*, 8, sess. XXII, De ref.); fruitur jure asyli (n. **51**), et, in rebus favorabilibus, accensetur ecclesiis.

2° Quoad dominium et bona temporalia, hæc dicenda :

a. Oratorium publicum, etiam ædibus privatis conjunctum, semel ac fuit ab episcopo cultui divino deputatum, est quasi liberum a quolibet dominio privato; nam, ex ipsa institutione hujus oratorii, populus fidelis verum jus acquisivit, et quidem in perpetuum, ut nempe ibi sacris assistat; et licet patroni aut fundatores sibi reservaverint privatum ingressum, ex hoc tamen non minuitur jus populi; unde patronus in perpetuum privatur jure convertendi in usus profanos proprios præfatum oratorium : quod privationi dominii fere æquivalet[2].

b. Unde concipitur illud oratorium tanquam *ens juridi-*

[1] De exsecratione, pollutione et reconciliatione oratorii, idem omnino dicendum quod de ecclesiis.

[2] Cf. de Bonis, c. xiv, n. 253; c. xv, n. 266.

cum autonomum, capax acquirendi et possidendi bona, v. g., propriam dotem, oblationes, etc. Hæc bona administrantur a patrono aut fundatore, vel ab aliis quos designaverit episcopus in actu fundationis; administratores autem tenentur singulis annis reddere episcopo rationem administrationis, vi conc. Trid., cap. *Administratores*, 9, sess. XXII, De ref. Demum oratorii bona nequeunt alienari sine beneplacito apostolico, ad normam cap. *Ambitiosæ*, 1, De rebus ecclesiæ non alienandis, Extr. comm.

§ 3. De statu oratoriorum publicorum relative ad parochum et ad episcopum.

74. — Status oratoriorum relative ad parochum. — Agitur de parocho, intra cujus parochiæ fines erectum est oratorium. Distinguere debemus *functiones ecclesiasticas, sacramenta, funera, auctoritatem parochi.*

1° *Quoad functiones ecclesiasticas.* — Functiones distinguuntur in *parochiales* et *mere sacerdotales;* priores reservantur parochis, ita ut hi soli possint illas adimplere; posteriores adimpleri possunt etiam a sacerdotibus non parochis. Porro quænam sint *parochiales*, quænam *mere sacerdotales*, definitum est a Sacra Congr. Rituum, celebri decreto, 10 dec. 1703, quod fuit a Clemente XI confirmatum, die 12 jan. 1704, ita ut huic omnino standum sit[1]. Licet editum fuerit ad finem imponendum controversiis inter parochos et *confraternitates*, valet etiam pro *oratoriis publicis; natura* enim functionum immutata remanet, quicumque est locus, in quo adimpleantur. Ut autem patet ex hoc decreto, solæ functiones parochiales sunt: *benedictio fontis baptismalis*, *aspersio domorum, proces-*

[1] *Decreta authentica* S. Congr. Rit., n. 2123, t. I, p. 471.

siones per territorium parochiæ ducendæ, et *missa solemnis feriæ V in cœna Domini*. Unde aliæ omnes functiones, v. g., *missæ privatæ* et *solemnes*[1]; *benedictio* et *distributio candelarum, cinerum, palmarum; benedictio ignis* et *ovorum; functiones hebdomadæ sanctæ* (præter missam feriæ V); *expositio quadraginta horarum; denuntiatio festivitatum, vigiliarum* et *jejuniorum*, etc., peragi possunt in oratoriis publicis. Idem dicam tum de *aspersione aquæ benedictæ*, ante missam diebus dominicis, quæ videtur esse functio mere sacerdotalis[2], ex *Cæremoniali episcoporum*, lib. II, c. XXXI, n. 3; — tum de *benedictione mulieris post partum*, ex recentiori decreto[3]. — Hæ autem omnes functiones non parochiales exerceri possunt in his oratoriis sine ulla licentia parochi, ut pluries decidit S. Rituum Congregatio[4].

2° *Quoad sacramenta.*

a. Etiam supposita delegatione parochi, cui reservatur baptismus, conferri nequit, jure communi, baptismus in oratorio publico; juxta enim cap. *Præsenti*, 1, De baptismo, Clem., conferri debet « duntaxat in *ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati* », proinde in ecclesiis parochialibus. Unde non potest conferri in oratorio

[1] Restrictio quæ in *decreto* an. 1703, ad 10, posita est relative ad missas *solemnes* in oratoriis *confraternitatum*, non videtur respicere oratoria publica, quæ majoribus privilegiis fruuntur, ut ait de Bonis, *loc. cit.*, n. 98, 148.

[2] Quidquid dicit de Bonis, *loc. cit.*, n. 101.

[3] S. Rit. Congr., in *Romana*, 21 nov. 1893, *Decreta auth.*, n. 3813, t. III, p. 255, decrevit : « Benedictionem mulieris post partum fieri debere a parocho, si expetitus ipse fuerit; posse autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiæ. » Quam decisionem alicui episcopo eadem de re quærenti S. Congreg. Concilii communicari jussit; *Canoniste*, t. XIX, an. 1896, p. 612.

[4] V. g., in *Ripana*, 14 junii 1845, *Decreta auth.*, n. 2901, t. II, p. 330; in *Novarien.*, 3 martii 1866, Gardellini, ed. 3, n. 5361.

publico, nisi quando conferri potest domi, nempe in casu necessitatis.

b. Matrimonium, *servatis servandis*, celebrari potest in oratorio publico, quum non sit rigorosum præceptum, sed tantum *maxima decentia*, ut celebretur in *ecclesia*, ex *Rituali romano*, t. VII, c. I, n. 16; eo magis quod oratorium publicum affine est ecclesiis.

c. Sacra communio distribui potest in oratorio publico[1], licet ibi nequeat asservari sacra eucharistia, sine indulto apostolico. — Attamen, sine licentia parochi, nemo potest ibi recipere communionem *paschalem*.

d. Item, quoad pœnitentiæ sacramentum, nemini dubium esse potest, quin possint in oratorio publico audiri confessiones, etiam mulierum[2].

3° *Quoad funera.* — Certum est, ut infra in Titulo *De cœmeteriis* demonstratur[3], episcopum posse conferre oratoriis publicis (v. g., confraternitatum) *jus sepulturæ*, ita ut quilibet fidelis possit ibi eligere propriam sepulturam. Porro, in hoc casu, quando fidelis est subjectus parocho, intra cujus parochiæ fines situm est oratorium, non ad capellanum oratorii, sed « ad *parochum* spectat facere officium funebre super cadavere », ut expresse decidit S. Congr. Rit., in supradictis decretis an. 1703, ad 20[4].

4° *Quoad auctoritatem parochi.* — Licet oratoria non sint exempta a jure parochiali, attamen in ipsum oratorium fere nullam auctoritatem habet parochus; sic, sine licentia rectoris oratorii, non posset parochus celebrare aut alia officia peragere in oratorio[5]; sic etiam nec posset præci-

[1] Cf. de Bonis, n. 89, 108.

[2] *Ibid.*, n. 107.

[3] Cf. Bened. XIV, *Inst.*, CV, n. 124; — Monacelli, *Formularium*, tit. XIII, form. 1, n. 70-76, t. II, p. 17 sq.

[4] Cf. Monacelli, *loc. cit.*, n. 70-76.

[5] Cf. de Bonis, n. 135, 136, 137, 143, p. 276, 279.

pere ut in oratorio, diebus dominicis, missa non celebretur ante missam parochialem, ut constanter tenuit S. Congr. Concilii[1]. Videas etiam supradicta *decreta*, ad 24, 25, 28, 31[2].

75. — Restrictiones apponendæ superioribus assertis. — Quæ statim diximus, restrictiones quasdam patiuntur, ut infra :

1° S. Rit. Congr., in fine cit. decretorum an. 1703, hæc addidit verba sedulo notanda : « Et ita, *salvis* tamen *conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis.* » Natura rerum et communi doctorum interpretatione in similibus, non agitur nisi de *consuetudinibus*, etc., extantibus tempore cit. decretorum, nempe an. 1703, salvo jure episcoporum, etc.

2° Aliquando oratoria publica plene dependent a paroco, etiam quoad illas functiones *mere sacerdotales* de quibus agitur in præfatis decretis, nempe quando hæc oratoria *annexa sunt ecclesiis parochialibus*, vel, *in ipsa sua erectione, constituta sunt dependentia ab his ecclesiis*, ut si ipse parochus, ex reditibus ecclesiasticis, erigat oratorium, velitque illud omnino pendere ab ecclesia parochiali. — Constat ex supradictis decretis an. 1703, ad 2[3].

76. — Status oratoriorum relative ad episcopum. 1° In genere, hæc oratoria, de jure communi, nullo

[1] Apud Benedictum XIV, *Inst.*, XLIV, n. 8-12.

[2] Cf. discussionem causæ *Pharensis*, in S. C. C., 13 jun. et 25 jul. 1896, apud *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 303 sq., vel *Thesaurus*, t. CLV, p. 490-504, 595.

[3] Cf. Bened. XIV, *Inst.*, CV, n. 112.

modo sunt exempta a jurisdictione episcopi; non enim agimus hic de ecclesiis *Regularium*.

2° Potest certo episcopus, in ipsa erectione oratorii, apponere quasdam conditiones, v. g., ut missa, diebus dominicis, non celebretur nisi tali hora, ut missa non dicatur diebus solemnioribus, etc. — Constat : 1. *Ipso jure episcopali;* cum enim episcopus possit oratorium erigere vel non erigere, potest etiam erigere cum tali vel tali limitatione; — 2. *Jurisprudentia S. Rit. Congr.;* sic, quum episcopus Monasteriensis, in erectione oratorii publici, prohibuisset celebrationem missæ diebus dominicis et festis de præcepto, et postea contra hoc decretum patronus oratorii recurrisset ad prædictam Congr., hæc confirmavit decretum episcopale[1].

3° Etiam post erectionem oratorii, quovis elapso tempore, potest episcopus juribus oratoriorum limitationes imponere, v. g., prohibere missæ celebrationem diebus solemnioribus, prohibere ne missa celebretur tali hora, etc. — Hoc quidem plures negant[2], sed nescio quo fundamento. — Constat : 1. *Ipso jure episcopali,* vi cujus episcopus, justa concurrente causa et exigente bono diœcesis, potest leges aut præcepta condere, quibus subjiciantur personæ aut instituta non exempta; — 2. *Jurisprudentia sacrarum Congregationum;* sic pluries sacra Congr. Conc. censuit, episcopum posse (non tantum in fundatione oratorii, sed in genere) præcipere, ut missa in oratoriis publicis non celebretur nisi tali hora[3]; imo hoc jus assertum est episcopis a Bened. XIV, in encycl. *Etsi minime*, 7 feb. 1742, § 14[4]. Decisiones autem in contrarium alle-

[1] In *Monasterien.*, 14 junii 1845; *Decreta auth.*, n. 2893, t. II, p. 327.

[2] D'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, § 3, n. 10, p. 6; — Gasparri, *De eucharistia*, n. 126, 197, 204.

[3] Apud Bened. XIV, *Inst.*, XLIV, n. 9-12; cf. de Bonis, n. 411.

[4] *Bull. Bened.*, t. I, n. 42.

gatæ [1], alio prorsus spectant. — Ita omnino Benedictus XIV, *Inst.*, CV, n. 94-99, qui imo doctrinam suam hac de re exemplo suo confirmavit; nam, quum erat archiepiscopus Bononiensis, prohibuit ne missa celebretur in oratoriis publicis, festis solemnioribus, absque licentia speciali; *Inst.*, XLIV, n. 7 [2]. — Nec dicatur decreta S. Congr. Rituum, an. 1703, constituere jus commune, a quo nec ipsis episcopis fas sit recedere. Nam, ut recte notat Benedictus XIV, cit. *Inst.*, CV, n. 94 et 99, præfata decreta ordinant quidem relationes inter oratoria et parochos, sed non infringunt jus episcopi; unde, ob ista decreta, « nequaquam impeditur episcopus ut *aliquid iisdem decretis contrarium sanciat*, si opus fuerit, ac diœcesis utilitas postulaverit; » quod demonstrat ipsis decretis et pluribus S. C. C. responsionibus.

4° Attamen non nisi caute et moderate utetur episcopus jure suo; nam : 1. Si, in ipsa oratorii erectione, quædam pacta facta sint aut conditiones appositæ, his necessario standum est; — 2. Non possunt restringi jura oratoriis publicis ex ipsa eorum erectione parta, nisi bonum majus expostulet, v. g., ut ait Benedictus XIV statim allegatus, *diœcesis utilitas*. Alioquin contra episcopi decreta pateret appellatio ad superiorem judicem.

[1] V. g., decisiones S. C. Conc., in *Vercellen.*, 3 aug. 1675, *Thesaurus*, t. III, p. 65, et in *Savonen.*, 28 julii et 8 sept. 1724, *ibid.*, p. 53, 72.

[2] Quæ refert et laudat de Bonis, n. 387 sq., p. 336.

CAPUT II

DE ORATORIIS DOMESTICIS [1]

§ 1. De natura oratorii domestici.

77. — Notio et species oratorii privati.

1° Oratorium privatum est *locus ad celebrandum destinatus, non patens omnibus.* — Dixi : *a. Ad celebrandum destinatus;* non enim hic agitur de oratorio ad solam *orationem* destinato, quod profecto quisque potest privata auctoritate in domo sua parare; — *b. Non patens omnibus,* in quo essentialiter distinguitur oratorium privatum a *publico,* quod patet omnibus; statim autem ac aliquod oratorium caret aliquo requisito ad publicitatem oratorii (ex dictis in superiori paragrapho), recidit in genus oratoriorum privatorum.

2° Oratoriorum privatorum duplex est species : alia nempe parantur *in domibus privatis,* nempe in domo privata alicujus laici aut clerici; alia *in ædibus aliquo modo*

[1] Cf. Gatticum, *De oratoriis domesticis,* Romæ, 1770; — Fortunatum a Brixia, *De oratoriis domesticis,* ad calcem operis Assemani, *De ecclesiis,* Romæ, 1766.

publicis, v. g. in seminariis, communitatibus religiosis, hospitalibus, etc. Priora vocantur *oratoria domestica* stricte dicta; alia vocantur aliquando *semi-publica*. — Unde

78. — Notio oratorii domestici. — Oratorium domesticum est *oratorium privatum in domibus privatis paratum*. Unde distinguitur, tum ab illis oratoriis, quæ in domibus quidem privatis eriguntur, sed patent omnibus, aut habent titulum beneficii annexum, unde sunt *publica*, tum ab illis oratoriis quæ in ædibus publicis parantur.

§ 2. De potestate episcopi circa missæ celebrationem in oratoriis domesticis.

79. — Potestas episcopi ante concilium Tridentinum. — *Poterant episcopi, ante concilium Tridentinum, permittere missæ celebrationem in oratoriis domesticis.* — Constat :

1° Clarissime, ex cap. *In his*, 30, De privilegiis, in quo docet Honorius III fratres Prædicatores et Minores posse, vi privilegii a Sede Apostolica accepti, celebrare ubicumque in altari viatico, quin accedat licentia episcopi, quia nempe, ait, alias prorsus illis inutilis esset licentia apostolica, « sine qua, *id, prælatis annuentibus, liceret eisdem.* » Ergo, ad nutum episcoporum, poterant sacerdotes celebrare in altari portatili ubicumque, et proinde etiam in oratoriis domesticis. — Quæ potestas episcoporum, ut ex eodem textu sequitur, erat *ordinaria*.

2° *Disciplina vigente tota retro antiquitate :*

a. Ante sæculum IX oratoria etiam domestica solebant consecrari[1]; porro hæc consecratio, quæ peragi nequibat

[1] Ut late exponit Gatticus, *loc. cit.*, c. XII.

nisi ab episcopo diœcesano, secum ferebat licentiam episcopalem celebrandi missam.

b. A sæculo IX, passim concedere solent episcopi licentiam celebrandi missam in oratoriis domesticis; sufficiat allegare *Capitula* ab Hincmaro, archiepiscopo Rhemensi, data suis archidiaconis, an. 877, cap. VIII : « Nemo vestrum capellam alicui in domo sua habere concedat *sine mea licentia*, neque in domo sua missas celebrari concedat *sine mea licentia* [1]; » — conc. Moguntinum, an. 888, cap. IX (= can. *Missarum*, 12, dist. I, De consecr.) : « Missarum solemnia, non ubicumque, sed in locis ab episcopo consecratis, vel *ubi ipse permiserit*, celebranda esse censemus [2]. » — Quæ disciplina perseveravit, ut patet cit. cap. *In his.*

80. — Potestas episcopi, vi concilii Tridentini.

Propositio I. — Præfata potestas permittendi missarum celebrationem in oratoriis domesticis adempta fuit episcopis a concilio Tridentino, unique Romano Pontifici reservata. Constat :

1° *Ipso conc. Trid.*, decr. *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis in celebratione missæ* : « Neve patiantur (episcopi) *privatis in domibus*, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. » Et in fine decreti, episcopis datur potestas, qua, etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, ea omnia curent observari, « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. » Ergo non possunt

[1] Migne, *P. L.*, t. CXXV, col. 802.

[2] Mansi, *Concilia*, t. XVIII, col. 67. — Videas multa alia apud Gatticum, *loc. cit.*, c. XII.

amplius episcopi licentiam dare celebrandi missam in oratoriis domesticis seu in privatis domibus; nam, ut optime argumentatur Benedictus XIV[1], « licentia quæ ab ipsis daretur celebrandi missam in oratoriis privatis, neutiquam stare posset cum præcepto a concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant. »

Nec dicatur cum quibusdam[2] episcopos non posse quidem permittere missam in privatis domibus *extra oratoria*, bene vero posse permittere missam in privatis domibus *intra oratoria*, in his nempe domibus paranda. — Non enim hic est sensus decreti Tridentini, cujus verba intelligenda sunt de duplici prohibitione; duo enim prohibet concilium : 1. Ne permittant episcopi missam *in privatis domibus;* 2. Ne eam permittant etiam in domibus aut ædibus publicis (v. g., monasteriis), sed *extra oratoria in perpetuum dicata cultui divino*. Quæ interpretatio constat tum *ipso tenore verborum* et particulis adhibitis *atque omnino*, quæ significant duplicem distinctam prohibitionem; tum *contextu :* si enim, ut recte argumentatur Fagnanus[3], episcopi possent permittere missam in domibus privatis *intra oratoria ibi parata*, prorsus inutilis esset prior pars decreti, nempe « Neve patiantur *privatis in domibus* (missam celebrari) »; satis enim fuisset dicere : Ne patiantur missam celebrari *extra oratoria* etc. Insuper, oratoria privatarum domorum non possunt designari his verbis : « *ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda*, etc.; » oratoria enim domestica designantur a domino domus, nec sunt dedicata

[1] Encycl. *Magno*, 2 junii 1751, § 11; *Bull. Bened.*, t. III, n. 48.

[2] V. g., Zypæus, *Juris pontif. novi enarr.*, in tit. *De celebratione miss.*, n. 8, *Opera*, Antuerpiæ, 1675, t. I, p. 163. — Suarez allegatur a quibusdam pro opinione Zypæi; sed militat potius pro opinione communi, infra, n. **81**, 3°.

[3] In c. *In his* (30, De privilegiis), n. 16-17.

ad cultum tantum divinum, cum possint, ad ejus libitum, converti in usus profanos. Unde duæ sunt prohibitiones, quarum prior est ne celebretur missa *in privatis domibus* quocumque modo. — Cæterum quævis alia textus interpretatio rejicitur, ut constat ex statim dicendis.

2° *Authentica textus Tridentini interpretatione;* nam :

a. Sæpius, per quinquaginta annos post finem conc. Trid. immediate elapsos, S. Congr. Conc., hac de re interrogata, respondit in præfato sensu; sic, v. g., die 9 martii 1577, quum quæreretur : « Utrum episcopus, attento conc. Trid. decreto, *in oratoriis existentibus in domibus privatorum* celebrandi missam licentiam ex causa concedere possit, » respondit : « Non posse, sed hanc licentiam petendam esse a Sede Apostolica, præcipue post concilii Trid. communem observantiam[1]. » Ubi nota decretum concilii fuisse, si non statim, saltem mox, in dicto sensu *communiter intellectum et observatum.*

b. Tandem, anno 1615, jussu Pauli V, edita fuit et ad omnes episcopos missa declaratio ejusdem S. Congr., quæ proinde vim juris communis habet, cujus verba præcipua sunt : « Tametsi S. C. C., optimis innixa rationibus, sæpissime responderit, celebrandi licentias in privatis oratoriis non nisi a Sede Apostolica esse concedendas..., Illmi Patres, Sanctissimi D. N. jussu, significandum duxerunt,

[1] Apud Gatticum, c. XIV, n. 6, p. 134, ubi plures alias allegat resolutiones, simul et decreta plurium conciliorum provincialium in eodem sensu. Attamen, a primis initiis, S. Carolus non adeo rigide decretum concilii interpretabatur, ut patet ex concilio provinciali Mediolanensi I (an. 1565), juxta quod episcopi possunt adhuc permittere missam in oratoriis domesticis, sed non nisi *magna de causa*, Acta concilii, part. II, *De missa*, apud *Acta eccl. Mediol.*, Lugduni, 1683, t. I, p. 9. Verum, in conc. provinciali Mediolanensi IV (an. 1576), dicitur facultatem celebrandi in his oratoriis petendam esse a Rom. Pontifice, et episcopos non posse id permittere, *nisi adsint magnæ et urgentes causæ*, Acta concilii, part. II, *De missa*, *ibid.*, t. I, p. 121.

facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius concilii decreto unicuique ademptam esse, soliqne beatissimo Romano Pontifici esse reservatam[1]. » Unde moveri nequit amplius controversia.

81. — *Propositio II. — Attamen præfata potestas permittendi celebrationem missæ in oratoriis domesticis non fuit totaliter episcopis adempta.*

Declaratur propositio. — Plures dicunt præfatam potestatem fuisse episcopis *totaliter* ademptam, saltem vi interpretationis authenticæ decreti Tridentini a Paulo V editæ. Rationem dant, tum quia, in hac interpretatione, declaratur simpliciter potestatem concedendi celebrationem missæ in oratoriis domesticis *reservatam esse uni R. Pontifici;* — tum quia revera, post hanc interpretationem, S. Congr. Concilii, in *Syracusana*, 27 maii 1617, censuit *non posse episcopum ex quavis causa* cuique concedere ut sacrum fiat in privatis oratoriis[2]. Alias in eodem sensu refert decisiones ejusdem Congr. Fagnanus[3]. Ita idem Fagnanus, Ferraris, Bouix, aliique[4]. — Alii autem dicunt mitius exponi debere decretum Trid. et declarationem Paulinam, nec totaliter fuisse ademptam episcopis præfatam potestatem, ita ut possint adhuc *gravibus de causis* permittere celebrationem missæ in oratoriis domesticis. Ita multi mox allegandi.

Demonstratur propositio :

[1] Apud Benedictum XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, § 42, p. 63, vel in cit. encyc. *Magno*, § 11. — Hanc autem declarationem in extenso legas apud Passerinum, *De hominum statibus*, q. CLXXXIX, art. 10, n. 979, Romæ, 1665, t. III, p. 883.

[2] Quæ decisio legitur in *Thesauro S. Congr. C.*, in *Calatayeronen.*, 20 dec. 1856, t. CXV, p. 521.

[3] In c. *In his* (30, *De privilegiis*), n. 13.

[4] Fagnanus, *loc. cit.*, n. 16-18; — Ferraris, v° *Oratorium*, n. 27-28. — Bouix, *De episcopo*, Parisiis, 1859, t. II, p. 127-128.

1° *Ex fine concilii et decreti Pauli V.* — Finis enim quem sibi proposuit conc. Trid. in præfato decreto fuit *præsertim auferendi periculum irreverenter tractandi divina mysteria,* ut patet toto decreto; et, ex altera parte, Paulus V illos præsertim reprehendere voluit episcopos, qui, ut ipse ait, *passim et sine ullo delectu,* illas facultates concedebant, et sic *pontificiam potestatem* sibi arrogare videbantur[1]. Porro isti fines sufficienter attinguntur per mitiorem decreti Tridentini interpretationem. — Quod late evolvit doctissimus Gatticus[2].

2° *Ex ipso tenore decreti Tridentini.* — Quando legislator canonicus omnino supprimere intendit aliquam potestatem, seu aliqua privilegia, adhibere solet verba expressiora, clariora et severiora, ita ut nullum supersit dubium, nec ullus excipi possit casus : quod confirmari posset plurimis exemplis. Porro hic e contra concilium Tridentinum adhibuit formulam mitissimam : *Neve patiantur episcopi*, etc., imo subobscuram, ita ut plures auctores eam aliter interpretati fuerint, nec ipse S. Carolus, ut patet cit. concilio provinciali Mediolanensi I, eam statim intellexerit. Ergo signum est concilium Tridentinum noluisse auferre totaliter potestatem episcopalem de qua agimus.

3° *Ex communi doctorum interpretatione.* — Duo allata argumenta tam valida sunt, ut moverint multos, imo plurimos doctores, ad docendam propositionem, quam probare intendimus. Juxta hos doctores, episcopi, ante concilium Tridentinum, *potestate ordinaria et amplissima* fruebantur permittendi celebrationem missæ in oratoriis privatis (quod verissimum est, n. **79**); unde concedere poterant hanc licentiam *per modum habitus*, id est, in perpetuum, aut ad longissimum tempus, et hoc, *arbitrio*

[1] Videas textum apud Passerini, *loc. cit.*

[2] C. XV, n. 1-5.

suo rationabili, quin requireretur causa determinata; utebantur enim jure suo. Porro hæc potestas concedendi *libere* et *per modum habitus* licentiam oratorii privati, reservata fuit R. Pontifici a conc. Trid., cit. decreto, ut declaravit authentice Paulus V. Cum autem reservationes, et correctiones juris communis, strictissimam interpretationem recipiant, præsertim ubi textus reservationem et correctionem inducentes mitissimi sunt et subobscuri, concluserunt præfati doctores *non totaliter ademptam fuisse* episcopis potestatem antiquam, sed eis relictam esse facultatem *ex gravi causa* et *per modum actus* concedendi privatum oratorium. Ita Barbosa, Suarez, Schmalzgrueber, Petra, Gatticus, S. Alphonsus, Pax Jordanus et alii multi quos hi allegant[1].

4° *Ex recentiori decisione S. Congr. Conc.* — Hæc S. Congr., ut dictum est, præsertim post declarationem Paulinam, respondit episcopum non posse *ex quavis causa* concedere licentiam oratorii privati : quod responsum etiam dedit in *Monasterien., per Summaria precum*, 23 jan. 1847[2]. — Attamen, recentius, in causa *Calatayeronen.*, 7 julii 1855 et 20 dec. 1856[3], quum quæreretur : « An episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis, in casu, » re maturius et longius discussa, propositisque doctorum supra allegatorum testimoniis, respondit S. Congr. : « Negative, nisi tamen *magnæ* et *urgentes* adsint causæ, et *per modum*

[1] Barbosa, *De officio episcopi*, Alleg. 23, n. 7-9; — Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. III, § *Secundo observandum;* — Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 11-12; — Petra, *In const. VIII Honorii III*, n. 10-11, t. II, p. 264; — Gatticus, c. XV, n. 1-5; S. Alph., lib. VI, n. 359; — Pax Jordanus, lib. IV, tit. I, n. 118-122, Col. Allobr., 1729, t. I, p. 301.

[2] Ut legere est in *Thesauro S. C. C.*, t. CXIV, p. 263.

[3] In *Thesauro*, t. CXIV, p. 259 sq.; t. CXV, p. 516 sq.

actus tantum. » Unde pristinam severitatem temperavit S. Congr., et præfatam doctorum opinionem calculo suo quasi approbavit.

82. — Quæritur : *Quatenus relicta sit episcopis potestas concedendi facultatem celebrandi in oratoriis domesticis.*

Resp., præ oculis habita hac ultima responsione S. Congr. Conc. :

1° Ut episcopus concedat præfatam facultatem, non sufficit causa etiam quæ dicitur *gravis*, sed requiruntur *causæ magnæ* et *urgentes*, quæ verba S. Congregatio Conc. mutuata est a conc. prov. Mediolanensi IV, ut supra notatum est (p. 148, not. 1). Quænam sint illæ causæ, difficile est æstimare : « Neque nobis ipsis, ait Gatticus [1], tantum arrogamus, ut idoneum ferre possimus de gravitate causarum judicium, *quod a prudentibus peti*, et *juxta varietatem circumstantiarum exacte ponderari debet.* » Hæ autem circumstantiæ, ut paulo supra notaverat idem Gatticus, sunt vel *regionis*, in qua mores hoc ab episcopo requirunt, quod alibi non requireretur, vel *temporis* aut *provinciæ*, in quibus severior servatur concilii Tridentini interpretatio. Forsan pluribus videbuntur urgentes causæ : ratio ministrandi infirmo viaticum, quod alioquin non posset, vel non sine maxima difficultate, ei deferri ; — gravis infirmitas viri nobilis, optime de ecclesia meriti ; — ratio celebrandi in domo hujusmodi viri defuncti, præsente cadavere, etc.

2° Juxta allegatam S. Congr. decisionem, non potest hodie episcopus præfatam facultatem concedere, *nisi per modum actus ;* hanc locutionem S. Congregatio mutuata est a doctoribus, qui illam passim hucusque adhibebant,

[1] *Loc. cit.*, n. 10.

ut dictum est; unde licet eam interpretari in eodem sensu quo illam intelligebant hi doctores; porro, juxta ipsos, concedere facultatem *per modum actus* est illam concedere, non *per modum habitus,* seu *in perpetuum,* aut *indefinite* (ut ante Tridentinum faciebant episcopi), sed *vi causæ transeuntis,* et *quamdiu durat hæc causa*[1]. Unde, extante causa urgenti de qua supra, episcopus concedere poterit facultatem celebrandi, non tantum una vel altera vice, ut quidam volunt, sed tempore quo durabit causa; quod alioquin tempus erit necessario breve, quia quod est *urgens* non durat.

83. — Scholium. — *De consuetudine contra decretum Tridentinum.* De hac consuetudine, procul dubio, idem dicendum est quod de qualibet consuetudine contra leges Tridentinas, eam nempe, juxta probabiliorem et meliorem opinionem, posse, modo sit legitime præscripta, prævalere contra præfatum decretum, eo magis quod decretum istud, ut dictum est, est mitissimum et subobscurum. Nec hic applicatur constitutio S. Pii V privilegiorum revocatoria, nempe bulla *In principis,* XIII kal. martii 1565; quia nempe potestas qua fruebantur episcopi ante conc. Trid., non eis competebat ratione privilegii, sed *vi juris proprii episcopalis.*

§ 3. De clausulis indultorum celebrationis in oratoriis domesticis.

84. — Notiones præviæ.

1° Sancta Sedes aliquando concedit indulta celebrationis in oratoriis domesticis *modo permanenti,* nempe per bullas

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*

aut brevia in perpetuum valitura; sic indultum oratorii domestici concessit *protonotariis participantibus*, sive *ad instar participantium*, *auditoribus Rotæ*, etc., de quibus suis locis agitur[1]. — Non agimus hic de his indultis, quorum tenor sedulo inspiciendus est et servandus.

2° Item, ad petitionem fidelium, Sancta Sedes (per organum Secretariæ Brevium) concedit hujusmodi indulta, sed non nisi post informationem episcopi loci de meritis oratoris, et aliis quæ ad rem pertinent. Subjicimus hic tenorem *ordinarium* hujusmodi brevium, qualis nempe hodie concedi solet[2]; non enim agere possumus de *brevibus extraordinariis*, quæ aliquando conceduntur.

85. — Tenor indulti ordinarii, hodie concedi soliti.

« Leo Papa XIII.

« Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

« Nobis exponendum curaverunt dilecti filii, Joannes..., ejusque uxor, tuæ istius N. diœcesis, sibi pro sua spirituali consolatione in votis esse, ut in privato domus suæ habitationis oratorio sacrosanctum missæ sacrificium celebrari facere, impetrata a nobis venia, queant. Nos, oratores speciali benevolentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis quovis modo vel quavis de causa

[1] Cf. Gatticum, c. xx.

[2] Vide tenorem indultorum hujusmodi sæculo XVIII apud Benedictum XIV (in *decreto* de celebratione missæ in oratoriis privatis, 7 jan. 1741, quod impressum reperitur in *Bullario* Bened. XIV, in fine, in *Supplemento*, ed. Mechliniæ, 1827, t. XIII, p. 220), vel apud S. Alph., lib. III, n. 318, vel Gatticum, c. xx, n. 13 sq.

latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia, absolventes et absolutos fore censentes,

« Tibi, Venerabilis Frater, per præsentes committimus, quatenus, constito tibi de narratis, eisdem exponentibus,

« Ut ipsi, in privato supradicto oratorio, ad hoc decenter muro extructo, et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per te prius visitando et approbando, deque tui licentia, arbitrio tuo duratura,

« Unam missam pro unoquoque die, — dummodo eadem in domo celebrandi licentia quæ adhuc duret alteri concessa non fuerit, nullumque exinde fidelibus, quoad satisfactionem præcepti Ecclesiæ missam audiendi diebus festis, detrimentum obveniat, — per quemcumque sacerdotem approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, — sine tamen jurium parochialium præjudicio, — solemnioribus tamen per annum festis diebus exceptis,

« In sua, consanguineorum et affinium secum insimul eadem in domo habitantium, famulorum, hospitumque nobilium suorum præsentia, — celebrare facere licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat,

« Licentiam auctoritate nostra apostolica concedas et indulgeas,

« Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

« Volumus autem ut consanguinei et affines prædicti, missam, ut præfertur, coram oratoribus duntaxat audire, nunquam vero celebrari facere valeant, — utque familiares, servitiis suis tempore dictæ missæ actu non necessarii, aliique omnes, præter quos memoravimus, ibidem missæ hujusmodi adstantes, ab obligatione audiendi missam in

ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.

« Datum Romæ, etc. »

Nunc procedendum est ad explicationem clausularum[1].

86. — Clausulæ quæ respiciunt interventum Ordinarii.

« *Venerabilis Frater.... Tibi, per præsentes committimus, quatenus, constito tibi de narratis..., in oratorio per te prius visitando et approbando, deque tui licentia, arbitrio tuo duratura...* »

1° Olim dirigebatur indultum ad ipsos oratores, nunc autem ad ipsum episcopum; non tamen hoc indultum est in forma *stricte commissaria*, sed in forma *mixta*, ita ut episcopus sit quidem *executor* gratiæ, sed executor *necessarius;* quod patet cit. verbis et toto tenore indulti; unde non potest episcopus facultatem denegare, si vera sint narrata, et oratorium satisfaciat omnibus indulti clausulis.

2° Antequam concedat episcopus licentiam, debet visitare oratorium, *per se* vel etiam *per alium* (vi regulæ 68 juris, in VI : « Potest quis *per alium*, quod potest facere per seipsum[2] »), ut nempe videat num illud oratorium satisfaciat indulti clausulis, et sic illud *approbet.* — Facta autem hac visitatione, quæ præcedit approbationem, oratorium non est obnoxium *visitationi canonicæ* episcopi, nec proinde *procurationi*, quæ episcopo debetur ratione visitationis; oratorium enim non est *locus religiosus.* — Attamen, præsertim si audiat rem male se habere in novo

[1] Doctissime eas exponit Gatticus, c. xx-xxix; — similiter F. a Brixia, *loc. cit.*

[2] Gatticus, c. xxiv, n. 4, p. 273.

oratorio, potest adhuc illud visitare episcopus : quod concluditur tum ex conc. Trid., generali decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis in celebratione missarum*, — tum ex ipsis clausulis quas exponimus, quæ remittunt episcopo durationem licentiæ [1].

3° Juxta has clausulas, licentia duratura est *arbitrio episcopi;* agitur hic de arbitrio *justo* seu *rationabili*, ut patet; sicut ergo, ab initio, episcopus nequit denegare licentiam, si omnia se recte habeant in oratorio, ita nec eam supprimere aut suspendere potest, si omnia pergunt se rite habere. Semel autem suppressa aut suspensa licentia, etiam forsan irrationabiliter, missa amplius celebrari nequit.

87. — Clausulæ quæ respiciunt ipsum locum oratorii [2].

« *In oratorio, ad hoc decenter muro extructo et ornato,... ab omnibus domesticis usibus libero.* »

1° Oratorium debet esse extructum *muris;* unde non sufficit ad oratorium ut aliqua pars alicujus cubiculi ab aliis partibus separetur asseribus, aut velis, aut pannis, sed requiruntur *muri,* id est, parietes ex lapide, aut lateribus coctis (*briques*), aut alia simili materia. — Attamen juxta probatissimos auctores [3], sufficiunt tres muri, et, loco quarti, erit tela aut velum, quod aperiatur aut claudatur, secundum varia adjuncta. — Ratio autem cur *muri* requirantur, est ut melius oratorium separetur a quibuslibet usibus profanis.

2° Debet esse *decenter* extructum *in ordine ad missam;* « ad hoc decenter extructo; » ita ut formam referat parvæ

[1] Cf. Gatticum, *ibid.*, n. 11-12.
[2] Gatticus, c. XXIII.
[3] V. g., Gatticus, c. XXIII, n. 2; — S. Alph., lib. III, n. 318, claus. 3.

capellæ, non vero alicujus ambulacri (*couloir*), aut magni armarii, quod claudatur post missam (*armoire, placard*): quæ forma prohibetur vi præfati indulti [1].

3° Debet esse *ornatum;* unde non tantum in oratorio adesse debent omnia requisita ad missam, juxta jus commune, nempe altare, candelabra, crux, etc.; sed hæc omnia, quoad formam et nitorem, debent non esse indigna sacrosancto missæ sacrificio.

4° Debet esse *ab omnibus usibus domesticis liberum;* his verbis indulti requiritur ut ad usus domesticos non adhibeatur oratorium, v. g., ut non sint ibi armaria rebus profanis condendis destinata, ut non per oratorium transiri soleat ad alia cubicula, ut non sint ibi utensilia ad laborandum, mensa ad scribendum, etc.; si hi usus, aut similes, fieri soleant in oratorio (modo non ex necessitate transeunte), conditio deficit, et cessat indultum; unde requiritur nova episcopi approbatio [2].

5° Hæc verba indulti, *ab omnibus usibus domesticis liberum*, non necessario requirunt ut supra oratorium non sit cubiculum aut lectus ad dormiendum, quia nempe hæc verba, ut ex contextu patet, non respiciunt nisi *ipsum locum oratorii;* insuper *jure communi* non requiritur; nullus enim affertur textus juris, qui hoc requirat [3]. — Attamen hoc valde decet; unde et plura concilia provincilia [4], aut statuta diœcesana, hoc præcipiunt; et ipsa S. Rit. Congr. non semel, præcepto particulari, jussit ut non essent loca ad dormiendum supra varias capellas

[1] Licet, ex S. Alph., *ibid.,* alicubi toleretur vi consuetudinis.

[2] Cf. Gatticum, c. XXIII, n. 20 sq.

[3] Gatticus, c. XXIII, n. 6; — S. Alph., lib. III, n. 318, claus. 3; — Pignatelli, *Consult.,* ed. Coloniæ Allobrogum, 1718, t. VI, cons. 98, n. 36, p. 244.

[4] V. g., Concilium provinciale Mediol. IV, part. I, tit. *De profano usu a sacris locis tollendo,* ed. Lugduni, 1683, t. I, p. 101.

ecclesiarum, communitatum, etc., nisi tamen capellæ separarentur a præfatis cubiculis vel duplici cameratione, vel, præter cameratione, magna umbella (*baldaquin*) [1]. — Unde dubitandum non est quin possit episcopus idem jubere, vel modo generali per statuta diœcesana, vel in casu particulari, sub pœna non approbandi oratorium.

88. — Clausulæ quæ respiciunt ipsam missam et sacerdotem.

« *Unam missam pro unoquoque die..., per quemcumque sacerdotem approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem..., solemnioribus tamen per annum festis diebus exceptis.* »

1° *Unica* tantum (licet plures sint Indultarii) permittitur missa pro unoquoque die; quod clarissime patet cit. verbis. — Una tantum exceptio datur, nempe si, in indulto *extraordinario*, detur licentia celebrandi etiam in festo Nativitatis Domini; tunc enim possunt in oratorio tres celebrari missæ, ut decidit S. Congr. Concilii, die 13 jan. 1725, post *Votum* secretarii (qui erat futurus Benedictus XIV) [2]. — Cf. infra, n. **94.**

2° Excipiuntur tamen, in indulto ordinario, *solemniores* per annum *dies festi*, in quibus non potest celebrari missa in oratoriis. — Quinam autem sunt hi *solemniores* dies? Aliquando late enumerantur in brevi, et tunc non est difficultas; sæpius autem non indicantur nisi modo generali, ut in brevi, cujus tenorem exscripsi. Juxta S. Rituum

[1] S. Rit. Congr., in *Cajacen.*, 11 maii 1641; *Decreta auth.*, n. 756, t. I, p. 162; — in *Apuana*, 12 sept. 1840; *Decreta auth.*, n. 2812, t. II, p. 292; — in *Papien.*, 23 nov. 1880, ad 2; *Decreta auth.*, n. 3525, t. III, p. 120.

[2] *Thesaurus S. C. C.*, t. III, p. 109-115, p. 116. — Hæc in memoriam revocat Benedictus XIV, tum in suo tract. *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 23-30, tum cit. encycl. *Magno*, § 18.

Congr., in *Romana,* 10 apr. 1896[1], quum ab ea modo generali quæreretur : « Quinam vere sint solemniores dies, in quibus, pro omnibus peculiare indultum non habentibus, missæ sunt vetitæ in privatis oratoriis, » respondit : « Illi per se sunt solemniores in casu, qui *describuntur in Cæremoniali episcoporum,* lib. II, c. XXXIV, n. 2, et *de præcepto* servantur. » Porro e 15 festis solemnioribus ibi descriptis, 12 tantum, jure communi, *de præcepto* servantur, nempe D. N. Nativitas, Epiphania, Resurrectio et Ascensio; Pentecostes; B. Mariæ Immac. Conceptio, Annuntiatio et Assumptio; festum S. Joseph; SS. Petri et Pauli; Omnium Sanctorum; Patroni principalioris. — Tria autem festa alia ibi descripta, nempe feria V in cœna Domini, S. Titularis, et anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis, non sunt *de præcepto;* sed quoad missam feriæ V in cœna Domini, non licet eam celebrare in oratoriis privatis, propter aliam rationem, nempe quia hac die missæ privatæ prohibitæ sunt[2]. Ergo, *jure communi*, missa prohibetur in oratoriis domesticis, tum in 12 præfatis festis, tum feria V in cœna Domini.

3° In Gallia, ex 12 illis festis quæ, jure communi, *de præcepto* servantur, vi decreti card. Caprara, 9 apr. 1802, sex deleta sunt de albo festorum *de præcepto,* nempe Epiphania Domini, festum SS. Petri et Pauli, festum Patroni principalioris; deinde Imm. Conceptio et Annuntiatio B. M. V., et festum S. Joseph. Tria autem priora, vi ejusdem decreti, an. 1802, translata sunt, *quoad solemnitatem pro populo*, in dominicam sequentem. — Porro, die quo incidunt sex illa festa, non amplius viget prohibitio missæ celebrandæ in oratoriis privatis, ut constat ex cit. responsione S. C. Rituum in *Romana;* quod jam,

[1] *Decreta auth.,* n. 3896, t. III, p. 301.

[2] Vide *Prælectiones canonicas de Missa*, n. 15.

paucis ante diebus, declaraverat eadem Congregatio in *Quebecen.*, 6 martii 1896, ad 1 [1]. — Num autem *diebus dominicis* ad quas transferuntur tria supradicta festa, nempe, Epiphania, etc., adsit prohibitio missæ in oratoriis domesticis, non constat; probabilius videtur non adesse, quia tandem aliquando tria illa festa non sunt amplius *de præcepto*, et sola *solemnitas* (non *festum* ipsum) transfertur ad diem dominicam; expedit tamen ut inducatur illa prohibitio.

4° Quoad sacerdotem, qui missam celebraturus est in oratorio domestico, requiritur, ex indulto, *approbatio* episcopi; sed non agitur hic de *speciali* approbatione, bene vero tantum de *generali*, vi cujus aliquis sacerdos missam celebrare potest; si sacerdos sit *regularis*, requiritur item generalis licentia superiorum.

89. — Clausulæ quæ respiciunt indultarios seu privilegiatos principaliter.

« *Ut ipsi* (exponentes)... *in sua, consanguineorum,* etc., *præsentia, celebrare facere licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat...* »

1° *Indultarii*, seu *privilegiati principaliter*, seu *privilegiati precarii* (sc. oratores), ii sunt qui a R. Pontifice recipiunt expresse privilegium, ut coram se celebrari faciant missam in oratorio; in singulis autem casibus facile discernuntur, nam nominantur initio brevis, v. g., in indulto supra exscripto : « Nobis exponendum curaverunt dilecti filii, Joannes N., ejusque uxor... » Olim dicebantur ii esse, qui in *inscriptione* brevis, seu *a tergo* brevis nominantur, quia nempe ad eos breve directum erat : quod amplius dici nequit, cum breve dirigatur hodie ad episcopum.

[1] *Decreta auth.*, n. 3890, t. III, p. 299.

2° Eorum autem præsentia (aut unius ex illis) omnino requiritur, ut celebrari possit missa, *præsentia*, inquam, *non tantum in domo, sed etiam in oratorio;* quod quidem olim controversum fuit; aliqui enim dicebant non requiri eorum præsentiam, sed quemlibet consanguineum aut affinem in eadem domo cum indultariis habitantem posse facere celebrare; sed contrarium decisum est a S. Congr. Concilii, nempe requiri præsentiam saltem unius ex Indultariis, in *Marsicen.*, 3 dec. 1740[1]: quam resolutionem Benedictus XIV confirmavit et publicari jussit, ut veram et solam interpretationem indulti, decreto *Cum duo nobiles*, 7 jan. 1741[2]; imo, ut ipse narrat Benedictus XIV[3], ad amovendam quamlibet aliam interpretationem, jussit addi in fine indulti clausulam *Volumus autem*, etc., quæ etiam nunc legitur in omnibus indultis ordinariis. Cf. supra, n. **85.** Unde indoles hujus indulti est ut sit *omnino personale*, ita ut soli indultarii (aut unus ex iis) jus habeant faciendi coram se celebrare.

3° Unus casus est, in quo, etiam non præsente indultario, posset celebrari missa, nempe si sacrum viaticum difficillime porrigi possit infirmo morti proximo ex alio loco quam ex hoc oratorio domestico; tunc parochus, aut ab eo delegatus sacerdos, posset, etiam absente indultario, celebrare missam in oratorio. — Constat clare ex responsione S. Rit. Congr., in *Veronen.*, 27 aug. 1836, ad 7[4]. — In eodem casu, si jam una missa celebrata esset, putaverim posse secundam celebrari, propter identitatem rationis.

[1] *Thesaurus*, t. IX, part. II, p. 75-76, ubi adducuntur auctores pro et contra.

[2] In *Bull. Bened.*, in fine Bullarii, in *Supplemento*, ed. Mechliniæ, 1827, t. XIII, p. 220.

[3] In cit. encyclica *Magno*, § 14-17.

[4] *Decreta auth.*, n. 2745, t. II, p. 265. — Cf. Gatticum, c. XXV.

90. — Clausulæ quæ respiciunt privilegiatos minus principaliter.

« *In sua, consanguineorum et affinium secum insimul eadem in domo habitantium, famulorum, hospitumque nobilium suorum præsentia*, etc. »

1° *Privilegiati simplices*, seu *privilegiati minus principaliter*, seu ii qui, adstante uno saltem ex indultariis, possunt in oratorio audire missam, et, diebus dominicis festisque de præcepto, satisfacere præcepto ecclesiastico audiendi missam, sed non possunt, nec omnes, nec singuli, facere celebrare coram se. Unde eorum privilegium consistit in eo quod, præsente indultario et jubente celebrari missam, hanc missam audire possint ad satisfaciendum præcepto. — Veritas hujus notionis patet ex tenore indulti; et etiam ex cit. Benedicti XIV decreto *Cum duo nobiles*, 7 jan. 1741.

2° Quinam autem sint hujusmodi privilegiati, dicitur in ipso indulto[1] :

a. Consanguinei et *affines*, nempe usque ad quartum gradum, et probabilius non ultra, quia, ut ait Gatticus[2], « præsens ecclesiastica disciplina ad cæteros inferiores gradus non amplius respicit, postquam impedimentum matrimonii ex carnali cognatione ortum intra quartum gradum coarctavit. » — Quæritur num ii privilegiati sint, si agatur de consanguinitate aut affinitate *illicita*. Alii affirmant, quia tandem aliquando, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus[3]; alii negant, ne vilescat gratia Pontificia[4]. Huic posteriori opinioni communius

[1] Cf. Gatticum, c. xxv.

[2] *Ibid.*, n. 6.

[3] Ita Pasqualigo, *De sacrificio missæ*, t. I, q. DCLIV; — Pignatelli, *Consultationes*, t. VI, cons. 98, n. 103, Coloniæ Allobrogum, 1718, t. VI, p. 253.

[4] Ita Gatticus, *loc.cit.*, n. 4; — S. Alph., lib. III, n. 318, claus. 9.

adhærent doctores; prior tamen non caret sua probabilitate. — Non tamen quilibet consanguinei aut affines sunt privilegiati, sed tantum qui sunt *de Indultariorum familia*, seu eorum *commensales*, ut patet cit. verbis : « ... affinium *secum insimul*... habitantium. » Unde non sufficit si habitent quidem in eodem corpore ædificii, sed in diversis tabulatis (*étages*).

b. Famuli non sunt *privilegiati* (nempe ad hoc ut satisfaciant præcepto), nisi quando, tempore missæ, sunt actu necessarii servitiis suis. — Constat clausula *Volumus*, in fine indulti, in qua legitur : « Volumus... utque familiares, *servitiis suis tempore dictæ missæ actu non necessarii*, aliique omnes, præter quos memoravimus, ibidem missæ hujusmodi adstantes, *ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* » Hæc autem *necessitas*, ut patet, intelligitur de necessitate *morali*, in eo nempe sensu quod hi famuli sunt *necessarii*, qui requiruntur pro convenienti decore et comitatu privilegiatorum, privilegiatorum nempe *principalium*, ut patet, et etiam privilegiatorum *simplicium* [1], ut si agatur de puella, quæ egeat ancilla sua. — Unde *minister missæ* non satisfacit præcepto, nisi sit necessarius, id est, nisi desit privilegiatus qui possit et velit ministrare [2]. — Quoad *sacerdotem* celebrantem, satisfacit præcepto, quia Clemens XI, decreto *Quoniam sancta*, 15 dec. 1703, quo declarat in oratorio domestico non satisfieri præcepto Ecclesiæ, non loquitur nisi de personis *audientibus missam* [3].

[1] Licet contra sentiat Gatticus, c. xxv, n. 20, qui non intelligit necessitatem nisi respectu *indultariorum;* verum indultum non distinguit.

[2] Gatticus, n. 23.

[3] Vide hoc decretum in *Bull. Bened.*, post cit. encycl. *Magno,* vel apud Ferraris, v° *Oratorium*, n. 5; — aut Reiffenstuel, in tit. *De celebratione missarum*, n. 5.

c. Hospites nobiles Indultariorum, de quibus hæc dicenda : 1. *Hospes* dicitur qui domi recipitur et est commensalis domini, licet ad paucos, imo ad unum diem, modo tamen non sit de eodem loco, nempe de eadem civitate, oppido aut vico; aliter esset simplex salutator (*visiteur*) aut conviva; — 2. Non quilibet hospes fruitur privilegio, sed tantum hospes *nobilis*, quod textu clarissimo patet ex indulto; unde rejicienda est opinio dicentium hospites divites aut bene meritos de Ecclesia, etc., frui privilegio; — 3. Sufficit nobilitas vel ex *genere* (scilicet ex nativitate a patre nobili) vel ex *concessione* seu *privilegio* principis aut Romani Pontificis; in demonstranda autem nobilitate, attendi debet ad leges et mores regionis, de qua est hospes, ut per se patet: unde etiam non sufficit filio nobilitas ex parte *solius matris,* nisi in regionibus, in quibus hæc sufficit ut quis in albo nobilium constituatur[1]; — 4. *Famuli* hospitum privilegio non participant; de iis enim non fit mentio in indulto.

3° Præter ergo hos privilegiatos, nempe indultarios, consanguineos et affines, famulos actu necessarios, et hospites nobiles, omnes alii possunt quidem audire missam in oratorio, sed non satisfaciunt præcepto ecclesiastico audiendi missam diebus dominicis aut festis de præcepto. — Constat cit. clausula *Volumus.*

91. — Clausulæ quæ respiciunt aliam licentiam celebrandi forte datam et satisfactionem præcepti ecclesiastici.

« *... Dummodo eadem in domo celebrandi licentia quæ adhuc duret alteri concessa non fuerit, nullumque exinde fidelibus, quoad satisfactionem præcepti Ecclesiæ missam audiendi diebus festis, detrimentum obveniat.* »

[1] Cf. Gatticum, c. xxi, n. 13-19.

1° Si *in eadem domo* alii jam acceperint indultum, *adhuc vigens*, oratorii domestici, novum indultum nullum est. Ratio est quia non vult Rom. Pontifex ut, pro unica familia, sint eadem die, sive in eodem, sive in diversis oratoriis, duæ aut plures missæ. — Verum, quando plures distinctæ prorsusque separatæ familiæ, nullo modo viventes in communi, habitant quidem in eadem *materialiter* domo, sed in diversis tabulatis (*étages*), aut etiam in eodem tabulato, sed in diversis habitaculis (*appartements séparés*), clausula non applicatur, quia tunc una domus *pro duabus* (aut pluribus) *accipi debet.* Ratio juridica desumitur ex jure romano, L. *Si quis duas*, 6, ff. *Communia prædiorum* (VIII, IV), § *Si quis*, ubi legitur : « Si dominus, pariete medio ædificato, unam domum in duas diviserit, ut plerique faciunt.... et hic *pro duabus domibus accipi debet;* » quod autem pariete medio, vel tabulato, aut alio modo, domus divisa sit, parvi refert[1].

2° Altera pars clausulæ, *nullumque exinde*, etc., omnino nova est; sensus autem facile intelligitur. Quum enim fideles (præter paucos supra enumeratos) missæ adstantes in oratorio domestico, non satisfaciant præcepto ecclesiastico audiendi missam diebus dominicis festisque de præcepto, cavendum omnino est, ne fideles, sub prætextu missæ auditæ vel audiendæ in oratorio, aliam non audiant, et sic gravi inquinentur peccato; si ergo ex hac parte detrimentum timendum sit, episcopus non dabit licentiam, aut eam revocabit.

[1] Gatticus, c. XXII, n. 25-28. — In aliquo indulto an. 1894, quod sub oculis habui, loco horum verborum, *eadem in domo*, unicum tantum verbum est, nempe *inibi;* sensus idem est, et clarior.

92. — Clausula respiciens tuitionem jurium parochialium.

« ... *Sine tamen jurium parochialium præjudicio...* »

1° *Jura parochialia* enumerata sunt supra, n. **74**, ubi de oratoriis publicis, et referuntur ad *functiones parochiales*, ad *quædam sacramenta* et ad *funera*. Porro de functionibus parochialibus et de funeribus, non est dubium quin fieri nequeant in oratoriis domesticis.

2° Quoad *sacramenta*, distinguendum est[1] :

a. Baptismus dari nequit in oratorio domestico, nisi quando dari potest domi (n. **74**).

b. Matrimonium, servatis servandis, celebrari potest in oratorio domestico (n. **74**).

c. Pœnitentiæ sacramentum non potest administrari, nisi quando potest administrari domi, v. g., pro viris absolvendis.

d. Communio *paschalis*, quum recipi debeat in ecclesia parochiali, recipi nequit in oratorio. De communione *non paschali*, dicetur infra.

93. — Indulta S. Congregationis Concilii. — Indulta oratorii domestici concedit etiam S. Congregatio Concilii cum clausulis aliquantisper diversis, quæ sedulo attendi debent; hic subjicio tenorem horum indultorum quæ solent esse ad tempus :

« Ex sacra Congregatione Concilii. — Postulanti N. N., ut in privato suæ domus oratorio sanctum missæ sacrificium celebrare vel celebrari facere possit ob[2]... Sanctissimus Dominus Noster, attenta commendatione N. N..., benigne annuit; et his S. Congr. Conc. committit N. N...[3],

[1] Cf. Bened. XIV, encycl. *Magno*, §§ 19-22.

[2] Hic ponitur causa allegata, v. g., ut in indulto diei 9 apr. 1902, quod sub oculis habeo, « ob distantiam ab ecclesia publica. »

[3] Committi solet episcopo Ordinario loci, ut *ibid.*

ut veris existentibus narratis, pro suo arbitrio et conscientia petitam gratiam oratori [1]..., gratis concedat, salvis juribus parochialibus, exceptis ab indulto diebus festis solemnioribus, nisi his diebus ob [2]... nequeat publicam ecclesiam adire, et dummodo oratorium a domesticis usibus sejunctum, sacris supellectilibus rite instructum, et ab Ordinario visitatum et approbatum sit. Indulget præterea Sanctissimus D. N., ut, præter missæ inservientem [3]..., personæ familiæ oratoris addictæ, festivo præcepto audiendi sacrum satisfacere, et ad eucharisticam mensam infra missæ actionem accedere in dicto oratorio possint; contrariis quibuslibet minime obstantibus; præsentibus valituris perinde ac si litteræ apostolicæ in forma brevis expeditæ essent.

« Datum Romæ die... ».

Sequuntur sigillum Card. Præfecti, ejusdemque et secretarii subscriptio.

§ 4. De jure communi circa oratoria domestica a R. Pontifice concessa.

94. — Normæ generales circa oratoria domestica. — Clausulæ, quas exponimus, sunt *speciales* pro singulis oratoriis. Sunt autem, pro omnibus oratoriis domesticis a R. Pontifice concessis, quædam normæ *generales*, desumptæ nempe a textibus juris generalibus, quas ideo vocare possumus aliquo modo *jus commune* circa hæc oratoria. Hi autem textus non sunt nisi tres, nempe sæpe cit. textus conc. Trid., quem interpretatus est Paulus V; — decretum *Quoniam sancta*, Clementis XI; — decretum *Cum duo*, Benedicti XIV. — Ex his autem juribus deducuntur normæ generales quæ sequuntur :

[1] Hic ponitur tempus, v. g., « ad quinquennium, » ut *ibid.*
[2] V. g., infirmitatem, ut *ibid.*
[3] Hic ponuntur in cit. textu « hospites ».

1° In oratoriis domesticis missa celebrari nequit, sine indulto apostolico. — Constat conc. Trid., cit. decreto *Quanta cura.*

2° In his oratoriis, missa celebrari nequit *diebus festis solemnioribus* (licet hoc non caveatur indulto). — Constat Clementis XI decreto *Quoniam sancta*, 15 dec. 1703 : « Declarat S. D. N... in oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus... aut aliis quibuscumque sacerdotibus, etiamsi essent episcopi, in iis celebrare *in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus*, ac diebus in indulto exceptis. »

3° *Unica* missa permittitur. — Constat eodem decreto, ubi, post cit. verba, statim legimus : « In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus et sacerdotibus quibuscumque, etiam episcopis, in præfatis oratoriis *celebrare non licere, ubi jam unica missa, quæ in indulto conceditur, fuerit celebrata;* super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare. »

4° Unica missa quæ permittitur *celebrari nequit post meridiem*, quidquid dicendum est de hora celebrandi in ecclesiis. — Sequitur enim in eodem decreto : « Atque illa etiam (missa permissa) in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem. »

5° Personæ missam illam audientes *non satisfaciunt præcepto.* — Ita in decreto : « Demandando ulterius et declarando, *in omnibus casibus, personas quascumque, missas illas audientes*, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. » Unde non satisfaciunt præcepto nisi personæ quæ *expresse designantur ad hoc* in singulis indultis. Si indultum neminem designet ut satisfacientem præcepto, nemo satisfacit[1]. — Attamen indultum non agit nisi de

[1] In indulto, cujus tenorem supra (n. **85** sq.) exhibui et explicui, desi-

audientibus, non de *celebrante;* unde sacerdos celebrans satisfacit.

6° *Sola functio ecclesiastica permissa in oratorio domestico est missa, et nulla alia* (nisi illæ quæ *domi* peragi possunt, ut baptismus in casu necessitatis, auditio confessionis viri). — Ratio est tum quia oratorium domesticum non est locus sacer nec religiosus, sed mere privatus, in quo hoc solum fieri potest, quod expresse permittitur; — tum quia indultum oratorii domestici est contra jus commune (ut patet textu concilii Trid.), et proinde stricte intelligendum, et restringendum ad id præcise quod permittitur, nempe ad *missam solam*[1]. — Unde :

a. Missa *cantata* celebrari nequit in his oratoriis; quum enim missa solemnis sit res valde gravis, ex eo quod indultum de ea sileat, concludi debet, præsertim sic rem interpretante consuetudine, eam non concedi.

b. Fieri nequeunt in his oratoriis *aspersio aquæ benedictæ*[2]*; nec benedictio aut distributio cinerum, palmarum, candelarum,* etc.; — nec *conciones proprie dictæ;* — nec *denuntiationes jejuniorum, festorum, vigiliarum,* etc.; — nec *functiones hebdomadæ sanctæ;* — nec *expositio SS. Sacramenti;* — nec *benedictio mulieris post partum,* etc.

c. Imo nec dari potest (sine episcopi licentia) *sacra communio.* — Ratio vera et juridica est quia, jure communi scripto, distributio sacræ communionis, etiam non paschalis, pertinet ad parochum; unde, ut possit fieri in aliis ecclesiis aut oratoriis (præter ecclesiam parochialem),

gnantur, uti satisfacientes præcepto, præter indultarios, consanguinei, affines, famuli actu necessarii, et hospites nobiles; cf. clausulam finalem *Volumus.*

[1] Cf. Gatticum, c. XXVIII, n. 18-19; — pro plena expositione hujus propositionis et corollariorum, cf. totum c. XXVIII.

[2] Licet fieri queat ipsa *aquæ benedictio* (Gatticus, c. XXVIII, n. 17).

requiritur vel privilegium scriptum, vel consuetudo legitima; adest quidem privilegium pro ecclesiis Regularium et consuetudo pro oratoriis publicis; sed nunquam datum fuit, modo generali, indultum pro oratoriis domesticis, nec adest, in horum favorem, consuetudo universalis. — Non ergo dicatur 1. Conc. Trid., cap. *Optaret*, 6, sess. XXII, De sacrificio missæ, optare ut *in singulis missis fideles adstantes... sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent*. Nam id intelligitur *servatis servandis*. — Nec dicatur 2. Missam esse *principale* et communionem esse quid *accessorium*, concesso autem principali concessum censeri accessorium, juxta regulam 42 Juris, in VI. Nam, attenta, qualis est, disciplina ecclesiastica, jus distribuendi sacram communionem non habetur ut accessorium relative ad missam, sed ut privilegium a privilegio celebrandi missam distinctum, separabile et sæpe separatum. — Et ita censent probatissimi quique doctores, præsertim Gatticus, qui id latissime demonstrat[1], et Benedictus XIV, qui id docet et probat, sive *Inst.*, XXXIV, § 3, n. 11-12, sive in encyclica *Certiores*, 13 nov. 1742, ad Ordinarios Italiæ[2], sive præsertim in cit. encyclica *Magno*, § 23-24, quæ tamen non est nisi pro regno Poloniæ. — In hac prohibitione recipiendi communionem in his oratoriis, utrum comprehendatur, vel non, ipse missæ minister, quærunt doctores; hac de re, unusquisque in suo sensu abundet[3].

[1] Tum c. xxix, tum in *Epistola apologetica* typis impressa ad calcem ejus operis *De oratoriis domesticis*, Romæ, 1770, p. 463-507. — Cf. etiam Pignatelli, *Consult.*, Coloniæ Allobrogum, 1718, t. vi, cons. xcviii, n. 86, p. 251.

[2] *Bull. Bened.*, t. i, n. 64.

[3] In prohibitione eum non comprehendi opinantur Gasparri, *De eucharistia*, n. 1088, Parisiis, 1897, t. ii, p. 332, et Lehmkuhl, licet dubitans; *Theologia moralis*, t. ii, n. 135, ed. 1893, p. 98.

§ 5. De potestate episcopi relative ad oratoria domestica.

95. — Quoad oratoria domestica concessa a Rom. Pontifice.

Supra (n. **86**), diximus de prima approbatione oratorii ab episcopo concedenda; pauca addimus hic :

1° Juxta probatissimos auctores, episcopus permittere potest in oratoriis domesticis administrationem quorumdam sacramentorum, baptismi, matrimonii, pœnitentiæ, eucharistiæ[1], et etiam quasdam functiones aliunde ibi prohibitas, v. g., benedictionem mulieris post partum[2]. — Cujus ratio hæc mihi esse videtur quod, ante concilium Trid., hac potestate fruebantur episcopi in his oratoriis : de quo dubitari nequit; porro hæc potestas episcoporum non fuit suppressa in concilio Tridentino, sed solum potestas de missa permittenda.

2° Num episcopus, præter solemniores dies qui excipiuntur in indulto apostolico, juxta supradicta, n. **88**, possit alios excipere, v. g., per statuta diœcesana, non plane liquet. Putaverim tamen episcopum non posse alios excipere dies, propter duo : 1. Vi privilegii a Rom. Pontifice concessi, indultarii jus habent ad missam omnibus anni diebus in hoc privilegio non exceptis; atqui juris principiis conforme non videtur ab inferiore posse restringi gratiam a superiore concessam, nisi ad hoc specialem potestatem a superiore acceperit, quæ hic non perhibetur concessa; — 2. Memorat Gatticus resolutionem S. C. C., in *Neapolitana*, 30 maii 1699, in qua, quum quæreretur :

[1] Gatticus, c. XXVIII, n. 3, 4; c. XXIX, n. 1, 6. Pro sacra communione, addas Benedictum XIV, encycl. *Magno*, § 23, et *Inst.*, XXXIV, n. 11, 12.
[2] Gatticus, c. XXVIII, n. 6.

An regularibus liceret missas celebrare in oratoriis privatæ domus diebus exceptis in indulto vel synodali constitutione diœcesana, respondit : « *Negative pro diebus exceptis in indulto;* » unde pronum est concludere, ut tacite concludit Gatticus, et cum eo Fort. a Brixia [1], episcopum non posse alios dies excipere.

3° Quum quædam clausulæ indultorum pontificiorum sint valde generales et indeterminatæ, v. g., oratorium *decenter* extructum, *ornatum*, etc., jus habet episcopus eas determinandi, præcipiendo, *etiam per statuta diœcesana*, ea quæ ad rem pertinent : quod jus sequitur ex tenore indulti, juxta quod approbatio oratorii relinquitur arbitrio episcopi. Hoc jus omnino supponunt doctores, v. g., Gatticus, Benedictus XIV, etc. [2].

96. — Quoad oratoria domestica ab ipsis episcopis concessa. — Nemini dubium esse potest quin, virtute indulti a Rom. Pontifice concessi, possit episcopus suis diœcesanis concedere privilegium oratorii domestici : quod indultum revera non pauci episcopi recipiunt. Porro, hoc accepto indulto :

1° Tenentur episcopi stricte inhærere verbis indulti et proinde omnes conditiones, in eo præfixas, religiose servare.

2° Decet ut, quando vi indulti pontificii concedunt oratoria domestica, adhibeant clausulas quas ipsi Pontifices, ut vidimus, in suis indultis adhibent, hoc tamen addito, Romanos Pontifices concedere etiam indulta extraordinaria,

[1] Gatticus, c. xxvii, n. 10; — F. a Brixia, *De oratoriis domesticis*, c. ii, animadv. 13, cit. ed., p. 368. — Mihi tamen ingerit aliquod dubium Clementis XI decretum *Quoniam sancta*, pluries allegatum, in quo vituperari videntur Regulares qui celebrant in oratoriis domesticis diebus exceptis *per constitutiones diœcesanas;* at hæc leguntur in parte decreti tantum *narrativa*, non *dispositiva*.

[2] Gatticus, c. xxiii, n. 6; — Benedictus XIV, tum *De synodo*, lib. VI, c. i, n. 2, tum in encycl. *Magno*, § 26.

in quibus plures missas permittunt, nullum diem excipiunt, alias functiones præter missam permittunt, etc. — Has autem clausulas episcopi præcipere possunt etiam modo generali, nempe per statuta diœcesana.

3° Attamen, quidquid dicunt aliqui, *non tenentur* ipsi episcopi adhibere clausulas pontificias; hæ enim clausulæ sunt leges *speciales*, quibus soli indultarii tenentur; imo illud, quod vocavimus (n. **94**) *jus commune* quoad oratoria, non respicit nisi oratoria concessa a Romanis pontificibus, ut expresse dicit Clemens XI, in cit. decreto *Quoniam sancta*.

4° De potestate episcopi *vi consuetudinis*, cf. supra, n. **83.**

§ 6. De indole juridica oratorii domestici.

97. — Indoles juridica oratorii domestici.

1° Oratorium domesticum non est locus *sacer* aut *religiosus*, quia non deputatur in perpetuum ab episcopo ad finem pium aut sacrum; remanet locus *privatus*, imo *profanus*, in quo, contra jus commune, ex Rom. Pontificis indulto, datur facultas celebrandi missam. Unde non recipit consecrationem aut benedictionem (nisi benedictionem, quæ datur *novæ domui*, *Rituale Rom.*, t. VIII, c. VI et VII), nec proinde obnoxium est pollutioni, nec fruitur jure asyli; remanetque omnino in privato dominio.

2° Privilegium oratorii domestici est omnino *personale;* conceditur enim personis proprio nomine designatis, et quas Rom. Pontifex, juxta verba indulti, *speciali benevolentia prosequi* vult; ipsum autem oratorium potest transferri (cum nova approbatione episcopi) de cubiculo in cubiculum, de domo in domum, v. g., de domo urbana in

domum ruralem, nisi obstet tenor indulti; imo transferri potest de civitate in civitatem, et de diœcesi in diœcesim, cum approbatione respectivi episcopi; juxta enim verba indulti, sufficit ut sit *oratorium, extructum vel extruendum, in domo habitationis oratorum*[1].

3º Cum illud privilegium sit *personale*, extinguitur cum persona, juxta regulam 7 juris, in VI; unde si duo sint indultarii, uno mortuo, indultum remanet penes superstitem, quo morte sublato, perit omnino.

[1] Cf. Gatticum, c. xxi, n. 31; c. xxii, n. 15.

CAPUT III

DE ORATORIIS SEMI-PUBLICIS

§ 1. De variis generibus horum oratoriorum.

98. — Notio generalis. — Juxta dicta in superiori capite, episcopi, ante concilium Tridentinum, amplissima potestate fruebantur designandi et deputandi loca sacrificii, nempe ecclesias, oratoria publica et etiam oratoria privata ubicumque; vi autem conc. Trid., decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis in celebratione missæ*, horum potestas suppressa est quoad oratoria privata *in* privatis domibus, seu quoad oratoria *stricte domestica;* ergo remansit quoad alia omnia, et, in specie, quoad oratoria privata in *domibus non privatis*. De his ergo *oratoriis privatis in domibus non privatis* (quæ vocantur aliquando *semi-publica*), hic agimus. Sic autem in genere describuntur a S. Rituum Congr., aut potius ab ipso Rom. Pontifice, in decreto *A sacra*, 23 jan. 1899 : « Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII... statuit et declaravit : oratoria semi-publica ea esse, quæ, *etsi in loco quodammodo privato vel non abso-*

lute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen, non fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus, inserviunt[1]. »

99. — Quatuor genera oratoriorum semi-publicorum. — Juxta hodiernam jurisprudentiam S. Congr. Concilii et alleg. decretum S. Rit. Congr., quatuor sunt genera horum oratoriorum, quæ proinde possit propria auctoritate erigere episcopus. Jurisprudentia S. Congr. Conc. manifesta fit ex variis decretis infra allegandis; decretum autem S. Rit. Congr. suis locis afferetur :

1° *Primum genus. Oratoria palatii episcopalis et cardinalitii.* — De his nunquam fuit seria difficultas; juxta enim cit. textum conc. Trid. : « Neve patiantur (episcopi) *privatis in domibus...* sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi, » non nisi oratoria in *privatis domibus* prohibentur, reservata Rom. Pontifici eorum concessione; atqui palatia episcopalia aut cardinalitia nunquam habita sunt ut *domus privatæ*, bene vero ut *domus publicæ*. — Aliunde, præceptum quo gravantur episcopi, *non patiendi missam in domibus privatis*, non respicit ipsos episcopos, sed alios sacerdotes, sæculares aut regulares, ut ex ipso textu constat; verbum enim *pati* importat relationem *ad alterum*. — Horum oratoriorum *jura ac privilegia sarta et tecta declarantur* in præfato decreto *A sacra*.

2° *Secundum genus. Oratoria locorum religiosorum.* — Ut jam dictum est, *loca religiosa*[2] ea sunt quæ *ad finem pium eriguntur auctoritate episcopali;* finis autem pius est

[1] *Decreta authentica*, n. 4007, t. III, p. 355 (ad calcem hujus voluminis, *Documentum III*).

[2] De quibus cf. canonistas, in tit. *De religiosis domibus.*

vel *fidei*, vel *religionis*, vel *charitatis* aut *misericordiæ*, sive spiritualis sive temporalis. Clarum est autem hæc loca, in re præsenti, non haberi ut *domos privatas;* propter enim erectionem ab auctoritate publica, nempe episcoporum, sunt *loca vere publica;* unde et subsunt visitationi canonicæ episcoporum, et fruuntur jure asyli, etc. Unde semper censuit S. Congr. Concilii oratoria horum locorum non contineri prohibitione Tridentina, et proinde posse erigi ab episcopo, jure proprio, in his locis oratoria, non tantum unum, sed etiam duo aut plura, justa interveniente causa[1]. — Hæc autem loca *religiosa*, ex jurisprudentia S. Congr. Conc., et alleg. decreto *A sacra*, sunt præcipue hæc, quæ sequuntur :

a. Monasteria sive virorum sive mulierum; hæc enim semper requirunt erectionem a Rom. Pontifice aut ab episcopo. Infra agetur de oratoriis Regularium (n. **106**).

b. Seminaria, sive majora, sive minora.

c. Hospitalia, et alia hujusmodi loca, modo erigantur auctoritate episcopi.

d. Domus confraternitatis, ab episcopo erecta.

e. Domus spiritualibus exercitiis destinata, modo sit ab episcopo erecta.

f. Similiter *domus presbyterorum sæcularium, cum* aut *sine votis*, quæ erectæ fuerint episcopi auctoritate, v. g., missionariorum diœcesanorum.

3° *Tertium genus. Oratoria locorum piorum.* — Loca pia sunt ea *quæ ad finem pium instituta sunt, sed sine erectione episcopali*, ut sunt multa hospitalia et alia hujusmodi loca; ubi tamen notandum hac locutione *locus pius* notari aliquam *perpetuitatem;* si quis enim privatus, clericus vel laicus, recipiat in propria domo sua infirmos,

[1] Varias S. C. C. hac in re resolutiones videas apud Gatticum, *De oratoriis domesticis*, c. XVI, XVIII.

senes, etc., hæc domus dici nequit *locus pius*, quia hæc destinatio facillime mutabilis est; unde, ad hoc quod aliqua domus ingrediatur genus *locorum piorum*, requiritur saltem ut, vi fundationis vel alicujus similis dispositionis, destinata sit permanenter ad usum pium [1]. — Num autem in *locis piis* episcopus erigere possit propria auctoritate oratorium privatum, diu dubitatum est, imo negatum [2]. Nunc autem responsio *affirmativa* ab omnibus tenetur, præcipue propter tria :

a. Usque ad annum 1847, S. Congr. Conc. nullam claram resolutionem hac de re ediderat; at vero, anno 1847, in *Viglevanen.*, ad hoc quæsitum : « An oratoria in *hospitalibus cæterisque piis locis absque episcopi auctoritate erectis* constituta, in prohibitione concilii Tridentini comprehendantur, » respondit, die 27 martii : « Negative [3]. »

b. Hæc responsio omnino conformis est verbis et menti decreti conc. Trid.; nam, ex una parte, loca, de quibus agitur, vi alicujus fundationis aut auctoritate municipii vel gubernii, destinata sunt permanenter ad aliquem usum pium, v. g., ad curandos infirmos; porro tales domus nequaquam dici possunt *privatæ;* et, ex altera parte, quia hæc loca aliquo modo publica sunt, facilius arcetur ab eis periculum irreverentiæ erga sanctum sacrificium; ergo hæc loca non cadunt sub prohibitione Tridentina, eo magis quod decretum Tridentinum, utpote corrigens jus commune et restringens potestatem episcoporum, strictam recipere debet interpretationem.

c. Hinc, in decreto *A sacra,* Sacra Rit. Congr. oratoria

[1] Cf. F. a Mostazo, *De causis piis,* lib. I, c. 1, n. 33-34, Venetiis, 1735, t. 1, p. 4.

[2] Negat Gatticus, c. XVI, n. 14; item Schmalzgrueber in tit. *De religiosis domibus,* n. 150. — Affirmant autem Reiffenstuel, in eumd. tit., n. 3, et Leurenius, in eumd. tit., q. CMXXVII.

[3] *Thesaurus S. C. C.,* t. CVII, p. 227-233.

locorum piorum clare intellexit inter *semi-publica*, sive in definitione generali supra tradita, sive etiam declarando in specie ut semi-publica « oratoria quæ pertinent *ad nosocomia et orphanotrophia*, atque similia oratoria *in quibus ex instituto aliquis christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam missam* ».

4° *Quartum genus. Oratoria locorum publicorum.* — Voco *loca publica* seu *domos publicas*, eas domus *quæ non reservantur habitationi alicujus familiæ privatæ, sed, vi fundationis aut erectionis, destinantur communi utilitati, unaquæque juxta indolem suam;* sic collegia pro educanda juventute, gymnasia, lycæa, carceres, et, ni fallor, præsidia militum (*garnisons*), etc. De quibus hæc dicenda :

a. Juxta hodiernam S. Congr. Conc. jurisprudentiam, hæc loca recenseri non debent inter *domos privatas*, et proinde episcopus potest, auctoritate propria, in eis erigere oratoria. — Constat : 1. Quia domus communi utilitati destinatæ, ut lycæa, ægre dici possint *domus privatæ*, juxta genuinum hujus locutionis sensum, quæ stricte accipienda est; — 2. Quia *loca publica*, de quibus agimus, differunt quidem a locis *religiosis* (quæ requirunt erectionem episcopalem), non vero substantialiter differunt a locis *mere piis*, ut hospitalia civilia, etc.; utraque enim destinantur communi utilitati, et proinde *ratione publicitatis* non differunt (licet differant *ratione finis*); — 3. Quia in hoc sensu quæsitum resolvit S. Congr. Conc., in *Monasterien.*, 5 apr. 1851, *per summaria precum :* « Quoad loca pia et religiosas domos vel pro spiritualibus exercitiis erectas cum approbatione Ordinarii, *vel publica sine ea approbatione, episcopum non indigere facultatibus pro concedenda licentia sacrum in iis faciendi*[1]; » — 4. Demum dubium

[1] Lingen et Reuss, *Causæ selectæ S. C. C. per summaria precum*, n. 500, Ratisbonæ, 1871, p. 855.

omne tollit allegatum decretum *A sacra*, quod inter *semi-publica* recenset oratoria « ad *convictus* et *hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata*, ... nec non ad *arces* et *carceres*, atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam missam ».

b. Quoad *carceres publicos*, jam in eodem sensu responderat S. Congr. Conc., an. 1579 et 1648, nempe oratoria in iis locis (licet minime piis) parata, erigi posse ab episcopo[1]; expresse autem designantur in decreto *A sacra*.

c. Domus aut palatia principum, magistratuum, etc., sunt, in sensu conc. Trid., *domus privatæ*, quia reservantur habitationi principis, magistratus, etc., ejusque privatæ familiæ, et ita sæpius respondit S. Congr. Conc.[2]. Unde oratoria in iis erecta egent indulto pontificio. Exceperim tamen capellam principalem summorum principum, quæ, *de facto* et *vi consuetudinis*, excepta fuit a prohibitione Trid., propter perpetuam deputationem ad cultum divinum, magnificam fabricam et ornatum, etc.[3]. — Item non putaverim curiam prætoriam (apud nos *palais de justice*), aulam senatoriam, etc., esse *domos privatas;* non enim inserviunt habitationi alicujus familiæ privatæ.

d. Quoad oratoria in *arcibus* (*citadelles, casernes*, etc.), de horum qualitate usque ad an. 1899 dubitatum fuerat; cum autem expresse designentur in decreto *A sacra*, dubium omne cessat.

100. — Multiplex oratorium in locis prædictis. — Dubium non est quin, in locis prædictis, præcipue in

[1] Apud Gatticum, c. xv, n. 25; quas responsiones Gatticus, ob suam opinionem (supra, n. **99**, 3°), difficile explicat; cf. quæ dicit n. 23.

[2] Apud Gatticum, c. xvi, n. 3-6.

[3] Ita etiam Gatticus, c. xvi, n. 2; — de Bonis, *De oratoriis publicis*, n. 292, p. 314.

palatiis episcopalibus, monasteriis, seminariis, etc., possint erigi, non tantum oratorium *principale*, sed etiam oratoria *minora*, in gratiam sive infirmorum, sive presbyterorum, qui non possent, propter numerum, celebrare omnes in capella principali. — Cujus ratio urgens est quod prædicta loca non computantur inter *domos privatas*, de quibus loquitur conc. Trid. in decreto sæpe allegato *Quanta cura;* unde episcopus libere permittere potest, jure proprio, celebrationem missarum in his locis, non tantum in uno principali oratorio, sed et in pluribus; quod faciebat ante conc. Tridentinum, quod fecit etiam postea, ut Gatticus notat tum de monasteriis [1], tum de palatiis ipsis episcopalibus [2], quod facit etiam in seminariis aliisque similibus locis, ut patet generali usu in Gallia [3].

§ 2. De requisitis ad oratoria semi-publica.

101. — Decretum concilii Tridentini. — In decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis in celebratione missæ*, hæc legimus : « Neve patiantur (episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et *ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda*, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. » Unde tria requiruntur ad quælibet oratoria, etiam minora, locorum publicorum, nempe *designatio* Ordinarii, *visitatio* ejusdem, et *dedicatio oratorii ad cultum divinum tantum :*

[1] C. XVIII, n. 1.

[2] C. XVII, n. 6.

[3] Obstare videtur responsio S. Rit. Congr., in *Nivernen.*, 8 martii 1879, ad 2 (*Decreta auth.*, n. 3484, t. III, p. 104), confirmata (in forma communi) a Leone XIII, in decreto ejusdem S. Rit. Congr., 23 jan. 1899 (*Ibid.*, n. 4007, t. III, p. 355). — Verum hæc responsio in *Nivernen.* non est *Decretum generale.*

1° *Designatio* facta ab Ordinario, nempe designatio loci, in quo exstruendum est aut parandum oratorium. Hæc designatio fit ab *Ordinario*, nempe ab episcopo, vel vicario generali aut capitulari, aut prælato *Nullius;* potest autem designare locum vel *per se* vel *per alium*, vel etiam acquiescere designationi factæ ab alio, v. g., a superiore monasterii, seminarii, etc.

2° *Visitatio* ejusdem Ordinarii; antequam enim Ordinarius dedicet oratorium, *visitare* illud debet *per se* vel *per alium*, ut videat, num omnia se recte habeant in hoc oratorio. — Oratorium autem illud, post suam dedicationem, remanet obnoxium *visitationi canonicæ* episcopi, quia est, vi erectionis episcopalis, locus *religiosus* et sacer, fruensque immunitate asyli.

3° *Dedicatio oratorii ad cultum divinum tantum;* hæc dedicatio duo saltem importat :

a. Ut oratorium *deinceps non adhibeatur nisi ad cultum divinum*, seu liberum sit ab omnibus usibus domesticis aut profanis (ut supra dictum est de oratoriis stricte domesticis), de quo præcepta edere possunt episcopi, vel modo generali, per statuta diœcesana, vel modo particulari in casu, etiam sub pœna non approbandi oratorium.

b. Ut oratorium *cum quadam stabilitate deputetur ad cultum*. Oratorium enim de quo agimus, sive principale, sive minus, per designationem auctoritate episcopi factam, fit *locus religiosus*, et proinde, ex cap. *Ad hæc*, 4, De religiosis domibus, *non debet amplius mundanis usibus deputari*. Unde non est in arbitrio privati, aut etiam superioris monasterii, seminarii, etc., convertere in usus profanos præfata oratoria, sed tenetur petere licentiam ab Ordinario; hic enim, juxta regulam I juris, in V : « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, »

poterit, justa exigente causa, concedere præfatam licentiam [1].

102. — De benedictione aut consecratione horum oratoriorum.

1° Pro oratoriis semi-publicis *non requiritur benedictio, nec a fortiori consecratio.* — Nam 1. textus juris qui respiciunt benedictionem *oratoriorum* (supra, n. **72**), non agunt nisi de oratoriis *publicis;* — 2. Textus concilii Tridentini, *Neve patiantur*, supra allegatus, non exigit, in sensu genuino, nisi designationem episcopi et deputationem oratorii ad cultum divinum, ut illum interpretatur consuetudo generalis.

2° Attamen, præsertim si agatur de capella principali alicujus communitatis, quæ sit definitive et in perpetuum dedicata cultui divino, potest *benedici*, imo, licet rarissime, *consecrari;* nec desunt exempla hujusmodi oratoriorum consecratorum.

3° Si agatur de quibusdam parvis oratoriis, quæ non diu permansura prævideantur in suis locis, non nisi imprudenter eis impertiretur benedictio [2], propter maximam difficultatem ea, semel benedicta, convertendi in usus profanos [3].

4° Posita *consecratione* alicujus oratorii semi-publici, datur obligatio celebrandi quotannis festum tum anniversarii dedicationis ejusdem oratorii, tum sancti ejus titularis, ut constat ex duabus decisionibus S. Rit. C. in *Marianopolitana,* supra relatis, *De oratoriis publicis*, n. **72.**

[1] Ita docet Gatticus, c. XVIII, n. 5; quem sequitur Gasparri, *De eucharistia,* n. 222, Parisiis, 1897, t. I, p. 154.

[2] Ita etiam Gatticus, c. XII, n. 18.

[3] Cf. quæ dicta sunt supra de ecclesiis, n. **27**, 6°; **28**, not. 3.

§ 3. De functionibus quæ fieri possunt in oratoriis semi-publicis.

103. — Status oratoriorum semi-publicorum relative ad parochum.

N. B. — Non agimus hic nisi de capellis *principalibus* locorum religiosorum, communitatum, etc. — Porro :

1° Quoad *functiones ecclesiasticas ;* idem prorsus dicendum ac dictum est supra de Oratoriis *publicis* (n. **74**), nempe omnes functiones *sacerdotales* (*non parochiales*), quæ ibi enumerantur, posse etiam peragi in oratoriis de quibus agimus. Nam, vi decretorum S. Congr. Rit., an. 1703, ad 13, hæ possunt peragi *etiam in oratoriis privatis confraternitatum*, de quibus præcipue agebatur in his decretis; ergo a fortiori peragi possunt in capellis *principalibus* communitatum, quæ magis accedunt ad oratoria publica. — Notandum etiam est, quoad præceptum missæ diebus dominicis et festivis audiendæ, non tantum hos fideles qui, ex ipsa natura loci, in hæc oratoria semi-publica convenire solent, sed *quoscumque fideles* posse ibi huic præcepto satisfacere, ut per se satis patet, et declaravit S. Rit. Congr., in *Romana*, 3 aug. 1901 : « Particulam decreti generalis super oratoriis semi-publicis, n. 4007, die 23 jan. 1899 : *Atque similia oratoria in quibus ex instituto aliquis christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam missam*, intelligi posse de quibuscumque fidelibus qui, assentiente domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad prædicta oratoria pro audienda missa etiam in adimplementum præcepti festivi [1]. »

2° Quoad *sacramenta* et *funera*, servanda sunt stricte

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXIV, p. 427; ubi legas doctas Piazzesi animadversiones in sensum hujus responsionis (p. 427-431).

jura parochialia, nisi qua communitas impetraverit exemptionem plus minusve totalem a jurisdictione parochi, de quo suo loco.

3° Quoad *rem liturgicam*, hæc oratoria *principalia* communitatum, etc., assimilantur oratoriis publicis, quoad hunc nempe effectum, ut sacerdos extraneus, celebrans in his capellis principalibus, teneatur conformare missam, non proprio kalendario, sed kalendario loci, scilicet capellæ. — Constat decisione S. Rit. Congr., in *Ruthenen.*, 22 maii 1896, in qua, quum quæreretur : « Utrum, post decretum generale 9 dec. 1895 editum *De missa conformi officio ecclesiæ vel oratorii publici* [1], kalendario loci, an vero celebrantis, respondere debeant missæ, quæ celebrantur in capellis episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum, » respondit S. Congr. : « Dummodo agatur de *capella principali*, quæ instar oratorii publici ad effectum memorati decreti habenda est, *affirmative* ad 1, *negative* ad 2[2]. »

104. — Potestas episcopi super hæc oratoria.

1° Cum cit. conc. Trid. decretum *Quanta cura*, sess. XXII, non afficiat nisi *domos privatas*, quales non sunt communitates aut loca pia vel publica, de quibus agimus, sequitur potestatem episcopi super oratoria horum locorum remansisse integram, sicut erat ante conc. Trid. — Unde, nisi obstet jus commune, episcopus permittere potest ut fiant in his oratoriis, non tantum prædictæ (n. **103**) functiones aut solemnitates, sed etiam aliæ quæ

[1] *Decreta auth.*, n. 3862, t. III, p. 288; habes hoc decretum ad calcem hujus voluminis, *Documentum I.*

[2] *Ibid.*, n. 3910, t. III, p. 306; ad calcem hujus voluminis, *Documentum I*, 2°.

his oratoriis congruant[1]. Sic, in oratoriis principalibus seminariorum, potest vel ipse peragere, vel permittere ut alius episcopus peragat sacram ordinationem. — Dixi : *Nisi obstet jus commune;* quod per se patet; sic *jure communi*, permittere nequit ut in his oratoriis asservetur sacra eucharistia[2].

2° Episcopus, in oratorio palatii episcopalis, potest item peragere aut peragi facere quascumque functiones, v. g., sacram ordinationem, administrationem sacramenti confirmationis, consecrationem altarium portatilium, etc., ut notat Benedictus XIV, in encycl. *Magno,* § 1.

105. — Oratoria minora communitatum.

1° Potestas episcopi in hæc oratoria non fuit restricta a conc. Trid., quum non sint *in domibus privatis;* unde posset episcopus, præter celebrationem missarum, alias functiones in his permittere. — Attamen, quum hæc minora oratoria non sint inducta in communitatibus nisi propter infirmos, aut propter majorem numerum sacerdotum, qui missam celebrare cupiunt, non ordinantur, natura rerum aut nisi aliter velit episcopus aut ferat consuetudo, nisi ad celebrationem missæ, cum distributione sacræ communionis.

2° In his oratoriis minoribus non applicatur cit. S. Congr. Rit. decretum in *Ruthenen.*, ut verbis ipsius decreti patet; ergo, quoad celebrationem missæ sacerdotis extranei in his oratoriis, servanda est disciplina quæ vigebat ante decretum generale an. 1895, et decretum in *Ruthenen.:* quæ decreta non respiciunt nisi ecclesias, oratoria publica, et capellas principales communitatum, et proinde relinquunt oratoria minora in suo statu et disciplina. — Unde, si sacerdos

[1] Cf. Gatticum, c. XVIII, n. 6 sq.
[2] Cf. *Prælectiones canonicas de Missa,* n. 150.

extraneus celebret in his oratoriis, distinguendum est : vel color liturgicus officii (nempe celebrantis et oratorii), *idem* est, et tunc sacerdos missam conformare *potest* suo officio, imo *debet,* si istud officium sit duplex; — vel color est *diversus*, et tunc sacerdos missam conformare *debet* officio loci si istud sit *duplex;* si vero istud sit *semiduplex, potest* missam conformare suo officio, imo *debet*, si istud sit duplex. — Hæc enim disciplina quæ, ante decretum 1895, valebat pro ecclesiis et oratoriis publicis, extensa fuerat, vi plurium decretorum S. Rit. Congr.[1], ad oratoria, etiam minora, communitatum. — Ita saltem probabilius, contra illos qui opinantur, in his minoribus communitatum oratoriis, sacerdotem extraneum semper teneri missam celebrare conformem officio suo; hi dejiciunt hæc oratoria ad statum oratoriorum mere domesticorum, a quibus toto cælo differunt. Multo libentius, cum aliis, in eodem gradu posuerim, quoad missarum celebrationem, hæc minora communitatum oratoria et capellam principalem, nisi obstare videretur præfata S. Rit. Congr. decisio in *Ruthenen.*

§ 4. De oratoriis Regularium[2].

N. B. — Non agitur hic de oratoriis publicis aut ecclesiis Regularium, sed tantum de *privatis.*

106. — Oratoria in conventibus Regularium.

1° Ante concilium Trid., Regulares, vi variarum pontificiarum concessionum, liberrime erigebant in conventibus

[1] V. g., in *Annecien.*, 1 dec. 1882 (Gardellini App., n. 5855); — in *Marianopolitana*, 18 julii 1885 (*ibid.*, n. 5943), ad 11.

[2] Gatticus, c. XVIII; — de Bonis, *De oratoriis publicis*, c. XVI-XVII.

suis (præter ecclesias suas publicas) oratoria privata[1], ad missarum celebrationem, sine ulla restrictione. — Clarum est hæc oratoria non cadere sub prohibitione decreti conc. Trid., *Neve patiantur privatis in domibus*, etc.; conventus enim Regularium non sunt domus privatæ; attamen pristina Regularium potestas relative ad hæc oratoria gravem passa est restrictionem; dicit enim concilium, in præfato decreto : « Neve patiantur (episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et *ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda*, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut *regularibus quibuscumque* peragi; » et in fine : « Non obstantibus *privilegiis, exemptionibus,* appellationibus ac consuetudinibus *quibuscumque.* » Unde, quidquid dicunt nonnulli, præsertim ex Regularibus[2], vi hujus decreti, Regulares, ad erigenda in suis conventibus oratoria, egent licentia episcopi, qui ea oratoria *designabit*, et *visitabit;* clara enim sunt verba concilii.

2° Verum Gregorius XIII, brevi *Decet Romanum Pontificem,* 3 maii 1575, concessit Societati Jesu amplius privilegium, his verbis : « Volumus, ut in oratoriis et capellis quæ ipsius Societatis *Provinciales per se in domibus, collegiis et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, missæ et alia divina officia, alterius licentia desuper minime requisita, celebrari possint*[3]. » Unde, vi hujus privilegii, Provincialis substituitur episcopo, ejusque vices gerit in designandis et approbandis oratoriis. Quod dicitur de Provinciali, dici debet de Generali, ut ex ipso brevi patet.

[1] Gatticus, c. VIII, n. 24 sq.

[2] Apud de Bonis, *loc. cit.*, c. XVI, n. 285 sq., 296 sq., p. 313.

[3] Hoc breve reperias in opere *Institutum Societatis Jesu,* Pragæ, 1757, t. I, p. 50-53. — Cf. etiam *Compendium privilegiorum S. J.,* v° *Oratoria,* § 1, *ibid.,* p. 324.

3° Hoc privilegium, *vi communicationis privilegiorum*, extensum censetur ad alios ordines regulares, in quibus proinde Provinciales, aut qui horum locum tenent, quocumque nuncupantur nomine, designandi et approbandi oratoria in ipsorum conventibus jus habent.

4° De hoc Regularium privilegio, hæc notanda : 1. Provinciales debent *per se* approbare oratoria, licet possint, *per alios*, instituere inquisitionem, num recte se habeant omnia in oratoriis approbandis; — 2. Nulla restrictio apponitur celebrationi missarum; unde, sub hoc respectu, hæc oratoria assimilantur oratoriis publicis; — 3. Non tantum missæ, sed et *alia divina officia*, ibi celebrari possunt, v. g., illæ functiones quæ permittuntur in oratoriis publicis, modo congruant his oratoriis [1]; — 4. Ut Regulares uti possint *hoc privilegio*, requiritur ut *domus* vel *locus sint vere ipsorum*, non vero, v. g., domus privata, in qua dominus hospitio recipiat Regulares [2].

107. — Oratoria in granciis Regularium [3].

1° *Granciæ* seu *grangiæ* Regularium (de quibus agitur cap. *Auctoritate*, 27, De censibus), sunt duplicis speciei : 1. *Granciæ proprie dictæ*, nempe *domus rurales ac prædia monasteriorum*, in quibus tantum aliquis conversus aut sacerdos regularis commoratur, rei œconomicæ vigilans, licet forsan, quodam anni tempore, ad ea se recipiant aliqui Regulares, recreationis gratia; — 2. *Granciæ improprie dictæ*, quæ melius dicantur parva monasteria, in quibus aliqui Regulares resident, sed *quæ dependent ab alio*

[1] Gatticus, c. xviii, n. 6-11.

[2] *Ibid.*, n. 12. — Sunt vero alia privilegia, v. g., pro *seminariis*, ad quæ moderanda deputati sint Regulares. Cf. cit. *Compendium priv. S. J.*, v° *Oratoria*, § 2, p. 324.

[3] Vide ap. Fagnan optimam *Disceptationem de granciis* (post cap. *Auctoritate*, 27, De censibus).

majori monasterio, cujus sunt membra. De his parvis conventibus idem dicendum est, quoad oratoria, quod de conventibus ordinariis; unde non agitur hic nisi de granciis stricte dictis.

2° Ex *jurisprudentia SS. Romanarum Congregationum*, granciæ *stricte dictæ* habentur, ratione missæ celebrandæ, uti *domus privatæ*, et proinde cadunt sub prohibitione concilii Trid., in decreto *Neve patiantur*, etc. — Constat pluribus decisionibus harum Congregationum, et præsertim resolutione S. C. C., 1 martii 1687 [1]; et ratio est quod hæ granciæ, ex sese et vi directæ et propriæ institutionis, quæ sola attendenda est, referuntur ad opera profana et materialia [2].

3° Attamen, juxta communem interpretationem, comprehenduntur in privilegio Gregorii XIII; hoc enim privilegium agit de *domibus, collegiis, et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt,* non determinando naturam locorum, nec numerum aut qualitatem residentium; unde sufficere videtur ut residere soleat *unus* Regularis; imo, quidquid dicit Gatticus [3], licet non sit *sacerdos*, sed tantum *conversus;* dicitur enim tantum, « ubi *aliqui Societatis* residebunt [4]. » — Hoc autem posito, nulla facienda est restrictio celebrationi missarum in his granciarum oratoriis, nisi quod Provinciales summopere cavere debent, ne, absentibus sacerdotibus regularibus, aliquid detrimenti capiat reverentia tanto sacrificii debita [5].

[1] Apud Gatticum, *loc. cit.*, n. 24; — cf. alias apud Fagnan, *loc. cit.*, et Petra, *In const. VIII Honorii III*, n. 51 sq., t. II, p. 267, ed. Venetiis.
[2] Fagnan, *loc. cit.*, n. 8 sq.
[3] *Loc. cit.*, n. 22.
[4] Cf. *Compendium priv. S. J., loc. cit.*, p. 324.
[5] Cf. Gatticum, *loc. cit.*, n. 25-26.

TITULUS III

DE ALTARIBUS

CAPUT I

NOTITIÆ HISTORICÆ [1]

108. — Materia altarium.

1° Ad imitationem mensæ supra quam D. N. Jesus Christus primus missæ sacrificium obtulit, et quæ verisimiliter lignea erat, Ecclesia prioribus sæculis usa est altaribus plerumque *ligneis:* qui usus adhuc vigebat sæculis IV et V. Testes habemus : S. Athanasium, qui narrat in ecclesia quadam *mensam* (nempe altare) ablatam fuisse ab Arianis, et combustam, *quia lignea erat* (an. 356)[2]; — S. Optatum Milevitanum (scripsit circa

[1] Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. III, art. 6, Bassani, 1788, t. I, p. 111; — Bingham, *Origines eccl.,* lib. VIII, c. VI, § 11 sq., Halæ, 1727, t. III, p. 220 sq.; — Martigny, *Dict. des antiquités chrétiennes,* v^is *Arcosolium, Autel;* — Rohault de Fleury, *La messe,* Paris, 1883, t. I; — Thiers, *Les principaux autels des églises,* Paris, 1688. — De altaribus in cœmeteriis subterraneis romanis, cf. præsertim de Rossi, *Roma sotterranea,* Roma, 1877, t. III, lib. III, c. XIV, p. 488-495.

[2] S. Athanasius, *Hist. Arianorum, ad monachos,* n. 56; Migne, *P. G.,*

an. 370), qui narrat Donatistas *altaria omnia christiana vel rasisse, vel fregisse, vel tantum removisse, prout lignorum copia vel inopia suadebat;* quod supponit omnino hæc altaria fuisse *lignea;* quod paulo post disertius exprimit : « Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis, *ipsa ligna linteamine cooperiri* [1]? » — S. Augustinum, qui, in epistola ad Bonifacium (an. 417), narrat Donatistas episcopum, stantem ad altare, occidisse fustibus, telis et denique *lignis ejusdem altaris effracti* [2]. — Hic autem usus, ut ostendit Martène [3], ita perseveravit in Anglia, Gallia, et alibi, ut etiam tempore Caroli Magni, fiat non semel mentio altarium ligneorum.

2° Attamen etiam alia materia, prioribus sæculis, adhibita est pro altaribus. Sic, tempore persecutionum, quando missa celebrabatur in cœmeteriis, sacrificium haud raro offerebatur in *mensa* seu *tabula lapidea* quæ vel posita erat super sepulcrum alicujus martyris, vel applicita muro prope sepulcrum in arcosoliis [4]; altare *lapideum* memorat item S. Gregorius Nyssenus (m. a. circiter 395), *In Baptismum Christi :* « Altare hoc sanctum, cui assistimus, *lapis est natura communis...,* sed, quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est [5]. » Item S. Chrysostomus (m. a. 407), *Homil.,* XX, *In Epist. II ad Cor.,* n. 3 : « Hoc altare... *natura quidem lapis est,* sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit [6]. » — *Liber pontificalis* memorat plura *altaria argentea* a Constantino Magno aut aliis dono data variis basilicis, in *Vita Silvestri, Vita Xysti III, Vita Hilari* [7]. — Sozomenus memorat altare *ex auro et lapi-*

t. XXV, col. 760; — de vocabulo *mensa,* quo nuncupabatur olim *altare,* cf. Suicer, *Thesaurus ecclesiasticus,* v° τράπεζα.

[1] S. Optatus, *De schismate Donatistarum,* lib. VI, n. 1; Migne, *P. L.,* t. XI, col. 1065, 1068.

[2] Epist. CLXXXV, n. 27; Migne, *P. L.,* t. XXXIII, col. 805.

[3] *Loc. cit.*

[4] Martigny, *loc. cit.*

[5] Migne, *P. G.,* t. XLVI, col. 581.

[6] Migne, *P. G.,* t. LXI, col. 540.

[7] Ed. Duchesne, t. I, p. 172, 177, 182, 232-233, 244.

dibus pretiosis a Pulcheria datum ecclesiæ Constantinopolitanæ [1].

109. — Forma altarium. — Initio, quod omnino verisimile est, formam referebant mensarum communium. In cœmeteriis, imitabantur potius formam tumuli aut sepulcri, quatenus nempe constabant præcipue tabula proxima sepulcro martyris. Reddita pace Ecclesiæ, visa sunt altaria sub forma mensæ lapideæ innixæ uni columnæ, et sæpius duabus aut pluribus columnis. Forma tamen quæ prævaluit est forma mensæ positæ super structuram quadratam, ad modum tumuli, quia nempe continebat altare reliquias sanctorum [2].

110. — Reliquiæ sanctorum in altari deponendæ.

1° Primis Ecclesiæ temporibus, et etiam tempore persecutionum, ædificatæ sunt, in areis sepulturarum, *ecclesiæ cœmeteriales*, in quibus celebrabantur officia funebria pro defunctis [3]; sæpius autem constructæ sunt super aut prope sepulcra martyrum; inde plurimæ *memoriæ martyrum* (n. **2**,6°). — In his autem ecclesiis seu *memoriis* martyrum, missa celebrabatur, ut supra dictum est de cœmeteriis, in tabula posita super ipsum martyris sepulcrum, aut saltem prope illud; de quo plurima sæculo IV occurrunt testimonia; sic S. Hieronymus ironice, *Contra Vigilantium*, n. 8 : « Male facit ergo Romanus episcopus qui *super mortuorum hominum Petri et Pauli ossa veneranda..., offert Domino sacrificia*, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria [4]. » Sic etiam omnino supponit passim in suis carminibus Prudentius [5].

2° Cum autem rara essent corpora integra martyrum, aut

[1] *H. E.*, lib. IX, c. 1; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 593.

[2] Vide plurima horum altarium exemplaria pro omnibus sæculis, apud Rohault de Fleury, *loc. cit.* — De *unitate altaris* in una ecclesia, cf. Bingham, *loc. cit.*, §§ 16, 17; — Martène, *loc. cit.*

[3] De his cf. de Rossi, *Roma sotterranea*, Romæ, 1877, t. III, p. 454.

[4] Migne, *P. L.*, t. XXIII, col. 346.

[5] V. g., *Peristephanon*, III, 211-215; XI, 170 sq.; Migne, *P. L.*, t. LX, col. 356, 548-549. — Cf. *Liber pontificalis* (ed. Duchesne), *Vita Felicis*, t. I, p. 158.

potius cum a tumulo proprio removeri non solerent, visum est sufficere *reliquias* aut *pignora* martyrum, et sic ædificari cœpere ecclesiæ, in quarum altari, tanquam in sepulcro, deponerentur reliquiæ martyrum. Prima forsan hujus rei exempla habentur in S. Ambrosio qui in civitate Florentinorum basilicam constituit cum reliquiis martyrum Vitalis et Agricolæ, et postea Mediolani dedicavit basilicam cum *reliquiis* SS. apostolorum Petri et Pauli, ab urbe Roma relatis [1]. Quod fecit etiam S. Paulinus in basilica Fundana : « Verum, ait, hanc quoque basiliculam, *de benedictis apostolorum et martyrum reliquiis,* sacri cineres consecrabunt [2]. » — Imo paulatim mos invaluit, ut non dedicaretur ecclesia sine reliquiis, quæ præcipue in ejus altari deponerentur. Hinc S. Gregorius scribebat ad Mellitum, qui in Angliam profecturus erat : « Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis (in ecclesias convertendis) aspergatur, *altaria construantur, reliquiæ ponantur* [3]. »

3° Attamen, ante sæculum VII aut VIII, non fuit lex canonica generalis, jubens reponi reliquias in ecclesiis. Constat tum pluribus exemplis ecclesiarum sine reliquiis dedicatarum [4], tum præsertim epistola Vigilii ad Profuturum episcopum (an. 538) supra (n. **10,** 3°) relata, in qua apprime distinguit inter ecclesiam, « in qua *sanctuaria non ponuntur,* » et ecclesiam, in qua ponuntur [5].

4° Concilium Nicænum II (an. 787), can. 7, prohibet omnino ne sine reliquiis templa consecrentur : « Quæcumque templa con-

[1] Cf. Paulinum diac., *Vita S. Ambrosii,* n. 29, 30; Migne, *P. L.,* t. XIV, col. 37, 38; et Ambrosium, *Epist.,* XXII, *Ad Marcellinam,* n. 1, Migne, *P. L.,* t. XVI, col. 1019. — Initio hæc *pignora* vel *reliquiæ* martyris, non erant fragmenta ejus corporis, sed lintea vel panniculi, quæ tetigerant ejus corpus et præsertim ejus sanguine fuerant imbuta. Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien,* c. XII, § 1, Paris, 1903, p. 402.

[2] S. Paulinus, *Epist.,* XXXII, *Ad Severum,* n. 17; Migne, *P. L.,* t. LXI, col. 338.

[3] *Epist.,* lib. XI, ep. LXXVI; Migne, *P. L.,* t. LXXVII, col. 1215. — Cf. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. II, c. XIII, n. 8-9, t. II, p. 242.

[4] De quibus Martène, *loc. cit.,* n. 10.

[5] Canon 83 *Codicis Ecclesiæ africanæ,* qui canon ascribendus est concilio Carthaginensi (13 sept. 401), jubet quidem destrui *memorias marty-*

secrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, *in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem* cum consuetis precibus; episcopus autem, post hæc, *templum consecrans sine sanctis reliquiis, deponatur, ut qui ecclesiasticas traditiones transgressus sit*[1]. » Hæc ultima verba demonstrant præfatum morem, a tempore Vigilii, multum invaluisse.

5° Cum autem locus aptissimus, in quo recondantur reliquiæ, sit altare, hinc mos invaluit ut, in omnibus ecclesiis, reliquiæ recondantur in altari, imo ut non possit consecrari altare sine reliquiis; quod præscriptum tandem est in *Pontificali Romano*.

111. — Dedicatio seu Consecratio altaris.

1° Altare *simul cum ecclesia* dedicari consuevit, nempe una et eadem consecratione, quæ erat vel « celebritas missæ », ut aiebat Vigilius, pro ecclesiis sine reliquiis dicandis, vel, pro ecclesiis cum reliquiis consecrandis, *repositio reliquiarum* in ipso altari, quod ad hoc, per modum sepulcri, precibus parabatur. — Attamen, etiam in ecclesiis *sine reliquiis*, inveniuntur jam in *Sacramentario* sic dicto *Gelasiano*[2], intra ritum consecrationis ecclesiæ, ritus consecrationis altaris, precibus aspersionibusque (cum aqua mixta vino) constans. Qui ritus mox aucti sunt, ut patet ex *Sacramentario Gregoriano* aliisque documentis supra (n. **10,** 4°) relatis, ubi de dedicatione ecclesiæ. Jam sæculo VI, saltem in quibusdam regionibus, altaria sacro chrismate ungebantur, ut constat conc. Agathensi (an. 506), can. 14 : « Altaria placuit non solum *unctione chrismatis*, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari[3]; » et conc. Epaonensi (an. 517), can. 26 : « Altaria, nisi lapidea, *chrismatis unctione* non sacrentur[4]. »

rum, « in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur; » sed non vetat alias ecclesias ædificari sine reliquiis, ut legenti patet (Bruns, *Concilia*, t. I, p. 176).

[1] Mansi, t. XIII, col. 751.

[2] Muratori, *Liturgia romana vetus*, Venetiis, 1748, t. I, p. 610-611.

[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 149.

[4] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 170.

2° Aliquando tamen altaria separatim ab ecclesia consecrabantur, v. g., quando novum altare erigebatur, vel hujus omissa fuerat, quacumque de causa, consecratio. Ad hanc distinctam consecrationem referendi videntur cit. textus conciliorum Agathensis et Epaonensis [1].

112. — De altari portatili. — Hucusque actum est de altari proprie dicto, seu *fixo* et *immobili;* nunc quædam historice de altari *portatili,* seu *tabula vicem altaris tenente.*

1° Non loquar de temporibus persecutionum, quibus, ob instantem necessitatem, quæ legem non habet, sacrum sacrificium eo loco et eo modo quo poterat offerebatur. S. Dionysius Alexandrinus (m. a. 265) aiebat : « Quivis locus..., ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit [2]. » Unde concludendum est quamlibet mensam, aut etiam manus diaconorum (ut etiam postea factum [3]), satis fuisse ad offerendam sacratissimam hostiam.

2° Certo sæculis VII et VIII vigebat usus altarium portatilium, ut constat testimoniis V. Bedæ (m. a. 735), qui, loquens de duobus presbyteris, ait : « Quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et *tabulam, altaris vice dedicatam* [4]. » — Cujus tabulæ, sæculo proxime sequenti, materiam aliaque adjuncta assignat Hincmarus (m. a. 882) : « ...Si necessitas poposcerit, donec ecclesia vel altaria consecrentur, et in capellis etiam quæ consecrationem non merentur, *tabulam* quisque presbyter, cui necessarium fuerit, *de marmore*, vel *nigra petra* aut *litio honestissimo* [5]... habeat, et nobis ad consecrandum offerat, quam secum quum expedierit deferat [6]... » Hanc

[1] Refert D. Martène plures *ordines* veteres, hanc separatam altaris dedicationem spectantes; *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. II, c. XVI, t. II, p. 288-290.

[2] Eusebius, *H. E.,* lib. VII, c. XXII; Migne, *P. G.,* t. XX, col. 688.

[3] Cf. Mabillon, diss. *De altaribus,* apud Zaccaria, *Disciplina populi Dei,* Venetiis, 1761, t. II, p. 79.

[4] *Hist. eccl. angl.,* lib. V, c. X; Migne, *P. L.,* t. XCV, col. 244.

[5] *Litium* (græce λιθίον, *lapillus*) est species lapidis (forsan quem dicimus *ardoise*), du Cange, v° *Litium.*

[6] Hincmarus, *Capitulare III,* cap. III; Migne, *P. L.,* t. CXXV, col. 794.

tabulam altaris consecratam clarissime memorat etiam concilium Moguntinum (an. 888), can. 9 [1].

3° Vocabatur *altare gestatorium*, *altare itinerarium*, *tabula*, *lapis itinerarius*, *altare viaticum*, et solebat aptari in tabula lignea concava, quæ nempe sartum tectumque altare conservaret. — Solebat etiam consecrari *cum impositione reliquiarum*, licet non ubique [2].

[1] Mansi, *Concilia*, t. XVIII, col. 67.

[2] Vide ritus consecrationis apud Martène, *loc. cit.*, c. XVII, p. 291-293.

CAPUT II

DE ALTARI FIXO

N. B. — Ne inducatur confusio, agam, in hoc capite, de solo altari *fixo* seu *immobili*, remissa ad caput III tractatione de altari *portatili;* sit semel dictum.

§ 1. De notione, materia et structura altaris.

113. — Notio prævia. — Altare triplici elemento constat : 1. *tabula* seu *mensa* superiori; 2. *stipite*, seu structura inferiori; 3. *conjunctione* utriusque per modum unius, ita ut altare sit illud totum quod *tabula* et *stipite* constet. — Dicitur autem hoc altare *fixum*, quia nempe tabula immobiliter adhæret stipiti, ita ut ab eo separari nequeat, quin exsecretur altare. — Insuper, in altari, paratur *sepulcrum* ad condendas sanctorum reliquias.

114. — Tabula altaris. — Hæc *tabula* seu *mensa*, quæ stipiti superimponitur, debet constare *unico lapide*, *puro* et *integro*.

1° *Lapide*. Requiritur omnino ut hæc mensa sit *lapidea*. — Constat :

a. Consuetudine antiquissima. — Licet enim, initio, altaria fuerint, ut dictum est, ex qualibet materia apta, attamen usus altarium *lapideorum* prævaluit. Primum documentum juridicum certum hac de re[1], est canon 26 concilii Epaonensis (an. 517) : « Altaria, nisi *lapidea*, chrismatis unctione non sacrentur[2]. » Qui canon insertus est in Collectiuncula canonum, quæ, inter capitularia Caroli Magni, vocatur *Capitulare an. 806*, cap. XVI : « De altaribus non consecrandis, nisi *lapideis*[3], » et etiam in Gratiani decreto, can. *Altaria*, 31, dist. I, De consecratione. Concilium Coyacense (in Hispania), an. 1050, can. 3, item jubet : « Altaris vero ara *tota sit lapidea*, et ab episcopis consecrata[4]. » Unde usus altaris *lapidei* evasit universalis : quod, suo tempore, nempe sæculo XIII, testantur S. Thomas : « Altare fit *solum de lapide*[5]. » et Gulielmus Durandus : « Non ergo unguntur altaria *nisi lapidea*[6]. » — Hi autem auctores addunt rationes mysticas, præcipue has duas : 1. quia Christus sepultus est in sepulcro lapideo ; 2. quia altare repræsentat Christum, qui vocatur in Scriptura sacra *petra* (πέτρα, I Cor., X, 4), *lapis angularis* (λίθος ἀκρογωνιαῖος, I Petr., II, 6; Eph., II, 20). Has rationes affert etiam Simeon Thessalonicensis (sæc. XV)[7].

b. Rubricis generalibus Missalis, p. I, tit. XX : « Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est,

[1] Nam decretum quod tribuitur S. Silvestro est apocryphum.
[2] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 170.
[3] Baluze, *Capitularia*, t. I, col. 457.
[4] Mansi, *Concilia*, t. XIX, col. 787; cf. col. 791.
[5] P. III[a], q. LXXXIII, art. 3, ad 5.
[6] *Rationale*, etc., lib. I, c. VII, n. 28, Lugduni, 1612, f. 35.
[7] *De divino templo*, n. 10; Migne, *P. G.*, t. CLV, col. 705; cf. etiam *De sacro templo*, c. CVII; *Ibid.*, col. 313.

debet esse lapideum. » Unde præfatus usus universalis lege scripta generali confirmatus est.

De quo notanda duo : 1. Requiritur lapis *naturalis,* ita ut non sufficiat *artefactus*, quia solus ille naturalis proprie et simpliciter *lapis* dicitur; — 2. Sufficit lapis ille qui dicitur gallice *ardoise*, *schiste*, ut constat decisione S. Officii, 14 maii 1681[1], et decisione S. Rit. Congr., in *Lamacen.*, 29 apr. 1887[2]; non vero sufficit gypsus (*pierre à plâtre*), ex hac eadem decisione an. 1887.

2° *Unico lapide*, ita ut illegitima sit mensa constans duobus aut pluribus lapidibus, etiam apte et solide inter se ad modum unius conjunctis. — Constat tum ex modo loquendi *Pontificalis Romani,* quod, quoties agitur de *lapide* altaris, semper illum nominat in numero singulari; — tum ex *consuetudine*, quæ, ut aiunt plures doctores[3], unitatem lapidis invexit, ut aptius repræsentetur unitas personæ in Christo; — tum ex pluribus decisionibus *S. Rit. Congr.*, præsertim in *Fanen.*, 17 junii 1843[4], in qua mensam pluribus lapidibus constantem reprobavit.

De quo notandum est, non tantum *illegitimam,* ut probatum est, sed etiam *valde dubiam* esse consecrationem hujusmodi mensarum; licet enim S. Rit. Congr., in una *Vicariatus apost. Cap. Bonæ spei*, 20 martii 1869, responderit : « Altare enormiter fractum, sed postea firmiter cæmentatum, valide consecrari posse[5], » attamen, in decreto 19 maii 1896, ad hoc quæsitum : « An altare, sive fixum, sive portatile, *enormiter fractum*, *sed firmiter cæmentatum*, *aut ex pluribus lapidibus efformatum*, valide ac licite consecrari possit, » respondit : « *Negative*, sc.

[1] *Collectanea Congr. Prop. Fid.,* Romæ, 1893, n. 826, p. 306.
[2] *Decreta auth.,* n. 3674, t. III, p. 187.
[3] V. g., Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.,* n. 33.
[4] *Decreta authentica,* n. 2862, t. II, p. 314.
[5] Gardellini, *Appendix,* n. 5437.

non potest altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari; » quæ sententia S. Rit. C. approbata fuit ac confirmata a Leone XIII [1]. Dubium de *valida* consecratione hujusmodi altarium eo magis crescit, quod in nova editione *Decret. authent. S. Rit. Congr.* (Romæ, 1898), omissa fuit decisio an. 1869. Nullitas tamen consecrationis non est *certa,* quia *decretum* an. 1896 non est *generale,* et nullitates *stricti juris* sunt [2].

3° Uno lapide *puro* et *integro;* — *puro,* ita ut non jungatur lapidi altera materia; in hoc sensu S. Rit. Congr. reprobavit coronam seu zonam, ligneam aut marmoream, qua undique circumdatus erat lapis alicujus mensæ, in *Eugubina,* 29 aug. 1885 [3], et in *Imolen.,* 23 apr. 1893 [4]; inde tamen non sequitur nullitas consecrationis; — *integro,* ita ut nullum sit in lapide foramen, nec ulla pars decisa aut lapsa fuerit; quo tamen non annullatur consecratio, nisi fractura enormis fuerit, ut dicetur infra (n. **122**).

115. — Stipes altaris.

1° Quoad *materiam* et *formam.* Juxta consuetudinem Ecclesiæ, et communem doctorum opinionem [5], *stipes,* quo sustentatur mensa altaris, potest constare, vel *muro lapideo* aut *lateritio* (*maçonnerie de pierres ou de briques*); — vel *quatuor columnis* aut *pilis,* quibus nitatur mensa; — vel partim muro lapideo aut lateritio, et, a parte anteriori, duabus aut pluribus columnis. Quod confirmavit

[1] *Decreta auth.,* n. 3907, t. III, p. 305.

[2] In *Parisien.,* 14 maii 1897 (*Decreta auth.,* n. 3954, t. III, p. 330), concessum est ut in quadam ecclesia civitatis Parisiensis retineri posset altare tribus partibus fractis constans.

[3] *Decreta auth.,* n. 3640, t. III, p. 175.

[4] *Ibid.,* n. 3797, t. III, p. 247.

[5] Suarez, *De eucharistia,* disp. LXXXI, sect. V, § *Dicendum ergo;* — Quarti, *In rubricas missalis,* part. I, tit. XX, dub. 1; — Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.,* n. 32.

S. Rit. Congr., pluribus decisionibus, v. g., in *Trecen.*, 20 dec. 1864[1]; in *Gnesnen.*, 8 junii 1894, ad 1[2], in quibus admisit *ut apta ad consecrationem* altaria hoc modo disposita. — Quod tamen pertinet ad *præceptum*, requiritur amplius ut *saltem columnæ*, quibus nititur mensa, sint *lapideæ;* ita S. Congr. Rit., in *Cuneen.*, 7 aug. 1875, ad 2 : « Ut altare consecrandum sit lapideum[3], oportet ut, etiam in ejus stipite, *saltem latera seu columellæ*, quibus mensa sustentatur, *sint ex lapide*[4]. »

2° Quoad *conjunctionem cum mensa.* Sufficit ut mensa simpliciter superimponatur stipiti, etiam sine cœmento, quia nempe unio *materialis* nullibi requiritur; unde et S. Rit. Congr., in cit. *Gnesnen.*, ad 1, admisit ut sufficiens hujusmodi altare : tunc enim sufficit ut, in ipso ritu consecrationis, stipes et mensa *conjungantur moraliter*, per unctiones, ex sacro chrismate, *in quatuor angulis factas*, ad præscriptum *Pontificalis Romani.* — Attamen, ut per se patet, magnopere expedit ut etiam *physice*, nempe ope cæmenti, ad invicem adhæreant, ut vitetur periculum amotionis tabulæ[5].

116. — Sepulcrum altaris. — Hoc sepulcrum (seu *confessio*) est *aliquis loculus concavus, in quo reponitur vasculum sigillatum continens sacras reliquias.* — Hoc autem sepulcrum potest parari vel in ipsa *mensa* altaris, vel in *stipite.*

1° Parari potest in ipsa *mensa*, nempe in parte supe-

[1] *Decreta authentica*, n. 3126, t. II, p. 444.

[2] *Ibid.*, n. 3829, t. III, p. 263.

[3] Ut præscribit cit. *rubrica Missalis.*

[4] *Decreta auth.*, n. 3364, t. III, p. 55. — Cf. etiam Martinucci, *Manuale sacrarum cæremoniarum*, lib. VII, c. XVIII, n. 2, Romæ, 1872, t. IV, p. 267.

[5] Gasparri, *De eucharistia*, n. 293, t. I, p. 208.

riori mensæ, circa medium et aliquatenus versus partem anteriorem; reponitur in eo loculo vasculum reliquiarum, et deinde clauditur mediante parvo lapide apte super ipsum disposito. Quod patet ex ipso *Pontificali*, tit. *De ecclesiæ dedicatione*.

2° Parari etiam potest in *stipite*, et quidem in tribus locis, vel a parte anteriori stipitis, vel a parte posteriori ejusdem stipitis, vel in summitate stipitis immediate sub mensa altaris. Quod patet ipso textu *Pontificalis Romani*, tit. *De consecratione altaris cujus sepulcrum reliquiarum est in medio summitatis stipitis*. — Porro, quando paratur sepulcrum a parte *anteriori* vel *posteriori* stipitis, reponitur in eo vasculum reliquiarum, et deinde clauditur mediante parvo lapide seu operculo, ut dictum est. Quando vero paratur *in medio summitatis stipitis*, ipsa mensa altaris vices gerit operculi sepulcri[1], et proinde hæc mensa non potest superimponi stipiti nisi in ipso actu consecrationis, postquam vasculum reliquiarum repositum est in sepulcro. Attamen, licet textus *Pontificalis Romani*[2] non supponat, in hoc casu, aliud sepulcri operculum præter mensam altaris, nihil impedit quin sepulcrum proprio et distincto operculo lapideo claudatur, si id videatur expedire.

§ 2. De consecratione altaris.

117. — **Necessitas consecrationis altaris.** — *Omnino necessarium est altare consecrari, ita ut non liceat celebrare missam in altari non consecrato.* — Constat :

[1] Martinucci, *loc. cit.*, c. XXI, n. 9, p. 354.

[2] In prædicto tit. *De consecratione altaris, cujus sepulcrum reliquiarum est in medio summitatis stipitis.*

1° Cap. *Ad hæc*, 1, De consecratione eccl. : « Ad hæc, si altare motum fuerit, ... *debet denuo consecrari.* » Si altare exsecratum debeat novam consecrationem recipere, signum est evidens omnino consecrationem requiri. — Cf. cap. *Quod in dubiis*, 3, eod. tit.

2° *Rubricis generalibus Missalis*, p. I, tit. xx : « *Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est, debet esse* lapideum, et ab episcopo, sive abbate facultatem a Sede apostolica habente, *consecratum.* » Unde nulla potest esse hac de re difficultas, et ita omnes doctores.

118. — Minister consecrationis altaris.

1° Quando altare consecratur *in ipso actu consecrationis ecclesiæ*, minister consecrationis ecclesiæ est etiam minister consecrationis altaris; unde nihil addendum supradictis (n. **11**).

2° Quando altare solum consecratur, ad normam *Pontificalis Romani*, tit. *De altaris consecratione quæ fit sine ecclesiæ dedicatione*, idem etiam dicendum sive de ministro *quoad validitatem*, sive de ministro *quoad liceitatem*, sive de privilegio Regularium advocandi, ad consecrationem altaris, alium episcopum, præter diœcesanum, si hic recusaverit. — Notandum tantum simplicem presbyterum posse quidem, vi indulti pontificii, consecrare altaria (ut etiam supponit cit. *rubrica Missalis*), nunquam vero vi consuetudinis, etiam immemorabilis; quia nempe quæ sunt *ordinis superioris* (licet jure humano tantum huic ordini annexa) nunquam possunt acquiri consuetudine, quæ est potius corruptela. Ita clare ex cap. *Aqua*, 9, De consecratione eccl. [1].

[1] Et ita omnes doctores; cf. Reiff., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 34-35.

119. — De reliquiis in altari reponendis, in ejus consecratione.

1° *Necessitas reponendi reliquias in altari.*

a. Sub gravi præceptum est ut in quolibet altari consecrando reponantur reliquia. — Constat : 1. *Universali Ecclesiæ consuetudine,* cujus originem supra (n. **110**) indicavimus, quæ manifestatur, inter alia, per hæc verba quæ profert sacerdos missam inchoans : « ... Per merita sanctorum tuorum, *quorum reliquiæ hic sunt,* » et etiam notatur in jure, nempe cap. *Ad hæc*, 1, De consecratione eccl., in quo vocabulum, *sigillum* altaris, significat, juxta omnes[1], parvum lapidem qui operit sepulcrum reliquiarum; — 2. *Præcepto expresso Pontificalis Romani,* quod in titulis *De eccl. dedicatione* et *De altaris consecratione,* initio, præcipit ut, pro singulis altaribus consecrandis, pridie præparentur reliquiæ in vasculo claudendæ, et, die consecrationis, in singulis altaribus reponendæ.

b. Hoc præceptum est *sub pœna nullitatis consecrationis.* — Constat, non quidem ullo textu juris, aut *Pontificalis,* sed *eadem Ecclesiæ consuetudine,* vi cujus altaria, statim ut amoventur reliquiæ, habentur ut *exsecrata, et iterum consecranda*, ad quam consuetudinem inducendam et firmandam non parum profuerunt plures decisiones S. Rituum Congregationis, cujus revera constans jurisprudentia est, reliquias requiri *sub pœna nullitatis,* ut videre est in *Instructione*, 6 oct. 1837, ad episcopum Rhedonensem missa[2].

[1] Cf. Durandum, *Rationale,* etc., lib. I, c. vi, n. 34, ed. Lugduni, 1612, f. 29; — du Cange, v° *Sigillum altaris;* — Gonzalez, in cit. cap. *Ad hæc,* nota *b.*

[2] Vide decisiones S. Rit. Congr., 5 martii 1603, 10 nov. 1612, 5 martii 1623, 21 junii 1710, apud Giraldi, *Expositio juris,* etc., part. I, sect. dxcix, p. 417, vel apud S. Alph., lib. VI, n. 369; — insuper cit. *Instructionem,* 6 oct. 1837, in *Rhedonen.* (*Decreta authentica*, n. 2777, t. II, p. 280), ubi allegatur alia decisio in *Augustana,* 21 apr. 1668; — demum

Unde licet olim multi et graves doctores[1], quorum nomina affert S. Alphonsus[2], hac de re dubitaverint, imo aperte docuerint reliquias non requiri ad validitatem consecrationis, hodie hæc opinio non potest amplius in usum adduci, ut jam suo tempore dicebat idem S. Alphonsus.

2° *Qualitas reliquiarum, quæ in altari reponendæ sunt :*

a. Debent esse *Sanctorum*, ita ut non sufficiant reliquiæ *Beatorum ;* cit. enim textus *Pontificalis* et *Missalis* loquuntur de *Sanctis*. Hoc autem vocabulum intelligendum est ut supra (n. **21**).

b. Debent esse *plurium*, ut satisfiat eisdem textibus. — Proinde sufficiunt reliquiæ *duorum*, juxta reg. Juris 40, in VI.

c. Non pauci addunt reliquias esse debere *martyrum*, et ita S. Rit. Congr., in alleg. *instructione*, 6 oct. 1837 : « Reponendæ (sunt) in sepulcro reliquiæ sanctorum *martyrum*. » Attamen textus proprie legislativi non loquuntur nisi de *Sanctis*.

d. Aliqui dicunt, v. g., Gardellini[3], reliquias debere esse *corporis*, ita ut non sufficiant *vestes*. — Sed jura et S. Rit. Congr. loquuntur in genere de *reliquiis*.

e. Vix opus est addere reliquias *certas* esse debere, ita ut *dubiæ* non sufficiant. Nihili vero refert utrum nomina Sanctorum, ad quos pertineant, cognita sint, vel non. Ita S. Rit. Congr., in *Scardonen.*, 7 sept. 1630[4].

f. Non tamen hæc omnia requiruntur ad consecrationis

decis. in *Bituricen.*, 22 sept. 1848, a Pio IX confirmatam die 5 dec. 1851 (*Decreta authentica*, n. 2991, t. II, p. 369).

[1] V. g., Suarez, *De eucharistia*, disp. LXXXI, sect. v, § *Tertio additur ;* — Reiff., in tit. *De consecr. eccl.*, n. 40 ; — Quarti, *In rubricas Missalis*, part. I, tit. xx, dub. 3.

[2] Lib. VI, n. 369.

[3] Nota in dec. S. Rit. Congr., in *Gratianopolitana*, 23 maii 1835, ed. 1849, t. VIII, n. 4593, p. 209.

[4] *Decreta authentica*, n. 542, t. I, p. 131.

validitatem, ad quam sufficere videtur, si in altari reponantur reliquiæ certæ saltem unius sancti. — Ratio est quia, ut dictum est, nullitas consecrationis, in casu, non fundatur ullo jure scripto aut decreto generali S. Rit. Congr., sed tantum consuetudine Ecclesiæ; porro strictissimam interpretationem recipiunt nullitates, nec constat Ecclesiæ consuetudinem eo usque protendi, ut *irritet* omnes consecrationes prædictis requisitis carentes[1].

120. — Ritus consecrationis. — Remittimus ad textum ipsum *Pontificalis Romani*. Duo tantum notamus : 1. Sive altare solum sit consecrandum, sive cum ecclesia, *vigiliæ* celebrandæ sunt, pridie consecrationis, modo supra dicto (n. **13**); eodem enim modo loquitur *Pontificale* pro utroque casu; verum, quando altare *solum* consecratur, jejunium *pridie* non requiritur; — 2. Altare consecrari potest etiam in ecclesia *tantum benedicta*, quidquid aliqui dixerunt[2]; id enim nullibi prohibetur, imo diserte affirmatur a S. Rit. Congr., in *Molinen.*, 12 sept. 1857, ad 16[3].

§ 3. De exsecratione et pollutione altaris.

121. — Quatuor casus exsecrationis altaris.

1° *Altare exsecratur, si mensa seu tabula mota sit a stipite.* — Constat clarissime cap. *Quod in dubiis*, 3, De consecratione ecgl. : « Altare vero, in quo *tabula*, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur,

[1] Unde S. Rit. Congr., in *Canarien.*, 13 apr. 1867 (*Decreta authentica*, n. 3155, t. II, p. 452), ubi casus erat de reliquiis *unius* tantum sancti, martyris vel non, non sanavit *nisi ad cautelam*. Ubi autem nullitas est *dubia*, dubio *juris*, profecto negligi potest.

[2] Apud Giraldi, part. I, sect. DXCIX, p. 418.

[3] *Decreta authentica*, n. 3059, t. II, p. 404.

si *mota* vel enormiter fracta fuerit, *debet non immerito consecrari.* » Quod dicitur etiam cap. *Ad hæc,* 1, eod. tit.: « Si altare *motum* fuerit,... *debet denuo consecrari;* » et cap. *Ligneis,* 6, eod. tit.

Unde :

1. Ut altare sit exsecratum, non requiritur ut tabula sit omnino separata a stipite et in alio loc oposita; sed sufficit ut sit *sublevata a stipite*, licet hæc sublevatio fiat ad reponendum cæmentum aut addendos aut mutandos lapides. — Ratio est quia, ad exsecrationem, sufficit ut tabula sit *mota*, quod vocabulum tribus vicibus in jure adhibitum est; porro ad hoc sufficit prædicta *sublevatio*, et sic interpretata est S. Congr. Rit.[1].

2. Altare non exsecratur, si *totum,* nempe cum tabula et stipite remanentibus conjunctis, transferatur in alium locum. Licet enim dicatur, cit. cap. *Ad hæc*, si *altare motum* fuerit, illud exsecrari, hoc vocabulum *altare* intelligi debet[2], non de *toto altari,* sed de *tabula* altaris, ut patet contextu et ut exponunt duo alia cit. capita *Quod in dubiis* et *Ligneis.* Et ita docent peritiores[3]. — Nec etiam exsecratur altare, si, in stipite, mutentur *inferiores lapides*, modo remaneant intacti hi lapides quibus immediate nititur tabula[4].

3. Exsecrato altari *per motionem tabulæ*, hæc mensa non potest adhiberi per modum altaris portatilis, quia altare, et proinde omnes ejus partes sunt simpliciter exsecratæ.

122. — 2° *Altare exsecratur, si mensa seu tabula enor-*

[1] V. g., in *Senogallien.,* 15 maii 1819 (*Decreta authentica,* n. 2599, t. II, p. 187), et in *Neapolitana,* 23 feb. 1883 (Gardellini, *App.,* n. 5907).

[2] Quidquid dicunt aliqui, v. g., Gonzalez, in cit. cap. *Ad hæc,* n. 15.

[3] V. g., Giraldi, part. I, sect. DXCIX, § *Dubium tamen,* p. 419; — Gardellini, nota in cit. *Senogallien.; Decreta auth.,* t. IV, p. 191.

[4] Sic Reiff., in tit. *De consecr. eccl.,* n. 38.

miter fracta fuerit. — Constat clarissime, tum ipsis verbis cit. cap. *Quod in dubiis*, tum cap. *Ligneis*, 6, eod. tit., in quo quum mensa altaris *in sua extremitate modicam passa fuisset fracturam*, dicitur illud altare non exsecratum, quia ejus mensa *enormiter læsa* non fuerit.

Quandonam autem fractura sit *enormis*, in sensu dictorum capitum, non facile est discernere; de quo sunt tres doctorum opiniones, quas exponit Giraldi[1]:

1. Alii dicunt fracturam esse enormem, si fracta sint tabulæ cornua, seu anguli, in quibus unctiones factæ sunt. Quibus favet Gardellini, dicens esse fracturam enormem, non in se, sed *respective*, si per fracturam separetur a tabula angulus in quo facta fuerit unctio[2]; quæ opinio transiit in cit. *instructionem* S. Rit. Congr., 6 oct. 1837.

2. Alii dicunt fracturam tunc tantum esse enormem, quando nulla pars remanet quæ possit commode capere hostiam et majorem partem calicis, ad normam *rubricæ Missalis*, part. I, tit. XX.

3. Alii demum dicunt fracturam tunc esse enormem, quando tabula sic fracta est, ut non possit amplius habere usum tabulæ talis altaris, v. g., si scissa est in duas partes vel etiam in tres aut quatuor partes notabiles. Tunc enim, ut recte ait Giraldi, tabula amisit suum esse, et proinde consecrationem quæ non unctionibus, sed tabulæ ut sic affixa fuerat. — Et hæc probabilior videtur opinio. Nec admitti potest secunda opinio, quia allegata *rubrica Missalis* alio prorsus spectat. Nec obstat contra tertiam opinionem alleg. *instructio* S. Rit. Congr., an. 1837, quia in dicto loco non loquitur S. Congr. per modum defi-

[1] *Loc. cit.*, § *Dubitatur ulterius*, p. 419-420.

[2] Gardellini, Nota in *Carpen.*, 3 martii 1821; *Decreta auth.*, t. IV, p. 201.

nientis aut generaliter decernentis [1]. — Ceterum, ut ait Giraldi, judicium de gravitate fracturæ relinquitur episcopo.

123. — 3° *Altare exsecratur, si operculum sepulcri confractum aut diminutum aut amotum fuit.* — Constat cit. cap. *Ad hæc,* in quo hæc leguntur : « Si altare motum fuerit, aut *lapis ille solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus, debet denuo consecrari.* » Per istum *lapidem qui sigillum continet,* ... intelligitur *operculum sepulcri*, quod nempe tegit, operit, et quasi se ipso sigillat sepulcrum in quo sunt reliquiæ ; unde illud operculum dicebatur etiam *sigillum* (supra, n. **119**). Dicitur autem lapis ille *qui sigillum continet*, quia ipse erat quasi sigillum, vel quia in illo imprimebatur sigillum episcopale, in testimonium consecrationis et authenticitatis reliquiarum. — Si ergo hoc operculum *confractum* fuerit aut etiam *diminutum* (ita ut aperiatur sepulcrum), aut a fortiori *amotum,* altare exsecratur. Et ita interpretantur Durandus, Barbosa, Gardellini, aliique [2]. — Imo S. Rit. Congr. hanc exsecrationis causam extendit ad casum quo, quum operculum sepulcri, in altari fixo, non amplius hæreret sepulcro, episcopus, ut certior fieret de reliquiis adhuc integris, illud operculum sublevasset, statimque reposuisset [3]. Sed forsan hæc decisio non est extendenda ad alios casus; in casu simili, exsecratum non esse altare responderat S. Congr. [4].

[1] Ita etiam Lehmkuhl, qui putat (*Theol. mor.,* t. II, ed. 1893, n. 225, p. 168) enormem non esse fracturam alicujus crucis lateralis.

[2] Durandus, *Rationale,* etc., lib. I, c. VI, n. 34, Lugduni, 1612, f. 29; — Gardellini, Nota in *Carpen.,* 3 martii 1821; *Decreta auth.,* t. IV, p. 201; — Barbosa, *De officio ac potestate episcopi,* Alleg. 27, n. 26.

[3] In *Neoporten.,* 14 martii 1861 (*Decreta auth.,* n. 3106, t. II, p. 432).

[4] In *Bambergen.,* 14 martii 1693 (non relata in nova edit., an. 1898).

4° *Altare exsecratur, si, quacumque de causa et quocumque modo, reliquiæ amoveantur.* — Constat *universali consuetudine* Ecclesiæ, de qua supra dictum est (n. **119**); unde, quidquid dixerunt olim multi doctores, retinenda est omnino assertio prædicta, et ita constanter resolvit S. Rit. Congregatio.

Corollarium. — Altare non exsecratur, *licet ecclesia exsecretur;* hæc enim non est causa prævisa in jure, ut importans exsecrationem altaris; sicut nec ecclesia ipsa exsecratur, licet altare exsecretur, ut definitum est cap. *Ad hæc,* 1, De consecratione eccl., « licet, ait Alexander III, id quidam canones[1] innuere videantur. » Unde theoria canonica est, *altaris consecrationem* et *ecclesiæ consecrationem* esse duas consecrationes ab invicem independentes.

124. — Dubia consecratio altaris. — Quando vere et positive dubia est consecratio altaris, debet consecrari, quia videtur altari applicandum quod supra (n. **29**) diximus de dubia consecratione ecclesiæ; rationes enim eædem sunt, et ibi cit. can. *Ecclesiæ,* 18, dist. I, De consecratione, et textus conc. Rom., an. 1725 (licet vim non habeant pro tota Ecclesia), de *ecclesia* et *altari* simul loquuntur. — Verum duo notanda :

1. Ex eo solo quod non appareat sepulcrum in tabula altaris, non sequitur altare non esse consecratum; nam sepulcrum potest esse sub tabula, ut erat in *Lauden.,* 23 jun. 1892, ad 6[2].

2. Licet nullum testimonium supersit de consecratione altaris, si ab antiquo super illud celebrari consueverit,

[1] Hi canones sunt can. *Si motum,* 19, et can. *De fabrica,* 24, dist. I, De consecratione; prior canon est incerti auctoris.

[2] *Decreta auth.,* n. 3779, t. III, p. 239.

habendum est ut consecratum, ut decidit S. Rit. Congr., in una *S. Hippolyti,* 31 aug. 1867, ad 4[1].

125. — Pollutio altaris. — Non est specialis pollutio pro altari, distincta a pollutione ecclesiæ; sed, quum altare sit pars ecclesiæ, quando hæc uno ex actibus supradictis (n. **31** sq.) polluitur, tunc nefas est celebrare in qualibet parte ecclesiæ, et proinde in altari[2].

[1] *Decreta authentica,* n. 3162, t. II, p. 456.

[2] Cf. Reiff., in tit. *De consecratione eccl.,* n. 36; — Hinschius, *Kirchenrecht,* § 222, n. 1, ed. Berlin, 1888, t. IV, p. 406, not. 10.

CAPUT III

DE ARA PORTATILI

§ 1. De notione, tabula et sepulcro aræ portatilis.

126. — Notio aræ portatilis. — Ara portatilis constat *una et simplici tabula, sine stipite, cum parvo sepulcro in ipsa tabula.* — Unde multipliciter differt ab altari fixo; præcipuum autem et essentiale discrimen in hoc positum est, ut altare fixum constet tabula et stipite simul conjunctis et per modum unius consecratis, dum ara portatilis non est aliud nisi mera tabula, seu, ut dicitur, *petra sacra.* Quoad tamen non impedit, quin hæc petra inseri possit alicui tabulæ aut structuræ cujusvis materiæ, *etiam modo stabili.*

127. — Tabula aræ portatilis. — Tabula aræ portatilis, seu potius tabula, quæ est ipsa ara portatilis, plures condiciones implere debet :

1° Constare debet *unico lapide, puro* et *integro.*

a. Quod debeat esse *lapidea,* constat tum *antiqua Ecclesiæ consuetudine,* de qua dictum est supra (n. **112**); — tum

rubricis generalibus missalis, part. I, tit. xx : « Altare... debet esse lapideum..., vel saltem *ara lapidea*, similiter ab episcopo vel abbate ut supra consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit ut hostiam et majorem partem calicis capiat. »

b. Quod debeat constare lapide *unico*, *puro* et *integro*, constat eisdem argumentis ac supra pro altari fixo (n. **114**); cit. enim textus ad utrumque altare referuntur.

2° Debet esse *satis ampla, ad capiendum hostiam et majorem partem calicis.* — Constat alleg. rubrica missalis. Nihil tamen impedit quin sit multo major, et etiam protendatur per totam superficiem altaris. — Solet autem esse quadrata aut oblonga.

3° Hæc ara, semel consecrata, superimponitur structuræ inferiori, non quod unum faciat cum ista, sed ut sufficienter alta sit, ad commodum sacerdotis celebrantis. Hæc structura potest esse vel ex muro lapideo aut lateritio, vel ex ligno, vel habere columnas, ita tamen ut solitam referat speciem altaris. — Tabula autem consecrata structuræ inferiori imponitur et inseritur, vel ita ut possit facile avelli et inde asportari, vel, uti dictum est, modo stabili et immobili; sed, in utroque casu, remanet ara portatilis. — In ecclesia solum benedicta, convenit ut unum saltem altare, nempe altare principale, sit *ad modum fixi*, nempe ut ara portatilis modo stabili inserta sit inferiori structuræ. Ita S. Rit. Congr. in una *S. Hippolyti*, 31 aug. 1867, ad 1 [1].

128. — Sepulcrum aræ portatilis. — De hoc sepulcro hæc dicenda :

1° Quoad *locum* sepulcri :

a. Quum sepulcrum reliquiarum debeat esse in altari,

[1] *Decreta authentica*, n. 3162, t. II, p. 456.

et altare hic constet sola petra seu ara portatili, sequitur sepulcrum debere effodi *in hac ipsa petra*, non vero *sub ipsa;* quod de se patet et aliunde decidit S. Rit. Congr., in eadem *Sancti Hippolyti*, 31 aug. 1867, ad 2, in qua dixit : « Reliquiæ recondendæ sunt *in sepulcro intra lapidem effosso*, et claudendæ cum parvo operculo ex lapide etiam confecto. »

b. Insuper hoc sepulcrum debet esse *in media superficie superiori tabulæ* (sicut pro altari fixo). Ratio est, quia *Pontificale Romanum*, ut supra dictum est (n. **116**), non admittit pro altaribus nisi quatuor loca sepulchri, unum *in medio tabulæ a parte superiori*, et alia tria in stipite; quum hac ultima non possint convenire aræ portatili, non remanet nisi primus locus. Licet autem *Pontificale* loquatur directe de altari fixo, attamen S. Rit. Congr. extendit hoc præscriptum ad aram portatilem, v. g., in *Fulden.*, 31 martii 1887, ad 2[1].

c. Unde sepulcrum non potest esse *a parte anteriori* seu *in fronte tabulæ;* quod pluries edixit S. Rit. Congr., v. g., in dicta *Fulden.*, et in una *Æquatorianæ Americæ*, 24 nov. 1883 : « Quoad vero altaria quorum sepulcrum seu confessio non in medio lapidis, sed in ejus fronte fuit effossum, ea non sunt admittenda, utpote Pontificalis Romani præscriptionibus haud conformia[2]. »

d. Attamen hoc non præcipitur *sub pœna nullitatis*, tum quia nullibi hæc pœna cavetur, tum quia, in dicta *Fulden.*, ad 1, quum ageretur de pluribus aris portatilibus cum sepulcro *in fronte*, et episcopus timeret, ne fuissent invalide consecratæ, respondit S. Congr. episcopum *acquiescere* debere.

[1] *Decreta auth.*, n. 3671, t. III, p. 186.

[2] In periodico *Nouvelle revue théologique*, t. XVIII, p. 368-369, vel *Canoniste*, t. IX, p. 222; t. XI, p. 427.

2° Quoad *operculum* sepulcri; repositis in sepulcro reliquiis, sepulcrum debet claudi operculo :

a. Illud operculum debet esse ex *lapide*. Ratio est quia *Pontificale Romanum*, in tit. *De dedicatione ecclesiæ*, loquens de *operculo* sepulcri, supponit omnino illud esse lapideum, ad normam cap. *Ad hæc*, 1, De consecratione eccl.; licet autem non loquatur directe nisi de altari fixo, ut supra, attamen S. Rit. Congr. extendit hoc præscriptum ad aram portatilem, v. g., in cit. *Sancti Hippolyti*, ad 2; — in una *S. Joannis in America*, 15 dec. 1882, ad 1 [1].

b. Hinc non sufficit sepulcrum operiri *cera* vel *cæmento aut gypso;* unde S. Rit. Congr., in *Arichaten.*, 28 julii 1883 [2], quum, in hac diœcesi, aræ portatiles invenirentur, quarum sepulcra *cæmento tantum* erant cooperta, jussit extrahi cæmentum, apponique et firmari operculum lapideum, cum novo, licet breviori, consecrationis ritu [3]. — Non ausim tamen affirmare dictas aras portatiles (cum sepulcris cæmento solo coopertis) esse eo ipso *invalide* consecratas, quia nullitates non præsumuntur, sed claro textu indigent, imo strictam interpretationem recipiunt. Porro, in tit. *De altaris portatilis consecratione*, *Pontificale Romanum* ait tantum : « ... Recondit veneranter reliquias... in tabula sive altari, et *sepulcrum reliquiarum hujusmodi claudit.* » Nec sequitur *nullitas* consecrationis ex cit. decisione S. Rit. Congr., in *Arichaten.*, quia hic aræ portatiles evaserant exsecratæ ob extractionem cæmenti. Unde et postea eadem S. Congr. declaravit sacerdotibus uti licere his altaribus usque ad novam consecrationem [4].

[1] *Decreta auth.*, n. 3567, t. III, p. 138.

[2] *Ibid.*, n. 3585, t. III, p. 150.

[3] Ritus brevior consecrationis etiam indultus est in *Vicen.*, 30 aug. 1901 (*Acta S. Sedis*, t. XXXIV, p. 313-314); qui ritus describitur in cit. *Arichaten.*, ad 3.

[4] *Ephem. liturgicæ*, t. I, p. 363, apud Lehmkuhl, *Theol. mor.*, 1893, n. 226, t. II, p. 169.

c. Non reprobatur, quoad validitatem consecrationis, operculum *ex metallo*. — Constat decisione S. Rit. Congr., in *Lauden.*, 23 junii 1892, ad 4 [1].

d. Operculum lapideum sepulcri debet firmari et conglutinari *cæmento*, et quidem non cæmento communi, sed cæmento *benedicto;* benedicitur autem cæmentum eadem oratione et cum aqua eodem modo benedicta ac præcipitur in *Pontificali Romano* pro altari fixo. — Constat hoc totum tribus decisionibus S. Rit. Congr., in cit. *S. Joannis in America*, 15 dec. 1882, ad 2 [2]; — in *Bellunen.*, 10 maii 1890, ad 1 et 2 [3]; — in *Bellunen.*, 21 jan. 1898 [4].

3° Quoad *sigillum episcopale*, ceræ aut aliter impressum, potest quidem apponi super sepulcrum clausum, sed nullo modo requiritur. — Ratio est quia hoc nullo jure cavetur, et ita S. Rit. Congr., tum in *Vivarien.*, 28 febr. 1880, ad 2 [5]; — tum in cit. *Bellunen.*, an. 1890, ad 3.

§ 2. De consecratione aræ portatilis.

129. — Necessitas consecrationis. — *Ut in ara portatili possit celebrari missa, omnino requiritur ut sit consecrata.* — Constat *rubricis generalibus Missalis*, quæ, juxta antiquam traditionem (supra n. **112**), sic statuunt, part. I, tit. XX : « Altare... debet esse lapideum... vel saltem *ara lapidea, similiter ab episcopo vel abbate ut supra consecrata*, etc. »

130. — Minister consecrationis.

1° Minister consecrationis *quoad validitatem* est quilibet

[1] *Decreta auth.*, n. 3779, t. III, p. 239.
[2] *Ibid.*, n. 3567, t. III, p. 138.
[3] *Ibid.*, n. 3726, t. III, p. 206.
[4] *Ibid.*, n. 3976, t. III, p. 340.
[5] Gardellini, *App.*, n. 5803.

episcopus consecratus, — vel simplex presbyter, *vi indulti Romani Pontificis*, et non aliter.

2° Minister consecrationis *quoad liceitatem*, est solus episcopus diœcesanus, vel, de ejus licentia, alius episcopus, ad normam conc. Trid., cap. *Nulli*, 5, sess. VI, De reform.; consecratio enim aræ portatilis est, procul dubio, *exercitium pontificalium*.

131. — Reliquiæ in ara portatili reponendæ. — Idem dicendum quod pro altari fixo (n. **119**); *Pontificale Romanum* jubet reponi reliquias in ara portatili sicut in altari fixo.

132. — Ritus consecrationis.

1° Adest pro consecratione aræ portatilis *ritus specialis*, qui reperitur in *Pontificali Romano*, in tit. *De altaris portatilis consecratione*. — Unde non licet adhibere ritum pro altari fixo præscriptum; si tamen adhibeatur, consecratio non est *invalida*, ut concludere licet tum ex similitudine cæremoniarum et precum in utroque ritu, tum ex S. Rit. Congr. decisione (licet ad casum restricta), in *Fanen.*, 17 junii 1843, ad 4 [1], ubi altare portatile consecratum cum ritibus altaris fixi decernit esse consecratum : « Affirmative *pro hoc casu, et non afferatur in exemplum.* »

2° Si consecrandæ sint *plures aræ portatiles*, variandæ sunt et applicandæ formulæ; unde, in ultimis editionibus *Pontificalis Romani* [2], invenitur ritus apte ad hoc dispositus, in *supplemento*, sub titulo : *De altarium portatilium consecratione*. — Addendum est, ex decisione S. Rit. Congr., in *Bellunen.*, 10 maii 1890, ad 2 [3], quod quando plures

[1] *Decreta authentica*, n. 2862, t. II, p. 314.
[2] V. g., in ed. Ratisbonæ, Pustet, 1891, p. 446 sq.
[3] *Decreta auth.*, n. 3726, t. III, p. 206.

sunt aræ portatiles consecrandæ, episcopus deponit reliquias in una, ejusque sepulcrum lapide et cæmento claudit, ut dictum est supra (n. **128**); dum autem in aliis aris reliquias deponit, sacerdotes assistentes harum sepulcra claudunt.

§ 3. De exsecratione aræ portatilis.

133. — Tres casus exsecrationis aræ portatilis. — Uti dictum est n. **121**, quatuor sunt, pro altari *fixo*, casus exsecrationis; sed ut patet, primus casus ibi indicatus, nempe *separatio mensæ a suo stipite*, non habet locum pro ara portatili, quæ non habet stipitem; tres autem alii casus applicantur aræ portatili, ut sequitur :

1° *Ara portatilis exsecratur, si tabula, qua constat, enormiter fracta fuerit.* — Constat iisdem textibus quos ibi (n. **122**) allegavi pro altari fixo, quia sunt generales et aræ portatili applicantur tum universali doctorum interpretatione, tum constanti S. Rit. Congr. jurisprudentia. — Fractura autem est *enormis*, quando tabula fracta est in duas aut plures partes, ut ibi etiam dictum est (in tertia opinione), licet fragmentum remaneat quod possit continere hostiam et majorem partem calicis. — Item quando *scissa est* tabula, ut decidit S. Rit. Congr. [1], modo tamen vera sit *scissio*, licet partes non sint separatæ.

2° *Ara portatilis exsecratur, si operculum sepulcri* (nempe lapis operiens parvum sepulcrum) *confractum sit aut diminutum aut amotum.* — Probatur et exponitur eodem modo ac pro altari fixo (n. **123**); textus ibi alle-

[1] In una *S. Hippolyti*, 31 aug. 1867, ad 3 (*Decreta authentica*, n. 3162, t. II, p. 456).

gatus applicatur aræ portatili, constanti S. Rit. Congr. jurisprudentia.

3° *Ara portatilis exsecratur, si, quacumque de causa et quocumque modo, reliquiæ amoveantur,* v. g., furto, fractione sepulcri, etc. — Constat ut supra (n. **123,** 4°).

CAPUT IV

VARIA DE ALTARIBUS

134. — Altare fixum in materia indulgentiarum. — Ne inducatur confusio, operæ pretium esse duximus hic adnotare quid intelligatur nomine *altaris fixi* in materia indulgentiarum, quando, v. g., dicitur *altare privilegiatum debere esse fixum.*

1° Hac in re, *altare fixum* illud est *quod a loco dimoveri non possit;* his autem verbis non requiritur ut altare constet mensa lapidea quæ protendatur per totam altaris superficiem et cum stipite conjungatur (quod est altare fixum in sensu juris canonici); item non requiritur ut adsit ara portatilis quæ adeo mensæ inferiori inseratur, cæmentoque firmetur, ut nequeat amoveri; sed requiritur tantum ut tota illa structura, lignea aut lateritia aut lapidea, quam vulgus vocat *altare,* et super quam sacerdos celebrat, talis sit, ut *a loco dimoveri non possit* (quin destruatur), licet ipsa petra consecrata, in medio mensæ superioris posita, possit facile auferri. — Hujus autem definitionis et expositionis legitimitas constat decisionibus quæ sequuntur :

a. Quum quæreretur a S. Congr. Indulg., quid intellexisset, quando declarabat[1] altare privilegiatum *debere necessario esse fixum* (licet hujus requisiti nulla mentio fieret in supplici libello nec in rescripto), respondit : « Sacram Congr. intellexisse altare fixum quidem, quod *a loco dimoveri non possit, sed non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit*[2]. »

b. In rescripto dato pro congregatione Missionariorum Oblatorum B. M. V., die 26 martii 1867, quum superior generalis anxietates et dubia proposuisset circa qualitatem *altaris fixi*, relative ad altare privilegiatum, hæc dicta sunt : « Ne autem dubium circa qualitatem altaris fixi exoriatur, Sanctitas Sua (Pius IX) edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut, *in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur*[3]. » Unde nulla potest esse difficultas de vero sensu altaris fixi.

c. Quum quæreretur a S. Congr. Indulg.: « 1. An lapis simpliciter consecratus, quem altare *portatile* seu *viaticum* vocant, privilegio gaudere possit? — 2. Estne necessarium ut altare sit fixum *stricto sensu liturgico* (scilicet ex toto lapideum et cujus mensa unico tantum constet lapide immediate stipitibus conjuncto, et consecratum), ad hoc ut privilegio decorari valeat? — 3. An sufficiat ut sit *etiam ligneum, muro minime firmatum*, cum lapide in medio mensæ consecrato et alicui Sancto specialiter dicatum? » respondit, in *Cortonen.*, 18 julii 1902 : « Ad 1. *Negative;* — ad 2. *Negative;* — ad 3. *Affirmative*[4]. »

[1] In decisione 15 dec. 1841, ad 3 (*Decreta authentica S. Congr. Ind.*, Ratisbonæ, 1883, n. 295, p. 260).

[2] In decisione 20 martii 1846, ad 1 (*ibid.*, n. 334, p. 284-286).

[3] *Rescripta authentica S. Congr. Ind.*, Ratisbonæ, 1885, n. 405, p. 319.

[4] *Acta S. Sedis*, t. xxxv, p. 62.

2° Privilegium altaris non conceditur nisi *altari fixo*, in sensu determinato, licet, ut supra dictum est, nulla fiat mentio hujus requisiti; et ideo privilegium præcise conceditur altari illi, non vero petræ seu aræ consecratæ, quæ potest mutari, quin pereat privilegium, ut ex dictis patet et respondit etiam S. Congr. Indulg. [1].

3° Unde altare *portatile* seu *non fixum*, cui proinde nequeat [2] concedi privilegium altaris, illud est quod *a loco amoveri potest*, sive constet simplici petra consecrata, in se sola et separatim considerata, quam sacerdos proinde de loco in locum transferre possit, — sive constet simplici structura quæ possit facile amoveri. — Constat cit. decisione 20 martii 1846, ad 2, in qua, cum quæreretur a S. Congr. Indulg., quid intellexisset per *altare portatile*, cui non soleat concedi privilegium altaris, respondit : « Intellexisse altare, ut dicitur, viaticum, quod *constat tantum ex unico lapide integro tantæ magnitudinis, ut calicis pedem cum patena*, saltem quoad majorem partem, *capere possit*, vel *quod de uno in alium locum transfertur* [3]. »

135. — De titulari altaris.

1° Quando altare *fixum* (in sensu *juris canonici*) consecratur, datur ei *Titulus* seu *Sanctus Titularis*, sicut dictum est de ecclesiis, et ut patet ex *Pontificali Romano*, in titulis *De ecclesiæ dedicatione*, et *De altaris consecratione*. Verum hic Titulus aut Sanctus Titularis, *ut talis*, non habet jus ad cultum titularibus ecclesiarum debitum. — Constat *decreto generali* S. Rit. Congr., 28 aug. 1628 [4].

[1] In *Leodien.*, 27 sept. 1843; *Decreta authentica*, n. 324, p. 279; — cf. etiam *ibid.*, n. 334, p. 285.

[2] Sine speciali indulto.

[3] *Decreta authentica*, n. 334, p. 286.

[4] Gardellini, ed. 3ª, Romæ, 1856, n. 769, t. I, p. 166; quod tamen decretum non insertum est novæ collectioni an. 1898.

— Unde, si hic titularis non notetur in kalendario, non potest de eo celebrari missa, nisi *votiva* (positis ponendis)[1].

2° Idem a fortiori dicendum est de titularibus, qui dantur altaribus *non fixis*, aut eorum capellis, intra aliquam ecclesiam existentibus[2].

3° Immo, idem dicendum est, si in his altaribus, fixis aut non fixis, erigatur beneficium aut etiam parochia; hoc enim non mutat jura S. Titularium; ita decisum est a S. Rit. Congr., in *Quebecen.*, 14 aug. 1858; *convenit* tantum, ut responsum est, parochum et vicarios facere commemorationem tituli in suffragiis[3].

136. — Antimensia Orientalium[4].

1° Apud Orientales, in qualibet ecclesia non est nisi unum altare consecratum, sicut in primis sæculis; imo, in uno altari, non celebratur quotidie nisi una missa; insuper, apud eos, minime sunt in usu aræ portatiles. Ut ergo fiat satis pluralitati celebrantium, utuntur *antimensiis*.

2° *Antimensia*, quorum usus ad plura sæcula retroascendit, sunt quædam lintea, nostris *corporalibus* satis similia, quæ ab episcopo una cum ipsa ecclesia consecrantur, et in quorum angulis deponuntur sacræ reliquiæ. *Antimensium* extenditur super altare non consecratum, quod sit intra vel extra ecclesiam in oratoriis, et tenet locum nostræ aræ portatilis.

3° Nefas est, ut patet, sacerdotibus latinis uti *antimensiis*, absque indulto apostolico; hoc autem indultum a

[1] Cf. S. Rit. Congr., in una *Burgi S. Domnini*, 1 apr. 1662; *Decreta authentica*, n. 1228, t. I, p. 253.

[2] Cf. de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, t. III, n. 125, ed. 1863, p. 158.

[3] *Decreta authentica*, n. 3072, t. II, p. 413.

[4] Cf. Goar, *Euchologium Græcorum*, Parisiis, 1647, p. 648-654; — Bened. XIV, const. *Impositio nobis*, 29 martii 1751, §§ 4-10; *Bull. Bened.*, t. III, n. 43.

Benedicto XIV, cit. const. *Imposito nobis*, concessum est presbyteris latinis in Russia Polonica degentibus, defectu altarium aut tabularum ritu latino consecratorum; negatum vero est ab eodem Benedicto hoc indultum presbyteris latinis qui apud Italo-Græcos versantur; facile enim eis præsto est altare latinum; Bened. XIV const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 6, n. 19[1].

[1] *Bull. Bened.*, t. I, n. 57.

TITULUS IV

DE CŒMETERIIS ET SEPULTURIS

CAPUT I

NOTITIÆ HISTORICÆ [1]

137. — Modus funerandi apud christianos. — Modus funerandi, statim a primis Ecclesiæ temporibus, fuit *inhumatio*, non *crematio*.

1° Apud Romanos, hoc tempore, in more erat *crematio* corporum, ut constat testimonio Taciti, *Annal.*, XVI, VI : « Corpus (Poppææ) non igni abolitum, ut *romanus mos*, sed, regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur [2]. » Item apud Græcos, ut constat testi-

[1] Bingham, *Origines eccl.*, lib. XXIII, Halæ, 1729, t. X; — Selvagio, *Antiq. christ. Inst.*, lib. II, c. XII, *App.*, Matriti, 1780, t. II, p. 106-121; — Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. III, c. XII-XV, Bassani, 1788, t. II, p. 366 sq.; — Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, v° *Sépultures*, Paris, 1889, p. 731 sq. — Cf. etiam duas hac de re *Dissertationes* Muratori apud Zaccaria, *Disciplina populi Dei*, diss. XXIX et XXX, Venetiis, 1761, t. I, p. 269-283.

[2] Ed. Lemaire, Parisiis, 1819, t. II, p. 528.

monio Luciani : « Græcus *exurit* (corpora defunctorum) [1]. » Crematione autem expleta, cineres colligebantur in urnas, et in sepulcro vel columbario deponebantur [2]. — A christianis autem, non crematio, sed *inhumatio* adhibita est, nempe depositio totius corporis in tumulo seu *loculo*. Hujus moris testes habemus :

a. Minutium Felicem (sæculo III ineunte), in *Octavio;* inducit Cæcilium paganum dicentem de christianis, c. XI : « Inde videlicet et *exsecrantur rogos* et *damnant ignium sepulturas*, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et ætatibus in terram resolvatur [3]. » Cui postea, c. XXXIV, respondet Octavius christianus : « Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed *veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus* [4]. »

b. Tertullianum, eodem tempore, qui, loquens de quorumdam paganorum more non cremandi corpora, dicit christianos eumdem morem frequentare, sed ob aliam rationem, in libro *De anima*, c. LI : « Propterea *nec ignibus funerandum aiunt*, parcentes superfluo animæ. *Alia est* autem ratio *pietatis istius*, non reliquiis animæ adulatrix, sed *crudelitatis*, *etiam corporis nomine*, aversatrix, quod et ipsum homo non utique mereatur, pœnali exitu impendi [5]. » — Alibi ridet Tertullianus vulgus paganorum cremationi corporum incumbens : « At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit. O pietatem de crudelitate ludentem ! » *De resurrectione carnis*, c. I [6].

c. Ipsamet *loca et monumenta sepulturarum christianarum*, qualia adhuc oculis conspiciuntur in cœmeteriis subterraneis; hæc enim monumenta sunt, non *urnæ*, ad cineres tantum recipiendos paratæ, sed *loculi* aut *sarcophagi*, ad totum corpus condendum dispositi; nulla unquam inscriptio christiana in urnis

[1] Lucianus, *De luctu; Opera*, Lutetiæ Parisiorum, 1615, p. 812.

[2] Cf. Marquardt, *Vie privée des Romains*, Paris, 1892, t. I, p. 437 sq.; — Rich, *Antiquités romaines*, v° *Sepulcrum*, Paris, 1859, p. 578.

[3] Migne, *P. L.*, t. III, col. 267.

[4] Migne, *P. L.*, col. 347.

[5] Migne, *P. L.*, t. II, col. 737.

[6] Migne, *P. L.*, col. 795.

fuit reperta [1]. — Idem eruitur ex vocabulo κοιμητήριον, *dormitorium,* quod in hypothesi cremationis absonum esset.

d. Ipsum S. Paulum, qui, scribens ad christianos Corinthios, I Cor., xv, 36 sq., supponit omnino sepulturam mortuorum fieri, non per cremationem, sed per *inhumationem;* comparat enim corpus quod sepelitur semini quod terræ mandatur: « Σπείρεται σῶμα ψυχικόν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν; » quod late prosequitur. Hæc autem comparatio vix intelligeretur in hypothesi combustionis.

2° *Rationes hujus christianæ consuetudinis* videntur esse quæ sequuntur :

a. Mos Judæorum qui non cremabant, sed *inhumabant* corpora, ut patet tum ex *Evangelio* (sepultura Lazari, Christi [2], etc.); — tum ex Tacito, qui, *Hist.,* V, v, loquens de moribus et ritibus Judæorum, ait : « Corpora condere (potius) quam cremare, e more Ægyptio [3]. » Cum ergo multi Judæi initio ingressi sint Ecclesiam, servaverunt morem suum, quem ethnici conversi facile imitati sunt.

b. Ipsa crudelitas quæ consuetudini cremationis inesse naturaliter videtur, ut audivimus ex Tertulliano.

c. Reverentia erga corpora quæ fuerant templa Spiritus Sancti, et quæ resurrectura fide certa credebantur. Non quod christiani resurrectionem impossibilem aut difficiliorem ex crematione putaverint, sed quia corpora ad tantam gloriam destinata isti quasi supplicio ignis tradere, videbatur illis sacrilegum. — Quod non recte intelligentes persecutores, minabantur martyribus pœnam combustionis post mortem, ut illis adimerent, prout putabant, spem resurrectionis; hujus rei exemplum videas in epistola Lugdunensium et Viennensium ad ecclesias Asiæ, ab Eusebio relata [4].

d. Ceterum mos funerandi per *inhumationem* non erat insoli-

[1] Cf. Allard, *Rome souterraine,* Paris, 1874, p. 88.

[2] Joan., xix, 40 : « Acceperunt corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, *sicut mos est Judæis sepelire.* »

[3] Ed. Lemaire, t. iii, p. 510.

[4] *H. E.,* lib. V, c. i; Migne, *P. G.,* t. xx, col. 433.

tus; præter enim Judæos, alii Orientales corpora inhumabant [1], nec etiam apud Romanos deerant exempla inhumationis, ut constat ipsis verbis Taciti supra relatis. Insuper apud antiquos in usu fuerat inhumatio, ut dicit, *loc. cit.*, Minucius Felix [2].

3° *Prævaluit* tandem, *etiam apud paganos, usus inhumationis*, ob consuetudinem christianam paulatim invalescentem. Dicunt periti a tempore Commodi imperatoris (180-193) imminutum fuisse apud Romanos paganos usum cremationis, ipsumque Commodum multosque ejus amicos per humationem, non per cremationem, sepultos fuisse [3]. Tempore tamen Theodosii Senioris, vigebat adhuc crematio, uti constat ex codice Theod., l. *Omnia*, 6, *De sepulcris violatis* (IX, XVII) : « Omnia quæ *supra terram urnis clausa*, vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, ut et humanitatis instar exhibeatur, et relinquant incolarum domicilio sanctitatem. » Verum, quadraginta post hanc legem circiter annis, Macrobius testatur fere exolevisse usum cremationis : « Licet *urendi corpora defunctorum usus* nostro sæculo *nullus* sit, etc. [4]. » Quæ quidem desuetudo *sine ulla lege scripta* invaluit. — Pariter, decursu temporum, quoties gens aliqua barbara ad Ecclesiam conversa veniebat, morem inhumationis recipiebat, adhibita, si opus fuisset, lege. Sic Carolus Magnus devictis Saxonibus prohibuit ne corpora defunctorum cremarent, *Capitulatio*, an. 789, cap. VII : « Si quis corpus defuncti hominis, secundum ritum paganorum, flamma consumi fecerit, et ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur [5]. »

138. — Locus sepulturæ christianæ.

1° Primis sæculis, christiani sepeliebant mortuos suos *extra civitates et oppida;* leges enim romanæ vetabant ne mortui sepelirentur in oppidis, ut constat antiquissima lege XII Tabula-

[1] Ut patet ex testimonio Luciani, *loc. cit.* : « Persa *defodit* (corpora mortuorum). »

[2] Cf. Marquardt, *loc. cit.*, p. 437-442.

[3] Apud Bingham, *loc. cit.*, c. II, § 4, p. 30.

[4] *De Saturn.*, lib. VII, c. VII.

[5] Baluze, *Capitularia*, t. I, col. 252.

rum, tab. x, § 1 : « Hominem mortuum *in urbe ne sepelito, neve urito*[1]; » quæ pluries renovata fuit et confirmata, præcipue ab Adriano (l. *Præter*, 3, ff. *De sepulcro violato*, § 5, XLVII, XII), et Diocletiano, cujus lex relata est a Justiniano (l. *Mortuorum*, 12, cod. *De religiosis et sumptibus funerum*, III, XLIV)[2]. Quas leges etiam innovavit Theodosius, pro urbe Constantinopolitana, ut patet ex *cod. Theod.*, cit. l. *Omnia*, 6, *De sepulcris violatis*, IX, XVII. — Has autem leges religiosissime observabant christiani, et inde mortuos suos sepeliebant, ut ceteri Romani, extra civitates et oppida, vel in monumentis sub dio erectis[3], vel in cœmeteriis subterraneis. — Unde, his primis temporibus, de mortuis suis, etiam martyribus, intra ecclesias proprie dictas sepeliendis ne cogitabant quidem christiani.

2° Lex prohibens sepulturam *in civitatibus et oppidis* cito in desuetudinem abiit; nam cœmeteria sæculi VI, et forsan sæculi V ad finem vergentis, Romæ reperta sunt[4]; et Justinianus, qui, in suo codice (l. *Nemo*, 2, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, I, II), retulit partem legis Theodosianæ, supra allegatæ, prohibentem sepulturam in *ecclesiis*, omisit partem (supra transcriptam) prohibentem sepulturam in *civitatibus;* quæ prohibitio expresse abrogata fuit a Leone imp., circa an. 800, *Novell.*, LIII, cujus rubrica est : « Ut cuique, *tam intra civitatem* quam extra, mortuos sepelire liceat[5]. » — In Occidente, concilium Bracarense I, an. 563, can. 18, jam permittit ut mortui sepeliantur *circa muros ecclesiarum*, et proinde in civitatibus[6].

3° Imo mos sepeliendi corpora defunctorum in *ipsis ecclesiis* paulatim sese insinuavit, his nempe quasi gradibus :

a. In viis aut in agris, in quibus erant sepulta corpora martyrum, solebant, sæculo IV et antea, ædificari, super aut prope

1 Pellat, *Manuale juris synopticum*, Parisiis, 1882, p. 722.

2 Ita etiam Paulus, *Sent.*, lib. I, tit. XXI, §§ 2-3; Pellat, *ibid.*, p. 775.

3 Nam christiani habebant cœmeteria non tantum sub terra, sed etiam super terram. Unum ex his describit de Rossi, *Roma sotterranea*, t. III, Romæ, 1877, toto libro III, p. 393 sq.

4 Allard, *Rome souterraine*, p. 159.

5 Ad calcem *Cod. Justiniani.*

6 Bruns, *Concilia*, t. II, p. 35.

hujusmodi sepulcra, parvæ ecclesiæ, quæ vocabantur *Memoriæ Martyrum*. — Constat supra allegato (p. 196, not. 5) canone conc. Carthag., an. 401.

b. Reges et imperatores sepulti sunt in *atrio* aut *porticu ecclesiarum*. Sic Constantinus, cura filii sui, sepultus est, ex Eusebio [1], Constantinopoli, *juxta apostolorum memoriam*, id est, ex S. Joanne Chrysostomo [2], in *vestibulo* seu *atrio ecclesiæ* SS. Apostolorum. Ita etiam, ex Nicephoro [3], uterque Theodosius, Arcadius et Eudoxia, sepulti sunt in *porticu* ejusdem ecclesiæ.

c. Paulo post, imperatoribus et episcopis concessa fuit sepultura *in ipsa ecclesia*. Sic, ex Evagrio [4], Justinianus ædificavit templum SS. Apostolorum, « in quo *imperatores ac sacerdotes sepeliri mos est*. » Quod jam concessum fuerat corpori S. Joannis Chrysostomi, sed *annuente imperatore*, ex Socrate [5].

d. Sæculis VI, VII et sq., passim concessa fuit sepultura, non quidem in ipsis ecclesiis, sed in *atrio*, *porticu* aut *aliis exterioribus ædificiis* ecclesiarum. — Constat tum cit. conc. Bracarensi, an. 563; — tum conc. Nannetensi, sæculi VII [6], can. 6 : « Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in *atrio*, aut in *porticu*, aut *extra ecclesiam* [7] (= can. *Præcipiendum*, 15, caus. XIII, q. II). »

e. Sæculis VIII et IX, plurima corpora martyrum ex cœmeteriis subterraneis translata sunt in *ipsas ecclesias* urbis Romæ, cura Pauli I (2 jun. 761), et Paschalis I (20 julii 817) [8].

[1] *Vita Constantini*, lib. IV, c. LXXI; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 1225.

[2] S. Joan. Chrysost., *In Epist. II ad Cor.*, hom. XXVI; Migne, *P. G.*, t. LXI, col. 582; — et in libro *Quod Christus sit Deus*, n. 9; Migne, *P. G.*, t. XLVIII, col. 825.

[3] *H. E.*, lib. XIV, c. LVIII; Migne, *P. G.*, t. CXLVI, col. 1273.

[4] *H. E.*, lib. IV, c. XXXI; Migne, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 2761.

[5] *H. E.*, lib. VII, c. XLV; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 836.

[6] Plures referunt illud ad sæculum IX; sed antiquius est, cum jam exscriptum sit apud Bened. Levitam. Cf. *Corpus juris*, ed. Friedberg, not. ad c. *Quando*, 5, dist. XXIV.

[7] Mansi, *Concilia*, t. XVIII, col. 168.

[8] *Liber pontificalis*, *Vita Pauli*, et *Vita Paschalis*, ed. Duchesne, t. I, p. 464; t. II, p. 52. — Cf. de Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 220; —

f. Sæculo IX, concessa fuit in ipsis ecclesiis sepultura, non tantum episcopis, ut antea, sed etiam *abbatibus, dignis presbyteris,* et *laicis fidelibus* (id est, *omnino pietate commendabilibus*), ex conc. Moguntino, an. 813, can. 52 [1], et conc. Triburiensi, an. 892, can. 17 [2]. — Attamen firma remanebat prohibitio pro vulgo laicorum, ut constat his eisdem conciliis; sic ait conc. Trib., can. 17 : « *Secundum statuta sanctorum Patrum,* et experimenta miraculorum, prohibemus et præcipimus ut deinceps *nullus laicus in ecclesia sepeliatur*. » Unde etiam in capitularibus Caroli Magni legimus : « Ut nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliat. » *Capit.,* lib. I, cap. CLIII [3].

g. Sæculo XII, ubique consuetudo invaluerat ut laici indistincte in ipsis ecclesiis sepelirentur; de quo testantur, inter alia, cap. *Ex parte,* 5, et cap. *Cum liberum,* 6, DE SEPULTURIS.

139. — Consecratio cœmeteriorum. — Certo, jam sæculo VI, episcopali benedictione consecrabantur cœmeteria, ut constat testimonio Gregorii Turonensis (m. a. 595), qui, cum ageretur de sepeliendo corpore B. Radegundis, inducit abbatissam monasterii Pictaviensis sollicitam de benedictione tumuli et dicentem : « Quid faciemus, si episcopus urbis non advenerit, quia locus ille, quo sepeliri debet, *non est sacerdotali benedictione sacratus* [4] ? » Ergo jam hoc tempore, mos omnino erat ut tumuli et cœmeteria ab episcopo benedicerentur. Quonam autem tempore inceperit ista consuetudo, definiri nequit, quia antiquiora desunt testimonia [5].

Allard, *Rome souterraine,* p. 161-162. — Prima sanctorum corpora, quæ perhibentur tanquam deposita in ecclesiis Urbis, sunt SS. Joannis et Pauli, quæ jam erant in Urbe tempore quo scriptum est *Sacramentarium Leonianum,* nempe sæculo VI. *Sacram. Leon.,* in *oratione* pro festo horum sanct., Muratori, *Liturgia romana vetus,* Venetiis, 1748, t. I, p. 329. Sed ratio est quia hi duo sancti martyres, sub Juliano imperatore, interfecti et sepulti sunt in sua propria domo, quæ, post mortem Juliani, facta est in ecclesiam ; *Acta sanctorum,* Antuerpiæ, 1709, junii, t. V, p. 159-160.

[1] Mansi, t. XIV, col. 75 (= can. *Nullus,* caus. XIII, q. II).

[2] Mansi, t. XVIII, col. 141.

[3] Baluze, *Capit.,* t. I, col. 731.

[4] *De gloria conf.,* c. CVI; Migne, *P. L.,* t. LXXI, col. 906.

[5] Cf. Moulart, *De sepultura,* part. I, c. III, Lovanii, 1862, p. 71 sq.

140. — Ritus sepulturæ christianæ. — Multi ritus erant, a primis sæculis, sepulturæ christianæ, inter quos præcipue : 1. *Psalmodia*, dum nempe efferebatur corpus; — 2. *Oblatio eucharistica*, si per horam liceret, nempe si ante meridiem sepultura fieret; — 3. *Speciales pro defuncto preces;* — 4. *Laus funebris*, si ageretur de præclaro viro sepeliendo. — De his ritibus et pluribus aliis, quos non est hic locus expendendi, cf. supra allegatos auctores (n. **137**)[1].

141. — Negatio sepulturæ christianæ. — Non omnibus indistincte tribuebantur hæc officia; jam enim a primis sæculis, *honor* christianæ sepulturæ quibusdam negabatur. — Sic :

1° Privabantur hac sepultura *catechumeni*, *qui sine baptismo moriebantur*. — Ita conc. Bracarense I, an. 563, can. 17[2]. Unde et Chrysostomus affirmat pro illis locum non habere psalmodiam, nec alia divina officia, hortaturque fideles ut pro illis privatim orent; *In epist. ad Philipp.*, hom. III[3].

2° Privabantur hac sepultura *qui se ipsos occidissent.* — Ita conc. Brac. I, can. 16 : « Item placuit, ut hi qui *sibi ipsis... violentam inferunt mortem*, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur... Similiter et de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur[4]. » Ita etiam conc. Antissiodorense, an. 768, can. 17, et conc. Aurelianense II, an. 533, can. 15[5].

3° Item privabantur *damnati ob sua scelera.* — Ita alleg. conc. Brac., can. 16.

4° Item qui *in aliquo crimine occisi fuissent.* — Ita ex Optato[6], qui narrat Circumcellionibus sepulturam negatam fuisse, eo quod occisi fuissent in tumultu adversus magistratum civilem[7].

[1] Præcipue Martène et Bingham, *loc. cit.*

[2] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 35.

[3] Migne, *P. G.*, t. LXII, col. 204.

[4] Bruns, *loc. cit.*

[5] Bruns, t. II, p. 239, 186.

[6] *De schismate donatistarum*, lib. III, n. 4; Migne, *P. L.*, t. XI, col. 1008-1009.

[7] Contrarius videtur cit. canon 15 conc. Aurelianensis II, qui ideo exponi forte potest de iis qui ante mortem signa pœnitentiæ dedissent.

5° Item, omnes *ab Ecclesia ejecti et excommunicati*. — Ita ex regula sic posita a S. Leone, *Epist.*, CLXVII, *Ad Rusticum Narb.*, Inquis. VIII : « Nos autem quibus viventibus non communicavimus, *mortuis communicare non possumus* [1]. » — Quod verum erat, licet pœnitentiam accepissent, sed ante receptam communionem obiissent, ut patet ex eadem epist., et ex alia, nempe CVIII, *Ad Theodorum Forojuliensem*, n. 3 [2]. Quanquam, in aliis regionibus, minus rigida fuit disciplina ; legimus enim in conc. Vasensi I, an. 442, can. 2 : « Pro his qui, pœnitentia accepta, in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnumquam transitu... præveniuntur, (placuit) oblationem recipiendam et eorum funera ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam, quia nefas est..., etc. [3]. » Qui canon summatus transiit in *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 79 [4]. Benignior disciplina tandem prævaluit, cum aliquo tamen rigore mixta, ex cap. *A nobis*, 28, De SENT. EXCOMM.

[1] Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 1206.
[2] *Ibid.*, col. 1012.
[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 127.
[4] *Ibid.*, t. I, p. 148.

CAPUT II

DE CŒMETERIIS

§ 1. De loco sepulturæ in genere.

142. — Loca sepulturæ christianæ. — Hæc loca sunt :

1° *Cœmeterium.* — Locus præcipuus sepulturæ est *cœmeterium*, quatenus distinguitur ab ecclesia. — Constat ex perpetua traditione Ecclesiæ supra descripta; initio enim corpora defunctorum sepulta sunt extra civitates in cœmeteriis suburbanis; postea sepulta sunt intra civitates quidem, sed extra ecclesias, in *atrio*, in *porticu*, *prope muros*, unde orta sunt cœmeteria *contigua* (nempe ecclesiæ), quibus paulatim alia cœmeteria ab ecclesiis, imo et oppidis distantia successerunt. Quod si, decursu sæculorum, corpora admissa sunt in ipsas ecclesias, non nisi vi consuetudinis et cum restrictionibus factum est.

2° *Ecclesia.* — Ipsam ecclesiam esse locum sepulturæ constat ex alleg. cap. *Ex parte*, 5, et cap. *Cum liberum*, 6, De sepulturis, in quibus ut res omnino licita et sine ulla controversia admissa inducitur et supponitur sepultura in

ecclesiis. — Attamen propter abusus inde ortos[1] et facile oriundos, quasi ægre et non nisi cum restrictionibus hic locus sepulturæ conceditur a jure; patet ex *Rituali romano*, quod, tit. VI, c. I, n. 9, hæc habet : « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis, retineatur; et, *ubi fieri potest, restituatur.* At vero, cui locus sepulturæ dabitur in ecclesia, *humi tantum detur.* Cadavera autem prope altaria non sepeliantur. » Unde duo notanda :

a. In regionibus, ubi viget consuetudo sepeliendi mortuos etiam in ecclesiis, licita quidem est; sed relinquitur arbitrio et prudentiæ sive conciliorum provincialium sive episcoporum, ut hanc consuetudinem tollant, vel, appositis restrictionibus, imminuant. Jure autem communi, et *secluso statuto speciali*, non requiritur licentia Ordinarii (quidquid dicunt aliqui[2]), ut mortuus sepeliatur in ecclesia. Hoc enim nullibi præcipitur.

b. Si cui locus sepulturæ detur in ecclesiis, prohibitum omnino est ut sarcophagus seu capsa cadaveris sit elevata super terram (quod privilegium est solius R. Pontificis[3]); sed requiritur ut capsa sit sub terra deposita, in sepulcro seu tumba humi effossis. Hoc præscripsit *pro ditione Pontificia* S. Pius V, bulla *Cum primum*, 1 apr. 1566, § 6[4]; sed *Rituale romanum*, Pauli V jussu editum an. 1614, hoc præscriptum extendit ad universam Ecclesiam, verbis supra relatis : « *Humi tantum* detur (sepultura). »

3° *Non tamen prope altare :* De quo hæc dicenda :

a. Origo hujus specialis prohibitionis referenda est ad

[1] Ecclesia enim habebatur ut locus sepulturæ divitum, relicto cœmeterio communi in sepulturam vulgi. Cf. Van Espen, *Jus eccl. univ.*, part. II, tract. XXXVIII, n. 33-34, Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 722.

[2] V. g., Ferraris, v° *Sepultura*, n. 141.

[3] Cf. Petra, *In const. III Cœlestini III*, n. 13, Venetiis, 1741, t. II, p. 104.

[4] *Bull. Rom.*, t. IV, part. II, p. 285.

antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, quæ sic relata est in cit. supra (n. **138**) concilio Nannetensi, sæc. VII, can. 6 (= can. *Præcipiendum*, 15, caus. XIII, q. II), in cujus fine sic legimus : « Intra ecclesiam vero, et *prope altare, ubi corpus et sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur.* » Prior pars hujus prohibitionis (*intra ecclesiam*) in desuetudinem abiit, ut dictum est; altera vero pars (*prope altare*, etc.) firma permansit, ob specialem reverentiam altaris et sacri sacrificii. Unde nefas est sepelire mortuos *sub altare* aut *prope altare*.

b. Hanc autem consuetudinem retulit et præscripsit Rituale romanum, *loc. cit.* : « Cadavera autem *prope altaria* non sepeliantur. » Hinc in eodem sensu semper respondit S. Rit. Congr., v. g., in *Veneta*, 7 julii 1766, in qua prohibuit sepulturas sub altari ejusque scabello[1].

c. Quomodo autem intelligendum sit hoc vocabulum *prope*, S. Carolus Borromeus declaravit pro provincia Mediolanensi, in conc. provinc. IV (an. 1576), part. I, tit. *De sepulcris* : « Nec vero in aliis ecclesiæ locis prope altaria (sepultura datur), *nisi tam longe sepulcra distent, ut sepulcrale os a scabello seu bradella altaris procul absit, spatio saltem cubitorum trium*[2]. » Quam regulam adoptavit S. Rit. Congr., in *Beneventana*, 27 apr. 1877, requirens ut cadavera tribus cubitis, non tantum ab altari, sed *ab ejusdem gradu vel gradibus distent*[3]; quod tandem mitigavit, in *Romana*, 12 jan. 1897, ad 2 : « Cadavera ab altari tribus cubitis distare debere; et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere[4]; » quod repetit in *declaratione*

[1] *Decreta authentica*, n. 2479, t. II, p. 128.
[2] *Acta eccl. Mediol.*, Lugduni, 1682, t. I, p. 100.
[3] Gardellini, *App.*, n. 5689.
[4] *Decreta auth.*, n. 3944, t. III, p. 325-326; ad hanc resolutionem remit-

5 aug. 1898 : « S. Rit. Congr. declaravit *tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere*[1]. » Unde requiritur et sufficit ut capsæ cadaverum distent *ab altari uno metro,* licet forsan ipse ingressus monumenti sepulcralis propior sit. Et hic est status hodiernus jurisprudentiæ.

d. Sedulo notandum est altare *non exsecrari*, ex eo quod sub ipso aut prope ipsum sepeliuntur cadavera; non enim hæc est exsecrationis causa a jure prævisa; item, et propter eamdem causam, altare eo ipso *non pollui;* sed adest tantum violatio legum Ecclesiæ circa altarium sanctitatem; unde potest quidem episcopus interdicto subjicere altare, non vero videtur prohibitum in illo celebrare, donec latum fuerit interdictum.

e. Quando monumentum sepulcrale est quidem materialiter sub altari, sed ab eo separatum per *cameram* (voûte), non intelligitur prohibitum; nunquam enim prohibitæ sunt cryptæ inferiores ad condenda cadavera. Et ita S. Rit. Congr., in *Senonen.*, 27 julii 1878, ad 2[2], et in una *de Queretaro* (in ditione Mexicana), 18 julii 1902, ad 6, ubi remittit ad dictam *Senonen.* [3].

§ 2. De benedictione et consecratione cœmeteriorum.

143. — Necessitas benedictionis cœmeteriorum.

1° *Præceptum benedicendi cœmeterium. — Ut cœmeterium adhiberi possit ad sepulturam fidelium, requiritur*

tit in *Vicen.*, 30 aug. 1901, ad 2 (*Acta S. Sedis,* t. XXXIV, p. 313; vel *Canoniste,* t. XXV, an. 1902, p. 52).

[1] *Acta S. Sedis,* t. XXXI, p. 316.

[2] *Decreta auth.,* n. 3460, t. III, p. 96.

[3] *Acta S. Sedis,* t. XXXV, p. 109.

ut sit benedictum. — Constat tum *antiquissima Ecclesiæ* consuetudine, de qua supra dictum est (n. **139**); — tum præcepto expresso *Ritualis romani,* tit. VI, c. I, n. 18 : « Ceterum *nemo christianus in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam, aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet;* sed si necessitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse. » — Non requiritur tamen solemnior benedictio, seu *consecratio*, sed sufficit simplex *benedictio,* cujus ritus exponuntur in *Rituali romano,* tit. VIII, c. XXIX.

2° *Difficultas observandi prædictum præceptum aliquibus in locis.* — Jus quidem strictum habet Ecclesia, ut habeat pro sepeliendis membris suis cœmeterium separatum, aut, si non adsit nisi unum cœmeterium, ut in hoc cœmeterio pars aliqua, a reliquo cœmeterio convenienti modo distincta et separata, illi reservata sit. Verum pluribus in regionibus, v. g., in Gallia, hoc jus Ecclesiæ denegatur, ita ut cœmeteria sint omnino sub jure auctoritatis civilis et adhiberi debeant ad sepulturam quorumvis civium, sine ulla separatione pro diversis cultibus. Quo posito, in iis saltem civitatibus et oppidis, in quibus sunt diversi cultus, difficilis evadit observatio præcepti benedictionis cœmeteriorum, tum quia facultas benedicendi recusari posset a potestate civili, vi prætensi principii sic dictæ *libertatis cultuum*, tum quia, si benediceretur cœmeterium, Ecclesia ab hoc loco benedicto teneretur arcere corpora schismaticorum, hæreticorum, etc. (quod consequi non posset), tum quia cœmeterium obnoxium esset frequentibus pollutionibus. Unde, in his locis, cœmeterium non benedicitur, et remanet locus profanus. De quo notanda tria :

a. Si non sint adeo timenda incommoda, de quibus modo, et municipium aut gubernium non prohibeat benedici cœmeterium, episcopi curare debent ut benedicantur publica cœmeteria. In hoc sensu S. Congr. Inquisit. respondit episcopis Belgii, 8 julii 1874 : « Quod pergant protueri catholicitatem cœmeteriorum eodem modo hucusque laudabiliter observato, et quod *nova cœmeteria curent pro posse ut benedicantur*[1]. »

b. Ad supplendam, quantum fieri potest, omissam cœmeterii benedictionem, sacerdos, dum funera peragit, benedicit singulas fossas, itemque singula sepulcra (sed hæc, prima tantum vice, nempe quando primum corpus in eis deponitur); utitur autem illa oratione seu benedictione quæ legitur in *Rituali romano,* tit. VI, c. III, n. 12.

c. Ista benedictio probabilius non est *consecrativa,* sed tantum *invocativa*, ita ut, proprie loquendo, sepulcrum non fiat *locus sacer.* — Quidquid illud est, sepulcrum, licet hoc modo benedictum, obnoxium non est pollutioni, quia, jure canonico, cœmeteria quæ pollutioni obnoxia sunt, illa sunt quæ auctoritate episcopali deputantur ad sepulturam fidelium, accepta illa consecratione aut benedictione, quæ prævidentur in jure (nempe in *Pontificali* et in *Rituali*).

144. — Consecratio et benedictio cœmeteriorum.

1° *Consecratio* est illa *solemnior benedictio* cœmeteriorum, cujus ritus describuntur in *Pontificali romano*, in tit. *De cœmeterii benedictione,* et quæ, præter prolixas orationes, consistit præcipue in benedicendis quinque crucibus, paratis in determinatis cœmeterii locis; de qua consecratione hæc dicenda :

[1] In *Monitore ecclesiastico,* t. IX, part. II, p. 185, ubi sunt etiam alia responsa in eodem sensu.

a. Minister consecrationis quoad validitatem et liceitatem est *idem omnino* ac pro consecratione ecclesiæ, quia, in *usu universali Ecclesiæ,* æquo gradu ponuntur *consecratio ecclesiæ* et *consecratio cœmeterii*[1]. Unde, juxta Leonis X bullam *Dum intra*, 19 dec. 1516 (supra, n. **12**, 2°, allegatam), Regulares tenentur, si velint consecrari sua cœmeteria, advocare episcopum loci; nec possunt alium episcopum invitare, nisi illo recusante, ut ibidem dictum est; præfata enim bulla expresse prævidet « consecrationem ecclesiæ vel altaris aut *cœmeterii benedictionem* », solemniorem nempe seu *consecrationem.*

b. Cum consecratio cœmeterii, *quoad effectus,* non multum differat ab ejus *benedictione,* rarissima sunt cœmeteria consecrata; facilior enim est simplex benedictio, et, in casu pollutionis, facilior reconciliatio.

2° *Benedictio* cœmeterii constat illo minus solemni ritu qui describitur in *Rituali romano* (tit. VIII, c. XXIX) sub rubrica : *Ritus benedicendi novum cœmeterium per sacerdotem ab episcopo delegatum,* ubi *una* tantum *crux* in cœmeterio benedicitur. De ministro benedictionis, idem dicendum est quod de ministro benedictionis ecclesiarum (supra, n. **17**), et idem est privilegium Regularium (benedicendi nempe propria cœmeteria), ex Leonis X brevi *Religionis suadet,* ibidem allegato.

3° Etiam in cœmeterio rite consecrato aut benedicto, *Rituale rom.* jubet benedici *sepulcra* et ad hoc ponit *orationem* (tit. VI, c. III, n. 12; cf. n. 14). Cum autem hæc præscriptio aliquibus videretur quadam obscuritate laborare, respondit S. Rit. Congr. non debere benedici simplicem foveam in cœmeterio effossam, bene vero *sepulcrum*

[1] Cf. Reclusium, *De re parochiali,* part. II, tit. III, n. 22-28, 45-47, Romæ, 1773, t. II, p. 105, 109; — Moulart, *De sepultura,* Lovanii, 1862, p. 101 sq.

lapideum in cœmeterio constructum, et hoc tantum prima vice ; in *Ruremunden.*, 27 maii 1876, ad 5 ; et in *Briocen.*, 4 sept. 1880, ad 1 [1]. Ratio esse videtur, quia simplex fossa nullo modo distinguitur a cœmeterio jam benedicto, dum sepulcrum lapidibus ab extra adductis constructum non ita videtur benedictum fuisse cum cœmeterio.

§ 3. De exsecratione, et profanatione cœmeteriorum.

145. — Exsecratio cœmeteriorum. — Jus canonicum, quod prævidet plures causas exsecrationis ecclesiarum vel altarium, nullam prævidet exsecrationis cœmeteriorum. Unde :

1° Nulla admittenda est exsecrationis causa, præter eam quæ quasi ex naturali jure oritur, nempe quando vi majori (v. g., terræ motu aut alia simili causa) cœmeterium fit omnino ineptum ad finem cui destinatur ; tunc enim amittit *suum esse*, et proinde consecrationem aut benedictionem. Non vero exsecratur, quando muri, quibus circumdatur, etiam majori parte, etiam simul, cadunt.

2° Errat Reclusius [2], quando dicit cœmeterium exsecrari, *si cruces*, quæ fuerunt ab episcopo benedictæ in actu consecrationis, *igne consumantur* aut alio modo pereant. — Hæc enim non est exsecrationis causa jure prævisa, nec per istam crucum consumptionem cœmeterium amisit suum esse. — Nec refert quod essentia consecrationis consistit, ut ait Reclusius, in benedictione crucum ; nam consecratio quidem, in ratione *fieri*, consistit in benedictione crucum, non vero in *facto esse ;* sicut consecratio ecclesiæ

[1] *Decreta auth.*, n. 3400 et 3524, t. III, p. 71, 118.
[2] *Loc. cit.*, n. 71, p. 112 ; Reclusium sequitur Moulart, *loc. cit.*, p. 117.

consistit in unctione crucum, et tamen, crucibus omnino consumptis, non cessat consecratio, sic et de cœmeterio.

146. — Profanatio cœmeteriorum. — Profanatio, de qua agitur, est *conversio cœmeterii ad usus profanos, auctoritate legitima facta.* De auctoritate R. Pontificis, nulla est difficultas; de auctoritate episcopi hæc dicenda videntur :

1° Episcopus, vi potestatis ei a conc. Trid. concessæ in cap. *Cum illud*, 7, sess. XXI, De ref., circa *ecclesias* dirutas, quæ non possint reparari, potest jubere aut permittere profanari *cœmeterium consecratum*, in duplici casu :

a. Quando hoc cœmeterium *contiguum* est ecclesiæ dirutæ quam episcopus jubet in usus profanos converti. Ratio est quia, in hoc casu, cœmeterium est vere quid accessorium relative ad ecclesiam; porro, vi regulæ 42 juris in VI, *accessorium naturam sequi congruit principalis*[1].

b. Quando hoc cœmeterium est ipsius ecclesiæ profanandæ (licet ei non sit contiguum), v. g., si agatur de cœmeterio ipsius ecclesiæ parochialis profanandæ, quod tamen non sit etiam alterius ecclesiæ parochialis. — Sic censere videtur ipsa S. Congr. Concilii apud Gallemart[2], et inde Barbosa[3]. Ratio est quia tunc etiam cœmeterium est quid accessorium relative ad ecclesiam, non quidem, ut prius, ratione *vicinitatis*, sed ratione *proprietatis* et *destinationis*[4].

c. In aliis vero casibus, potestate caret episcopus ad profanandum cœmeterium[5].

[1] Quidquid dicit Reclusius, *ibid.*, n. 67-68, p. 111.

[2] In dictum cap. conc. Trid., n. 7, Venetiis, 1780, p. 185.

[3] In dictum cap. conc. Trid., n. 25, Lugduni, 1642, p. 149.

[4] Ita etiam Moulart, *loc. cit.*, p. 116.

[5] De hac re, cf. etiam Frances, *De ecclesiis cathedralibus*, c. xxvi, n. 247-260, 267, Venetiis, 1698, p. 283-284.

2° Si vero cœmeterium non sit nisi *benedictum*, non requiritur causa adeo urgens (licet gravis requiratur), ut episcopus possit illud profanare. Constat a pari ex dictis supra de *ecclesiis* (n. **28**, n. 3) et de *oratoriis* (n. **71**).

3° Si agatur de *venditione* fundi cœmeterii, servandæ sunt insuper leges de alienatione bonorum ecclesiasticorum.

§ 4. De pollutione et reconciliatione cœmeteriorum.

147. — Pollutio cœmeteriorum. — De notione pollutionis, cf. dicta ubi de *ecclesiis* (n. **30**).

1° In genere, *cœmeterium polluitur iisdem quatuor modis*, quibus polluitur ecclesia, nempe *homicidio*, *effusione sanguinis humani*, *effusione seminis humani*, et *sepultura excommunicatorum aut infidelium*. — Probatur in specie pro singulis :

a. Cœmeterium pollui *effusione sanguinis aut seminis* constat cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione ecclesiæ, in VI, ubi dicitur : « Si ecclesiam *pollui sanguinis aut seminis effusione* contingat, ipsius cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum; unde, antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri; secus, si remotum fuerit ab eadem. Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet *polluto cœmeterio*, quamvis ecclesiæ contiguo, debeat ecclesia reputari polluta; ne minus dignum majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur... » Ubi Bonifacius VIII, post hæc verba supra notata *polluto cœmeterio*, subaudit, ut supra dixerat de ecclesia, *sanguinis aut seminis effusione* : quod patet ex tenore textus et omnes intellexerunt post Glossam, *in hoc caput*, princip.[1].

[1] *Corpus Jur. can., cum glossis*, in Sextum, Lugduni, 1671, p. 578.

b. Cœmeterium pollui *sepultura excommunicatorum vitandorum* constat cap. *Consuluisti*, 7, De consecratione ecclesiæ, in quo dicitur : « Cœmeteria, in quibus *excommunicatorum corpora* sepeliri contingit, *reconcilianda erunt* aspersione aquæ solemniter benedictæ. » — Quod extendendum est ad sepulturam infidelis aut pagani, ex dictis supra (n. **34**) de pollutione ecclesiarum.

c. Cœmeterium pollui *homicidio* pariter certum est, non quidem vi textus juris scripti (cap. enim *Proposuisti*, 4, De consecratione eccl., supra, n. **31**, allegatum, non loquitur directe nisi de *ecclesiis*), sed vi *perpetuæ consuetudinis*, quæ hac in re ecclesiis semper assimilavit cœmeteria, eo magis quod si, ut dictum est, cœmeteria polluantur *effusione sanguinis*, plane ridiculum esset ea non pollui *homicidio*. Unde nullum videris auctorem aliter sentientem[1].

2° Ii autem quatuor modi, quibus polluitur cœmeterium, exponendi sunt eodem modo, id est, cum omnibus *clausulis* et *restrictionibus*, cum quibus expositi sunt, ubi de ecclesiis actum est. — Hanc enim perfectam assimilationem inter ecclesias et cœmeteria hac de re induxit consuetudo, constansque interpretatio SS. Romanarum Congregationum, et omnium doctorum[2], ita ut, si quid desit ex parte juris scripti, abunde suppleatur jure consuetudinario.

3° Insuper *speciali modo* polluitur cœmeterium; nempe, *si ecclesia polluta sit, et cœmeterium sit ei contiguum, cœmeterium ipsum polluitur.* — Constat clarissime cit. cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione eccl., in VI, ubi etiam ratio non obscure traditur, nempe quia *accessorium*

[1] Cf. Reiff., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 29; — Pirhing, in eumd. tit., n. 31; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 69; — Reclusius, *loc. cit.*, n. 88, p. 114.

[2] Cf. statim allegatos.

sequi debet naturam principalis. — De quo notanda tria :

a. Cœmeterium dicitur ecclesiæ *contiguum,* quando tangit ipsos ecclesiæ muros, ita ut nihil sit intermedium inter cœmeterium et ecclesiam. Ita Glossa, in dictum cap. *Si ecclesiam,* 1, v° *Contiguum* [1], quam omnes secuti sunt. Unde si cœmeterium sit tantisper semotum ab ecclesia, pollutio ecclesiæ non ipsum attingit.

b. Si cœmeterium polluatur, ecclesia, *etiam contigua,* non polluitur, ut constat expresse cit. cap. *Si ecclesiam.*

c. Si duo (vel plura) sint cœmeteria sibi contigua, sed *pariete medio separata*, ex pollutione unius non sequitur pollutio alterius. — Constat eod. cap. *Si ecclesiam*, in quo sic pergit Bonifacius VIII : « Non unum, sed plura cœmeteria esse noscuntur, quæ, quamvis sibi cohærentia, *pariete* tamen *medio sejunguntur;* ideoque, violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum. » Ratio est quia hæc duo cœmeteria sunt æque principalia, non vero unum alteri accessorium.

4° *Effectus pollutionis. — Polluto cœmeterio, nefas est in illo sepelire mortuos.* Constat expresse ex cit. cap. *Si ecclesiam :* « (Cœmeterium) censetur esse pollutum; unde, antequam reconciliatum fuerit, *non debet in eo aliquis sepeliri.* »

148. — Reconciliatio cœmeteriorum. — Ut intelligatur quis et quo ritu reconciliare debeat cœmeterium pollutum, distinguendum est :

1° Vel cœmeterium pollutum est *consequenter ad ecclesiæ pollutionem* (qui est *specialis* modus pollutionis supra notatus). — In hoc casu, ecclesia et cœmeterium recon-

[1] *Loc. cit.,* p. 579.

ciliantur unica cæremonia seu *functione;* minister autem hujus functionis est vel episcopus, vel simplex sacerdos, prout ecclesia fuit consecrata vel non, juxta supradicta n. **42.** Si episcopus, aut simplex sacerdos *vi indulti pontificii*, reconciliet, utitur ritu in *Pontificali* descripto : *De ecclesiæ et cœmeterii reconciliatione:* si simplex sacerdos reconciliet (in casu ecclesiæ non consecratæ), adhibet ritum descriptum in *Rituali*, tit. VIII, c. XXVIII, sub rubrica : *Ritus reconciliandi ecclesiam violatam, si nondum erat ab episcopo consecrata;* in quo ritu agitur simul de *ecclesiæ* et de *cœmeterii* reconciliatione.

2° Vel cœmeterium *solum* pollutum est, independenter ab ecclesia, uno nempe ex quatuor actibus supra descriptis. In hoc casu, subdistinguendum est :

a. Si cœmeterium fuerit *consecratum*, solus minister reconciliationis est *episcopus*, eodem prorsus modo ac dictum est supra (n. **42**) de reconciliatione ecclesiæ *consecratæ*. — Ratio est quia hæc duo, nempe *reconciliatio ecclesiæ consecratæ* et *reconciliatio cœmeterii consecrati*, in jure omnino assimilantur. Quod non obscure traditur cap. *Consuluisti*, 7, De CONSECRATIONE ECCL. : « Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt *aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus ecclesiarum fieri consuevit.* » Quod etiam receptum est communissima interpretatione doctorum et confirmatum auctoritate S. Rituum Congr., in *Cameracen.*, 9 feb. 1608, in qua resolvit episcopum, ad reconciliandum cœmeterium consecratum, non posse delegare nisi episcopum [1]. Unde reconciliatio cœmeterii consecrati est *actus ordinis episcopalis*, qui non potest mandari simplici presbytero, nisi *indulto pontificio;* quo de facto fruuntur prælati regulares

[1] *Decreta authentica*, n. 246, t. I, p. 66.

ad reconcilianda propria cœmeteria, ex Leonis X brevi *Religionis suadet,* supra (n. **42,** not. 1) allegato.

b. Si cœmeterium fuerit tantummodo *benedictum*, simplex sacerdos potest illud reconciliare, imo sine delegatione episcopi. — Quod constat *a fortiori* ex his quæ supra dicta sunt (n. **42,** 2°) de reconciliatione ecclesiæ tantum benedictæ.

149. — Exhumatio cadaverum. — Quando cœmeterium pollutum est per sepulturam vel *excommunicati vitandi*, vel *infidelis,* priusquam reconciliatio fiat, *exhumandum est cadaver, modo tamen ab aliis corporibus discerni queat,* et alibi, nempe extra cœmeterium benedictum, reponendum. — Constat :

1° Pro *excommunicato vitando*, cap. *Sacris,* 12, De sepulturis : « Unde, si contingat interdum quod, vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum vel alio casu in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, *si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent,* et procul ab ecclesiastica sepultura jactari. »

2° Pro *infideli,* can. *Ecclesiam ubi,* 27, et can. *Ecclesiam in qua*, 28, dist. I, De consecr., in quibus præcipitur cadavera infidelium *jactari foras*, et ecclesiam non adhiberi ad cultum nisi *evulsis corporibus.* De horum canonum vi juridica actum est supra (n. **34,** 2°).

3° Pro *restrictione*, nempe *modo tamen cadaver excommunicati aut infidelis ab aliis corporibus discerni queat*, constat clare cap. *Sacris,* supra relato.

§ 5. De immunitate cœmeteriorum.

150. — Immunitas cœmeteriorum ab actibus profanis.

1° *Jure canonico*, duo prohibentur in cœmeteriis, ob reverentiam illis debitam :

a. Prohibentur in cœmeteriis judicia sæcularia, sub pœna nullitatis. — Constat duobus cap., nempe cap. *Cum ecclesia*, 5, De immunitate eccl., et cap. *Decet*, 2, eod. tit., in VI, quorum videas textus supra (n. **44**), ubi de *ecclesiis;* hi enim textus æque respiciunt ecclesias et cœmeteria.

b. Prohibentur in cœmeteriis negotiationes et nundinæ. — Constat eod. cap. *Decet*, supra (n. **44**) allegato, quod eodem modo interpreteris pro cœmeteriis ac pro ecclesiis.

2° *Jure naturali* prohibetur in cœmeteriis *quidquid eorum sanctitati repugnat*, licet jure positivo expresse non prohibeatur. — Cœmeterium enim est *locus religiosus et sacer*, quum deputatus fuerit auctoritate episcopali, et benedictione speciali constitutiva, ad finem religiosum, nempe sepulturam defunctorum, imo ad finem sacrum, cum preces exsequiales et officium defunctorum, quæ ibi recitantur, referantur æque ad expiationem animarum et ad cultum Dei. Porro, hac qualitate *loci sacri* semel posita, jure naturali vetantur omnes actus profani qui communi hominum æstimatione huic qualitati repugnant, v. g., triturare segetes, macerare uvas, instituere saltationes, ludos, aut convivia, pascere animalia, etc. etc., de quibus reipsa caverunt multa concilia provincialia [1].

151. — Jus asyli. — Cœmeteria fruuntur jure asyli, sicut ipsæ ecclesiæ, *modo fuerint ab episcopo depu-*

[1] Cf. Moulart, *De sepultura*, p. 109-110.

tata ad sepulturam fidelium, ut supra probatum est (n. **51**, 4°).

§ 6. De concessione loci ad sepulturam in cœmeterio.

152. — **Quæritur : 1°** *Num pretio concedi possit locus ad sepulturam in cœmeterio.*

Resp. : 1° Si agatur de *cœmeterio non benedicto*, qualia multa sunt hodie, in quibus quorumlibet civium, etiam infidelium, judæorum, etc., corpora sepeliuntur, nulla est difficultas; cum remaneat locus profanus, potest pretio vendi aut ad usum concedi quælibet pars ejus.

2° Si agatur de *simplici fossa in loco communi*, nihil potest accipi *tanquam pretium*. — De jure quidem *naturali*, nihil obstare videtur quin aliquid recipiatur; sicut enim calix consecratus vendi potest, modo nihil addatur ratione consecrationis, sic et terra benedicta, aut aliqua ejus pars, in dominium aut usum tradi posse videtur, modo pretium non augeatur ratione benedictionis; tunc enim non spirituale, sed temporale venditur. — Sed quidquid hoc est, *jure canonico*, nihil percipi potest *tanquam pretium*. Constat cap. *Abolendæ*, 13, De sepulturis : « Abolendæ consuetudinis perversitas apud Montem Pessulanum, ut dicitur, inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur. Mandamus quatenus, cum loci diœcesanus existas, *inhibeas clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa.* » Et ita etiam in cap. *Non satis*, 8, et cap. *Cum in Ecclesiæ*, 9, De simonia, in quibus rejiciuntur contrariæ consuetudines.

Dixi : *tanquam pretium;* nam si alio titulo aliquid solvatur, v. g., pro conservatione cœmeterii, sustentatione

ministrorum, etc., præsertim si hac de re invaluerit consuetudo, potest accipi, imo exigi, modo non exigatur tanquam condicio sepulturæ concedendæ.

3° Si agatur de *loco, in quo quis construere velit sepulcrum pro se suisque*, major est difficultas, quia tunc pars aliqua terræ benedictæ concedi videtur pro pretio temporali, quod est simoniacum. — Verum multo probabilius hoc pactum non est illicitum, præcipue propter duo : 1. Emptor non acquirit dominium loci, sed tantum *usum privativum* hujus loci, in eo sensu quod ecclesia (cujus est cœmeterium) obligatione oneratur non admittendi ad sepulturam in hoc loco nisi membra talis familiæ, exclusis quibuslibet aliis; porro hoc jus privativum, seu hæc ab ecclesia assumpta obligatio, est quid temporale pecunia æstimabile; — 2. Objectum hujus pacti non est ut pretio detur locus pro sepultura, sed ut possit haberi sepulcrum distinctum et separatum a loco communi sepulturarum, et proinde *locus sepulturæ honorabilior;* hoc enim præcipue, imo exclusive intendit emptor; non vult enim corpora suorum cum aliis corporibus passim misceri, sed in separato et conspicuo loco reponi; porro hæc omnia sunt temporalia et pretio æstimabilia. — Et ita gravissimi doctores, Suarez (qui tamen rejicit argumentum ex *loco honorabiliori* desumptum), Barbosa, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Petra, Giraldi, etc., qui testantur hac de re generalem consuetudinem[1].

4° Si agatur de *sepulcro jam extructo, quod, elapso tempore concessionis, vel alia de causa, redierit ad ecclesiam*, idem videtur dicendum; nihil nempe prohibet quin eccle-

[1] Suarez, *De simonia* (in opere *De religione*, tract. III, lib. IV), c. XIV, n. 22; — Barbosa, *De officio parochi*, c. XXVI, n. 16-18; — Reiff., in tit. *De sepult.*, n. 68-69; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 81; — Giraldi, *Expositio*, etc., sect. DCCLV, p. 563; — Petra, *In const. II Clementis IV*, n. 6-8, t. III, p. 217-218. — His accedit Moulart, *De sepultura*, p. 113.

sia pretio aliis concedat hoc sepulcrum, et hoc propter eadem duo argumenta, quæ hic totam vim suam retinere videntur.

153. — **Quæritur :** 2° *Num, in his concessionibus, requirantur solemnitates in alienatione rerum ecclesiasticarum præscriptæ, et præcipue beneplacitum apostolicum.*

Resp. : 1° *Si agatur de loco, in quo quis velit construere sepulcrum pro se suisque*, receptum est non requiri beneplacitum apostolicum, et proinde sufficere licentiam episcopi. — Verum quidem est, vi Pauli II const. *Ambitiosæ* (cap. I, De rebus ecclesiæ non alienandis, Extrav. comm.), prohiberi, sine beneplacito apostolico, non tantum *alienationem* rerum ecclesiasticarum, sed etiam earum *locationem et conductionem ultra triennium :* quod adesse videtur in hac concessione loci pro sepulcro familiari. Attamen legem aliter interpretata est consuetudo [1], ob hanc, ut videtur, rationem, quia nempe, ut dictum est, non datur pecunia pro terra sancta, sed pro extruendo sepulcro separato et honorabiliori. — Ceterum nulla est difficultas, quando locus pro sepultura concedendus est minoris momenti ; tunc enim applicatur can. *Terrulas*, 53, caus. XII, q. II, vi cujus episcopus permittere potest alienari bona minoris momenti, sine ulla solemnitate, et proinde sine beneplacito apostolico ; cui canoni non derogavit Paulus II præfata constitutione. Quænam autem sint bona minoris momenti ad effectum de quo agitur, tractant doctores ubi *De alienatione bonorum ecclesiasticorum.*

2° *Si agatur de sepulcro jam extructo, quod redierit ad ecclesiam*, et quod hæc alienare velit, legem Paulinam

[1] Ita Petra, *In const. V Pauli II*, n. 17-18, t. v, p. 217; — Giraldi *Expositio*, etc., *loc. cit.*

servandam esse (modo non sit locus applicandi dictum can. *Terrulas*) docent communiter doctores[1]; in hoc enim sensu dicunt invaluisse usum.

154. — Jus sepulcri. — Ex illa concessione oritur, in favorem emptoris, *jus sepulcri*, jus nempe ut ejus corpus in tali sepulcro condatur; si quis autem locum emerit *pro se et suis cognatis aut heredibus*, jus illud sepulcri his transmittitur. — Jus sepulcri, nostris Galliæ legibus, non est *jus proprietatis*, sed tantum *jus ad usum determinatum et exclusivum*, ita ut hic usus mutari nequeat. Unde municipium, penes quod, apud nos, est proprietas cœmeterii, retinet proprietatem sepulcri[2]. — Non absimile erat, apud Romanos, *jus sepulcri*[3].

[1] Ita citati Petra et Giraldi, quibus accedit Moulart, p. 171.

[2] Cf. André, *La sépulture au point de vue du droit*, part. II, c. VI, § 4, Toulouse, 1876, p. 326 sq.

[3] Cf. Accarias, *Précis de droit romain*, t. I, n. 192, Paris, 1886, p. 489-493.

CAPUT III

QUÆNAM INSTITUTA JUS SEPULTURÆ HABEANT

155. — Declaratur sensus quæsiti. — Jure canonico, non quodlibet institutum aut communitas jus habet erigendi cœmeterium, ut in eo sepeliat sua membra et a fortiori alios fideles; sed hoc jus reservatur quibusdam determinatis institutis, infra enumerandis, quæ sola exclusive potiantur præfato jure sepulturæ. Quod ut plenius intelligatur, notandum est[1] *hoc jus sepulturæ* constare duplici potissimum jure, nempe *jure peragendi officium funebre supra corpus defuncti*, et *jure deponendi corpus in loco sepulturæ*. Porro præfatum jus variis institutis aut ecclesiis competit, idque diversis titulis, et cum majori vel minori extensione, ut sequitur.

156. — Parochiæ seu ecclesiæ parochiales.

1° *Ecclesia parochialis pleno jure sepulturæ potitur, idque ipso jure communi.* — Constat cap. *Is qui*, 3, De sepulturis, in VI : « Is qui, habens domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert

[1] Quod infra, c. VI, § 2, demonstrabitur.

recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictæ villæ, sed *in sua parochiali,* vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, *sepeliri debebit:* dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. » Quod item supponitur in aliis capitibus nempe cap. *Nos instituta,* 1, De sepulturis; cap. *In nostra,* 10, eod. tit.; cap. *Cum quis,* 2, eod. tit., in VI; cap. *Dudum,* 2, eod. tit., Clem., § *Hujusmodi quoque.*

2° Per *ecclesiam parochialem* intelligitur non tantum *parochia stricte dicta*, cujus titularis sit inamovibilis, sed quæque *circumscriptio ecclesiastica*, *in qua sacerdos, non vice alterius, sed proprio nomine, sacramenta fidelibus administrat.* Ita textum citatum interpretata est consuetudo universalis, quia nempe, ut ait Bonifacius VIII in cit. cap. *Cum quis*, remuneratio debetur « illi duntaxat (ecclesiæ), in qua ille (defunctus) officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta ».

157. — Monasteria Regularium.

1° *Privilegio clauso in Corpore Juris, omnia monasteria Ordinum Prædicatorum et Minorum fruuntur jure sepulturæ.* — Constat cap. *Dudum,* 2, De sepulturis, Clem., § *Hujusmodi quoque :* « Hujusmodi quoque statuto, et ordinationibus nostris adjicimus, ut fratres dictorum Ordinum (Prædicatores et Minores) in ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis, *liberam*, ut sequitur, *habeant sepulturam.* Videlicet, quod *omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis et ecclesiis memoratis.* » — Quod privilegium duobus præfatis Ordinibus jam concesserat Bonifacius VIII, decretali *Super cathedram*[1]; cum autem

[1] Cap. II, De sepulturis, Extr. comm.

hanc decretalem revocasset Benedictus XI, successor Bonifacii, decret. *Inter cunctas*[1], Clemens V, alter Bonifacii successor, constitutionem Benedicti revocatoriam revocavit, et plene restituit decretalem Bonifacii *Super cathedram*, quam in extenso retulit cit. cap. *Dudum*, in concilio Viennensi, an. 1311.

2° *Idem privilegium concessum est directe quibusdam aliis Ordinibus.* — Sic concessum est quibusdam *Hospitalariis*, de quibus agitur in cap. *In nostra*, 10, De sepulturis.

3° *Vi communicationis privilegiorum, idem jus pertinet ad omnes Regulares.* — Constat ex regulis de communicatione privilegiorum.

4° Controvertitur utrum hoc jus sepulturæ Regularibus competat *solo privilegio*, an etiam *jure communi*, sicut ecclesiis parochialibus. — Quidem affirmant illis competere etiam *jure communi* : quod probant cap. *Fraternitatem*, 3, De sepulturis, ubi revera id non leviter suadetur; ita præcipue Fagnanus[2]; — alii vero dicunt hoc jus illis non competere (præsertim quoad alios fideles) nisi ex *privilegio;* ita præcipue Petra[3].

5° Licet omnes possint eligere sepulturam in cœmeterio Regularium, attamen nullus sepeliri potest in hoc cœmeterio, *invitis Regularibus*, et proinde *sine licentia superioris localis.* — Constat Clementis IV bulla *Virtute conspicuos*, an. 1265[4], qua hoc declaratum fuit pro fratribus Minoribus : quod, vi communicationis, extensum est ad alios Regulares[5].

[1] Cap. I, De privilegiis, Extr. comm.

[2] In hoc caput *Fraternitatem*, n. 5-6.

[3] *In const. III Cœlestini III*, sect. I, n. 18-19, Venetiis, 1741, t. II, p. 105.

[4] *Bull. Rom.*, t. III, part. I, p. 433. — Bulla Clementis IV *in extenso* transcripta est in Sixti IV bulla *Regimini*, 31 aug. 1474 (*Mare Magnum Minorum*). — Cf. *Bullarium Minorum*, t. VI, p. 175, § 27, Romæ, 1750.

[5] Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 31.

6° *Quæritur num Regulares renuntiare possint illi juri recipiendi fideles ad sepulturam.* — Porro distinguendum est :

1. Si agatur de *conventu jam fundato,* Regulares suo juri sepulturæ renuntiare non possunt, nisi servatis legibus de alienatione rerum ecclesiasticarum, et proinde obtento beneplacito apostolico. — Ratio est quia, semel fundato conventu, jus Regularibus quæsitum est (vi cap. *Dudum*) admittendi fideles ad sepulturam; porro, sine ullo dubio, hoc jus recensendum est inter *res ecclesiasticas.*

2. Si agatur de *ipsa fundatione conventus,* Regulares possunt suo juri renuntiare, faciendo *pactum* cum parocho vel parochis loci. — Ratio est quia, abstrahendo a legibus de alienatione rerum ecclesiasticarum, pactum prædictum omnino licitum est et validum, ut constat cap. *Pactum,* 1, De pactis, in VI : « Pactum cum rectore parochialis ecclesiæ factum a vobis, ne aliquos vel certos ipsius ecclesiæ parochianos recipiatis ad sepulturam ecclesiasticam, *omnino servare debetis,* etc. » — Nec obstant leges de alienatione rerum ecclesiasticarum; nam hæ leges respiciunt *jus quæsitum,* non vero *jus acquirendum.* — Nec dicatur præfatum privilegium *toti Ordini* fuisse concessum, et ideo singulos conventus non posse illi renuntiare; nam contrarium apparet ex cit. cap. *Pactum* [1].

3. Imo, *jure communi*, pactum illud validum est, *licet non interveniat licentia Provincialis aut Generalis Ordinis.* — Constat clare cap. *Quia,* 3, De pactis, in VI, ubi Bonifacius VIII id expresse tradit. — Dico *jure communi;* nam in quibusdam Ordinibus privilegia specialia derogaverunt

[1] Ita difficultatem solvunt Petra, *loc. cit.,* n. 20-24; — Schmalzg., in tit. *De sepulturis,* n. 8; — Matthæucci, *Officialis curiæ eccl.,* c. xlviii, n. 2, Venetiis, 1717, p. 370; — Ferraris, v° *Sepultura,* n. 142-145.

illi decretali Bonifacii; unde sedulo servandæ sunt consuetudines et statuta cujusvis Ordinis[1].

158. — Monasteria monialium.

1° Moniales possunt habere cœmeterium *pro se suisque novitiis;* ita universalis consuetudo, nec est difficultas.

2° Moniales jus sepulturæ non habent *pro extraneis*, ita ut hi non possint eligere sepulturam in ecclesia aut cœmeterio (etiam exteriori) monialium. — Ratio est quia hoc jus non competit monialibus *jure communi*, deficit enim quilibet textus hoc demonstrans, nec ex *privilegio*, privilegio nempe *generali* quod afficiat omnes moniales[2]. — Nec dicatur moniales participare de privilegiis Regularium, et proinde de privilegio collato in cit. cap. *Dudum;* nam illud quidem verum est de privilegiis favorabilibus, quæ congruant sexui et statui monialium, non vero de privilegiis quæ cum illarum statu non bene concilientur; porro tale esse privilegium funerandi in favorem extraneorum tenet constans jurisprudentia S. Congr. Ep. et Reg., ut constat plurimis ejus decisionibus[3]. Unde ita communissime docent canonistæ[4]. Itaque ut quis sepeliatur in cœmeterio monialium, requiritur licentia S. Congr. Ep. et Reg.

3° Attamen, ex hoc generali prohibitione excipiuntur :

a. Puellæ quæ commorantur in monasteriis monialium educationis causa; his enim licet eligere sepulturam apud moniales, ita ut si in monasterio decedant, possint ibi sepeliri. — Constat duplici resolutione S. Congr. Concilii.

[1] Reiffenstuel, in tit. *De pactis*, n. 78-79.

[2] Fieri enim potest ut quædam moniales hoc privilegio donatæ sint.

[3] Quas videas apud Pignatelli, *Consult.*, Coloniæ Allobrogum, 1718, t. IV, cons. CLXXVII, p. 291.

[4] Præcipue idem Pignatelli, *loc. cit.;* — Maschat, in tit. *De sepulturis*, n. 11; — Matthæucci, *loc. cit.*, c. XLVIII, n. 4; — Petra, *loc. cit.*, n. 29; — Monacelli, part. I, tit. XI, form. 23, n. 5, Romæ, 1713, t. I, p. 250; — Ferraris, v° *Sepultura*, n. 137; — Schmalzg., in tit. *De sepult.*, n. 18.

nempe, in *Pennen., Sepulturæ*, 6 julii 1737 [1], et in *Ferentrana, Juris sepeliendi*, 21 apr. 1742 [2]; incommoda enim quæ sequerentur ex illimitato jure sepeliendi, visa sunt S. Congregationi non existere, ubi agitur de his puellis, quæ sunt quasi ex gremio conventus, ad instar novitiarum [3].

b. Sæculares mulieres quæ in iisdem monasteriis, famulatus vel hospitii, aut alia causa, perpetuo commorantur. — Licet enim decisiones S. Congr. Conc. non respiciant nisi puellas educandas, his tamen assimilandæ videntur mulieres de quibus agitur, quæ sunt et ipsæ quasi de gremio monasterii [4].

c. Notandum vero est has puellas aut mulieres non posse sepeliri in cœmeterio monialium, *nisi ibi ipsæ elegerint sepulturam;* aliter enim sepeliuntur vel in sepulcro majorum, vel in parochia, juxta jus commune. S. Congr. Conc., in duplici allata resolutione, expresse supponit electam fuisse sepulturam [5]. Quidam tamen dicunt eas posse etiam tunc sepeliri in cœmeterio monialium [6].

159. — Potestas episcopi concedendi jus sepulturæ. — Ut alibi demonstratur et omnes concedunt, episcopus jus habet concedendi jus sepulturæ alii ecclesiæ non parochiali nec regulari, v. g., oratorio publico, ecclesiæ confraternitatis, et præsertim communitati religiosæ votorum simplicium. Sicut autem potest illud jus concedere, sic potest illud cum tali vel tali restrictione aut con-

[1] *Thesaurus*, t. VIII, p. 114-115.
[2] *Ibid.*, t. XI, p. 68-70.
[3] Ita etiam Maschat, *loc. cit.*, n. 6.
[4] Maschat, *ibid.*
[5] Cf. Pignatelli, *loc. cit.*, t. VII, cons. LXIII, p. 118-119.
[6] V. g., Passerini, *De hominum statibus et officiis*, q. CLXXXVII, art. 1, n. 896, Romæ, 1663, t. II, p. 209.

dicione concedere, v. g., ut non admittantur ad sepulturam nisi membra communitatis aut sodalitatis, ut non admittantur nisi viri (aut nisi mulieres), ut requiratur licentia parochi, etc.

160. — Vis consuetudinis. — Dubium esse nequit quin possit, vi consuetudinis, acquiri alicui ecclesiæ vel communitati, jus habendi cœmeterium; quum vero hic agatur de præjudicio juris tertii (nempe parochi), non sufficit *simplex consuetudo*, sed requiritur vera et proprie dicta *præscriptio;* aliis verbis, requiritur ut consuetudo habeat omnia requisita tum *consuetudinis*, tum *præscriptionis*. — In aliquibus regionibus, *vi consuetudinis*, ecclesia *cathedralis*, etiam non parochialis, fruitur jure sepeliendi, eos nempe qui ibi elegerint sepulturam; quæ consuetudo retrogredi videtur ad tempus quo, in civitatibus, non erat nisi una parochia, nempe cathedralis, in qua sola, de jure, fiebant sepulturæ, ad normam concilii Triburiensis, an. 895, can. 15[1] (= can. *Ubicumque*, 6, caus. XIII, q. II); diviso autem postea territorio civitatis in parochias, remanserunt ecclesiæ cathedrali quædam jura, inter quæ jus sepulturæ.

161. — Scholium. — *De simplici jure tumuli. Jus sepeliendi* vel *tumulandi*, aut *funerandi*, de quo dictum est supra, toto cælo differt a simplici *jure tumuli*, quod consistit in eo quod auctoritate apostolica vel episcopali concedatur membris alicujus sodalitatis, communitatis aut instituti, jus ut *eorum corpora, post ritus exequiales juxta jus commune expletos, reponantur, non quidem in cœmeterio parochiali*, ubi de jure condenda fuissent, *sed in tali*

[1] Mansi, *Conc.*, t. XVIII, col. 140.

ecclesia vel cœmeterio determinatis. Tunc nihil mutatur in officio funebri, quod fit a parocho, in ecclesia parochiali, unde corpus deducitur a parocho non in cœmeterium parochiale, sed in sepulturam destinatam; tunc etiam omnia emolumenta pertinent ad parochum [1].

[1] Hac in re, legas *folia* causæ *Fabrianen.,* 30 jan. 1839, et causæ *Auximanæ,* 20 nov. 1830, in quibus controversum est utrum verum *jus funerandi,* an simplex *jus tumuli* concessum fuerit (*Thesaurus,* t. xc, p. 40-48, 70, 277-285); cf. etiam *folium* causæ *Romanæ, Emolumentorum funeralium*, 16 junii 1731 (*Thesaurus,* t. v, p. 117, 129).

CAPUT IV

DE JURE COMMUNI, CIRCA LOCUM IN QUO QUISQUE FIDELIS SEPELIRI DEBEAT

162. — Principium generale statuendum. — Principium generale, in hac materia, tribus his constat : 1° Si fidelis *sibi elegerit sepulturam*, in hac sepeliri debet; — 2° Si non elegerit sepulturam, sepeliri debet in *sepulcro majorum;* — 3° Si non habeat sepulcrum majorum, sepeliri debet in *ecclesia vel cœmeterio parochiali.* — Constat clare hoc principium :

a. Ex supra (n. **155**) relato cap. *Is qui*, 3, De sepulturis, in VI, ubi tres species sepulturæ (*electa, gentilitia* et *parochialis*) describuntur, et in ordine supradicto ponuntur.

b. Ex cap. *Nos instituta*, 1, De sepulturis : « Nos, instituta majorum patrum considerantes, statuimus *unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere*, ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus *propriam eligere sepulturam*, et etiam alienam ; Dominus enim et Magister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius mercede sua, *tertiam partem sui judicii illi ecclesiæ dari censemus, in qua cælesti pabulo refici consue-*

vit... Aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri... sub anathematis vinculo detestamur et contradicimus. » Ubi etiam duæ species sepulturæ allegantur, et tertia supponitur, et tres in ordine supra indicato ponuntur.

c. Ex pluribus capit., in quibus aperte supponitur præfatum principium, v. g., cap. *Cum quis*, 2, et cap. *Licet*, 4, De sepulturis, in VI. — Unde propositio est omnino extra controversiam.

§ 1. De electione sepulturæ.

163. — Jus electionis. — *Quilibet fidelis, exceptis impuberibus et Regularibus, potest sibi eligere sepulturam.* — Constat :

1° Cit. cap. *Nos instituta :* « *Nulli* tamen negamus *propriam eligere sepulturam*, et etiam alienam...; » id est : Nulli negamus eligere locum ubi suum corpus sepeliatur ; imo, ad hoc, exemplo Domini, potest eligere locum *alienum*, id est, cœmeterium alterius ecclesiæ, non sibi proinde, sed aliis destinatum.

2° Cap. *Cum quis*, 2, De sepulturis, in VI, cujus hoc est propositum. Cum Innocentius III, in cap. *Fraternitatem*, 3, De sepulturis, prohibuisset, imo irritare visus esset electionem sepulturæ in loco *minus religioso*[1], et multæ circa hanc legem aut ejus interpretationem motæ fuissent controversiæ, Bonifacius VIII, cit. cap., dubium omne diremit, dicens : « Si quis, antiqua dimissa, novam, *etiam in loco minus religioso*, elegerit sepulturam, *electionem hujusmodi*, licet jura super hoc videantur esse diversa, *nequaquam volumus impugnari.* »

[1] Locus *minus religiosus* dicebatur in quo minus frequentia celebrabantur officia divina.

Dixi : *exceptis impuberibus et Regularibus*, quia revera hæ duæ juri generali appositæ sunt exceptiones, ut statim exponitur.

164. — Duæ exceptiones legi apponendæ. — Præter illos qui usu rationis carent, et qui proinde non possunt *eligere*, quia non possunt *agere*, — *impuberes* et *Regulares* privantur jure eligendi sepulturam :

1° *De impuberibus.* — De impuberibus, id est, de masculis infra annum decimum quartum completum, et de feminis infra annum duodecimum completum constitutis, hæc dicenda :

a. Impuberes *prohibentur eligere sepulturam.* — Constat cap. *Licet*, 4, De sepulturis, in VI, in quo sic statuit Bonifacius VIII : « Licet pater minores filios, *qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam*, possit, si consuetudo terræ id habeat, quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi. »

b. Pater potest pro ipsis eligere sepulturam, sed, quidquid dicunt aliqui [1], *modo talis sit consuetudo ;* nimis enim clara sunt verba bis repetita Bonifacii VIII in mox alleg. cap. — Hoc jam cautum erat in cap. *De uxore*, 7, De sepulturis.

c. Deficiente patre (v. g., mortuo), idem potest *mater*, sed, ut patet, modo etiam adsit consuetudo. — Constat pluribus decisionibus sacrarum Congr. Rom., v. g., una S. Congregationis Concilii, quam refert et approbat (licet pro casu particulari) Innocentius X, in brevi *Ex injuncto*, 22 feb. 1646, § 6 : « An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam. Resp. S. Congr.: *Non licere*

[1] Apud Petra, *In const. II Honorii III*, n. 9, t. II, p. 210.

matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine[1]. » — Deficiente matre, idem possunt alii consanguinei proximiores et tutor, modo adsit et in quantum adest consuetudo[2].

d. Multi dicunt patrem (aut matrem) non posse eligere sepulturam pro filio impubere, *nisi isto adhuc vivo*, quia nempe, inquiunt, per hujus mortem, perit patri patria potestas et quodlibet jus inde ortum[3]. In hoc sensu allegantur decisio S. Congr. Conc., in *Avellinen.*, 15 sept. 1605[4], et plura responsa S. Congr. Ep. et Reg., v. g., in *Fulginaten.*, 27 oct. 1587; in una *Montis Pelusii*, 6 jun. 1659[5]; et, recentius, 6 maii 1870 : « Negative et ad mentem; mens est ut, *salvo jure patris eligendi sepulturam filio impuberi ante illius mortem*, non liceat id peragere in actu baptismatis vel in actu proximo[6]. » — Quidam tamen dicunt posse patrem eligere sepulturam pro filio impubere, *etiam post hujus mortem;* quia nempe, in cit. cap. *Licet*, Bonifacius VIII non distinguit, nec adhibet verbum *eligere*, sed dicit tantum : *potest pater eos quo voluerit sepelire*, quæ locutio magis favet huic alteri opinioni, et ita hæc verba interpretatur Glossa[7]. Ita Passerinus, Matthæucci, aliique[8]. — Licet præferenda videatur prior opinio ob re-

[1] *Bull. Rom.*, t. VI, part. III, p. 76.

[2] Ita Leurenius, *Forum beneficiale*, part. I, q. CDLII, n. 2, Coloniæ Agrippinæ, 1735, t. I, p. 152; — Craisson, *De la sépulture*, n. 50, Valence, 1868, p. 23.

[3] Ita Petra, *loc. cit.*, n. 10-11; — Giraldi, *Expositio*, etc., part. I, sect. CDLXXXVIII, p. 320; — Marchetti, *Praxis vic. cap. et de sepulturis*, tit. XXXVIII, n. 142, Maceratæ, 1671, p. 242; — Moulart, *loc. cit.*, p. 150.

[4] Apud Giraldi, *loc. cit.*

[5] *Ibid.*

[6] *Acta S. Sedis*, t. V, p. 568.

[7] In cit. cap. *Licet*, princ.; *Corpus Jur. can. cum glossis*, in Sextum, Lugduni, 1671, p. 536.

[8] Passerinus, *De hominum statibus et officiis*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 277, Romæ, 1663, t. II, p. 471; — Matthæucci, *Officialis*, etc., c. XLVIII, n. 25, Venetiis, 1717, p. 377.

sponsa S. Congregationum, sua tamen probabilitate non caret altera opinio, posita consuetudine, quam in omni casu supponit et exigit cap. *Licet*[1].

2° *De Regularibus.* — Cum de Regularibus agendum sit postea, hic tantum notamus *non posse Regulares eligere sepulturam.* — Constat cap. *Religiosi*, 5, De sepulturis, in VI : « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, *nequeunt, cum velle vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam*, sed sunt apud sua monasteria tumulandi. »

165. — Varia adjuncta electionis.

1° Sepultura eligi potest *in qualibet ecclesia* (aut cœmeterio), *quæ,* juxta supradicta in c. III, *jus habeat sepulturæ*, v. g., in qualibet ecclesia *parochiali,* in qualibet ecclesia *regulari*, etc. Quod constat textibus supra cit. (n. **163**) et inde universali usu.

2° Quum electio sit *factum,* probari debet sicut alia facta, eo magis quod, per eam, præjudicium infertur ecclesiæ parochiali, aut ecclesiæ, in qua adest sepultura majorum. Juxta declarationem S. Congr. Conc., 13 feb. 1666, admittuntur ut probationes sufficientes : 1. Testamentum, codicillum, aut alia expressa ultima voluntas; — 2. Alius actus publicus; — 3. Testimonium duorum testium; — 4. Testimonium parochi, modo electio non illi faveat; — 5. Imo signa et nutus, si quis loqui nesciat, modo sufficienter constet de ejus voluntate[2].

[1] Juxta Passerinum (*loc. cit.*), non sunt nimium urgenda responsa S. Congr., quia data sunt pro singularibus casibus, quorum varia adjuncta latent, quæ tamen oporteret cognoscere, in hac materia in qua totum pendet a consuetudine.

[2] Relata apud Giraldi, *Expositio juris pontificii,* sect. CDLXXXIV, p. 317. — Similia fere determinavit Benedictus XIII, in sua bulla *Pretiosus*,

3° Immo, si quis committat alicui faciendam electionem propriæ sepulturæ, hæc commissio (modo de ea constet) valet, juxta cap. *Cum tibi*, 13, De testamentis, ubi dicitur : « Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. » Liberum porro est commissario eligere sepulturam mandantis, sive ante sive post illius mortem[1].

4° *Uxor* et *filius* (pubes), in eligenda propria sepultura, sunt prorsus liberi a maritali vel patria potestate, ita ut liberrime et absque mariti vel patris assensu possint eligere. — Constat, pro uxore, cap. *De uxore*, 7, De sepulturis, et pro filio, cap. *Licet*, 4, De sepulturis, in VI. — Ratio est, ut ait Lucius III (in cap. *De uxore*), quod *electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri*, et filius a lege patris.

5° Electio sepulturæ, cum sit species ultimæ voluntatis, potest libere mutari usque ad mortem.

6° Ut libera maneat electio, hanc prohibitionem edidit Bonifacius VIII, cap. *Animarum*, 1, De sepulturis, in VI : « Universis Religiosis et sæcularibus clericis, cujuscumque status vel condicionis existant,... districtissime prohibemus, *ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel, fide interposita seu alias, promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* » De quo hæc dicenda :

a. Prohibitio non respicit nisi Religiosos aut clericos, non vero laicos.

b. Prohibitum non est Religiosis, ne aliquos inducant

7 kal. junii 1727, pro Ordine Prædicatorum, § 45; *Bull. Rom.*, t. xii, p. 214.

[1] Cf. d'Annibale, *Summula*, ed. 3ª, t. i, n. 113, not. 7, p. 100; — Petra, *In const. II Honorii III*, n. 43, t. ii, p. 212; — Maschat, in tit. *De sepult.*, n. 4 (contra quosdam, qui dicunt mandatum perire morte mandantis, v. g., Schmalzg., in tit. *De sepult.*, n. 21-22).

ad eligendam sepulturam in ipsorum ecclesiis (hoc enim intactum relinquitur a Bonifacio), sed ne aliquos inducant *ad vovendum, jurandum, aut promittendum*, se electuros sepulturam aut electam non mutaturos.

c. Contra delinquentes, hæ pœnæ statutæ sunt a Bonifacio in eod. capite: 1. *Nullitas electionis* (et proinde voti, juramenti, promissionis); — 2. *Incapacitas eligendi ulterius;* — 3. Si secuta fuerit sepultura, *obligatio* (pro Religiosis aut clericis) *restituendi intra decem dies omnia emolumenta funeris, et etiam corpus si petatur.* — Contra Religiosos aut clericos contumaces addiderat Bonifacius aliam pœnam; nempe, si præfata restitutio tempore debito facta non fuisset, interdicto subjacebant ipso facto eorum ecclesiæ et cœmeteria; sed hæc censura latæ sententiæ non fuit renovata in constitutione *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, et ideo cessavit.

d. Hæ pœnæ a Bonifacio latæ confirmatæ fuerunt a Clemente V, cap. *Cupientes*, 3, De pœnis, § *Sane*, Clem.; quibus adjecerat excommunicationem ipso facto incurrendam a prædictis clericis aut religiosis; sed hæc iterum censura non fuit renovata in bulla *Apostolicæ Sedis*, et ideo cessavit.

§ 2. De sepultura majorum.

166. — Notio et species.

1° Dicitur *sepulcrum majorum* illud sepulcrum *in quo alicujus majores seu ascendentes sepulti requiescunt;* ex his nempe majoribus, unus *sibi suisque* constituit sepulcrum, sicque adeptus est *jus sepulcri*, quod ad suos dein transmittitur.

2° Triplex erat jure romano hujusmodi sepulcrum, nempe *familiare*, *hereditarium*, et *mixtum : familiare*,

quod quis *sibi et familiæ* constituebat, ita ut in illud inferri nequirent nisi qui de familia essent, non vero heredes extranei; — *hereditarium*, quod quis *sibi et heredibus* constituebat, ita ut soli heredes (non vero *familiares non heredes*) in illud inferri possent; — *mixtum*: in quod tum *familiares*, tum *heredes extranei* inferri poterant. — Verum non fuit semper idem conceptus juridicus harum diversarum specierum sepulcri[1].

3° Hodie, apud nos, standum est, in usu rerum, voluntati expressæ illius qui sibi suisque sepulcrum constituit; quæ voluntas exprimi solet vel in testamento vel in alio actu publico; exinde patebit quomodo constitutor sepulcri velit transmitti jus sepulcri, utrum nempe ad omnes descendentes, vel ad solos descendentes per lineam masculinam, utrum etiam ad heredes extraneos, etc. Potest etiam designare personam, quæ ordinet transmissionem juris[2]. Si jus sepulcri ad plures indivise pertineat, nullus defunctus extraneus potest ibi sepeliri sine *omnium* consensu : quod de se patet.

167. — De sepultura in sepulcro majorum.

1° *Regula generalis est aliquem, si decedat sine electione sepulturæ, sepeliri debere in sepulcro majorum.* — Constat textibus supra (n. **162**) citatis; et ratio est quia, ex instinctu naturali et communi voto, quisque suis potius quam extraneis conjungi post mortem suam velle præsumitur. Unde hæc est *quasi electio*, seu *præsumptiva electio* sepulturæ.

2° Supponitur tamen defunctum *posse absque periculo*

[1] Cf. Voet, *In Pandectas*, in tit. *De religiosis...* (XI, VII), n. 5, Venetiis, 1827, t. II, p. 271; — Accarias, *Précis de droit romain*, n. 192, Paris, 1886, t. I, p. 489-493; — d'Annibale, *Summula*, ed. 3ª, t. I, n. 112, not. 2, p. 99.

[2] Cf. pro Gallia, André, *loc. cit.*, p. 320, 332.

ad hoc sepulcrum deportari; ita expresse in cap. *Is qui,* 3, De sepulturis, in VI : « Dummodo *absque periculo* ad ipsam valeat deportari. » Stante enim periculo, defunctus sepelitur in parochia, in qua decedit : quæ omnia infra latius exponentur.

3° Fieri autem potest ut quis habeat duo, imo tria sepulcra majorum, v. g., unum ex parte patris, alterum ex parte matris, tertium ex parte auctoris, cujus sit heres ex testamento, et in omnibus jus habeat sepulturæ. — In hoc casu, nisi aliter defunctus manifestaverit suam voluntatem, præfertur sepulcrum familiare sepulcro hereditario, et, inter sepulcra familiaria, præfertur sepulcrum ascendentium paternorum [1].

4° Fieri etiam potest ut quis habeat ex una parte, v. g., ex parte ascendentium paternorum, duo sepulcra, unum in quo proximiores ascendentes (v. g., pater, avus, etc.), alterum in quo remotiores sepulti sint. — In hoc casu, *jure canonico*, præfertur sepulcrum in quo sepulti sint proximiores, licet solus pater ibi sit sepultus, modo tamen agatur de sepulcro quod pater sibi suisque constituerit. Si enim pater in aliquo sepulcro *ex accidenti* fuerit depositus (v. g., quia extra locum domicilii defunctus fuit), non habetur hoc sepulcrum ut sepulcrum majorum respectu filii [2].

5° Pueri etiam et infantes sepeliendi sunt in sepulcro majorum (in casu non electæ sepulturæ, juxta supradicta, n. **164,** 2°). — Licet enim *Rituale romanum,* tit. VI, c. VI, n. 1, exoptet ut ecclesiæ, pro corpusculis illis « speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant », attamen non hoc rigorose præcipitur, cum addatur in

[1] Cf. Petra, *In const. II Honorii III,* n. 25, t. II, p. 211; — Passerinum, *De hominum statibus,* etc., *loc. cit.,* n. 296 sq., p. 477.

[2] Cf. Passerinum, *loc. cit.;* — Schmalzg., in tit. *De sepulturis,* n. 28-30.

textu : « Quatenus commode fieri potest; » unde sæpius declaraverunt Romanæ Congregationes pueros et infantes sepeliendos esse in sepulcro majorum; sic Sacra Congr. Conc.[1], S. Congr. Episc. et Reg.[2], S. Rit. Congr.[3].

6° De filio illegitimo hæc dicenda : 1. Si sit simpliciter *naturalis*, id est, ex solutis ortus, sepeliendus est in sepulcro patris, saltem si hic filium agnoverit, aut notorie cognitus sit ut pater pueri; ita communiter doctores[4]; — 2. Si sit *incestuosus* aut *adulterinus*, non cum patre, sed cum matre sepeliendus est, nisi, ut communiter dicunt, hæc sit illustris; tum enim in cœmeterio parochiali sepeliendus esset[5].

7° De filio adoptivo hæc dicenda : 1. Sicubi vigeat jus romanum de adoptione, vi cujus adoptatus transit in familiam adoptantis, filius adoptivus sepeliendus est in sepulcro patris adoptivi (nisi moriatur post mortem patris adoptivi; per enim hujus mortem cessat adoptio[6]); — 2. Apud nos, cum filius adoptivus remaneat in propria naturali familia, sepeliendus est in tumulo majorum suorum naturalium[7].

Dixi supra, ad 1 : *Regula generalis*, etc., quia datur exceptio pro uxore, ut sequitur :

[1] Præsertim in *Reatina, Juris tumulandi*, 10 et 31 martii 1770; *Thesaurus*, t. XXXIX, p. 56, 71. Cf. etiam causam *Novarien.*, 15 martii 1704, relatam in *Thesauro*, t. IX, part. II, p. 120.

[2] V. g., in *Asculana*, quam refert Barbosa, *De officio parochi*, c. XXVI, n. 28, ed. Giraldi, p. 273.

[3] In una *Civitatis Castellanæ*, 12 dec. 1620; *Decreta authentica*, n. 383, t. I, p. 106.

[4] Schmalzg., *loc. cit.*, n. 31; — Marchetti, *Praxis vic. cap.*, t. XXXVIII, n. 167.

[5] Schmalzg., *loc. cit.*

[6] Schmalzg., *loc. cit.*; — Marchetti, *loc. cit.*, n. 170.

[7] Hac de re, cf. S. Congr. Conc., in *Ilcinen., Juris funerandi*, 24 feb. 1872 et 25 jan. 1873; *Thesaurus*, t. CXXXI, p. 162, et t. CXXXII, p. 215.

168. — Exceptio pro uxore. — *Uxor sepelienda est, non in sepulcro majorum suorum, sed in sepulcro mariti, et, si plures habuerit, in sepulcro ultimi mariti.* — Constat cap. *Is qui*, 3, De sepulturis, in VI, in quo dicitur : « Mulier autem quæ plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est *cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda.* » Quod Bonifacius statuit conformiter ad veterem usum, vi cujus « unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive *in morte* », ut dicitur in can. *Unaquæque*, 3, caus. XIII, q. II [1]. De quo hoc notanda :

1. Supponitur uxorem non elegisse sepulturam, ut patet expresse cap. *Is qui.*

2. Uxor jus habet ut sepeliatur in sepulcro mariti, *nisi fuerit ob adulterium separata et non reconciliata;* hoc enim sibi volunt hæc verba Bonifacii cit. : « cujus *domicilium* retinet et *honorem* [2]. »

3. Uxor jus idem servat, licet, post mariti mortem, hujus domicilium reliquerit et in domum paternam reversa fuerit; tunc enim retinet *honorem* mariti, licet non stricte domicilium.

4. Sepulcrum mariti, de quo hic agitur, est sepulcrum quod ipse maritus elegit *sibi suisque*, vel, hujus defectu, *sepulcrum majorum* mariti.

169. — Scholium. — Plures dicunt, sicut uxor sepelienda est in sepulcro mariti, ita et virum (qui moriatur non electa sepultura) sepeliendum esse in sepulcro uxoris, quia nempe *vir* et *uxor* sunt termini correlativi [3]. — Verum

[1] Et in can. *Ebron*, 2, caus. XIII, q. II; a quibus canonibus referendis abstineo, quia sunt apocryphi; ostendunt tamen sui temporis consuetudinem.

[2] Cf. Marchetti, *loc. cit.*, n. 177, p. 247.

[3] Ita Reiffenstuel, in tit. *De sepult.*, n. 24 sq.; — Ferraris, v° *Sepul-*

hæc ratio non sufficit; cum enim agatur de dispositione juribus parochi præjudicante, restringenda est ad uxorem [1].

§ 3. De sepultura parochiali.

170. — Regula generalis. — *Quoties aliquis moritur absque electione sepulturæ et sepulcro majorum, sepeliendus est in cœmeterio parochiali.* — Clarissime constat cap. *Is qui*, 3, De sepulturis, in VI : « Is qui, habens domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictæ villæ, sed *in sua parochiali... sepeliri debebit*, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. » Confirmatur aliis textibus supra allegatis (n. **162**). De quo hæc notanda :

1. Hæc prærogativa ecclesiæ parochialis constituit unum ex *juribus parochialibus;* cum autem hoc jus sit *scriptum in lege*, et alia, nempe electio sepulturæ et existentia sepulcri majorum, non sint nisi *facta*, prævalet *jus* parochi et ecclesiæ parochialis, *donec probentur facta;* igitur qui opponit juri parochi sepulturam fuisse electam, etc., suscipit partes actoris, et factum allegatum idoneis probationibus demonstrare debet.

2. *Ratio* hujus juris parochi etiam indicata est in lege; ut enim ait Bonifacius VIII in cap. *Cum quis*, 2, De sepulturis, in VI, sepultura, aut saltem canonica portio (de qua infra) debetur « illi ecclesiæ, in qua ille (defunctus)

tura, n. 82-83; — d'Annibale, *loc. cit.*, n. 113, not. 19, ed. 3ª, p. 101.

[1] Ita Schmalzg., *loc. cit.*, n. 34; — Giraldi, *Expositio*, etc., sect. CDLXXXVIII, p. 319, vel apud Barbosa, *De officio parochi*, c. XXVI, n. 29; — Passerinus, *loc. cit.*, n. 341, p. 489; — Marchetti, n. 189; — Moulart, *De sepultura*, p. 175.

officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta ». Cum enim sepultura sit quidam ritus sacer aut quoddam sacramentale, justum est ut ille ministret post mortem sacramentale, qui per vitam ministravit sacramenta, et si quod emolumentum ex funere proveniat, æquum est ut ab eo percipiatur qui viventem parochianum onus habuit reficiendi verbo Dei et sacramentis, ut dicitur etiam in cap. *Nos instituta*, 1, De sepulturis, et in cap. *Dudum*, 2, eod. tit., Clem.

3. Inde omnino sequitur, si filius *pubes* mortuus fuerit sine electione sepulturæ et sepulcro majorum, patrem non posse pro ipso eligere sepulturam; quod si fecerit, irritum esse. Et ita declaravit S. Congr. Conc., in *Ariminen.*, 14 maii et 9 julii 1825[1]. Sic etiam S. C. Ep. et Reg., 6 maii 1870, ad 2[2].

171. — Exceptio regulæ. — Datur exceptio regulæ prædictæ de mortuo sepeliendo in cœmeterio parochiali, *quando non potest absque periculo ad illud cœmeterium deportari*, ut expresse decernit Bonifacius VIII in cit. cap. *Is qui*. — Quandonam autem adsit illud *periculum*, jus non definit; unde enatæ sunt duæ opiniones: alii dicunt esse periculum, quando, ad corpus deportandum ad sepulturam, requiritur *iter unius diei*[3]; alii judicium remittunt arbitrio prudentis viri, et præsertim familiæ defuncti, cui onus incumbit deferendi corpus; quæ opinio, sicut communior, ita et probabilior est, cum incommoda, pericula et difficultates translationis corporis ex plurimis loci, temporis, viarum, etc., adjunctis pendeant[4]; et hæc est con-

[1] *Thesaurus S. C. C.*, t. LXXXV, p. 114 sq., 143.

[2] *Acta S. Sedis*, t. V, p. 562-570.

[3] Ita plures apud Petra, *In const. IX Innocentii III*, n. 31, t. II, p. 145; — quid sit autem una diæta seu iter unius diei, cf. supra, n. **42**, 1°.

[4] Ita Petra, *ibid.*; — Giraldi, *Expositio*, etc., sect. CDLXXXXV, p. 324.

suetudo in Gallia. Ceterum hodie rationem habendam esse majoris facilitatis itinerum, præsertim ob vias ferreas, deducitur ex resolutione S. Congr. Conc., in *Veliterna. Funeris emolumentorum*, 21 aug. 1869, 28 maii 1870 et 13 sept. 1873[1]. — Insuper, quandonam adsit, vel non, istud periculum, lege lata definire potest episcopus, ut fecit Benedictus XIV, cum erat archiepiscopus Bononiensis. *Inst.*, CV, n. 42-46.

172. — Applicatio regulæ. — Ad recte applicandam præfatam regulam, distinguendæ sunt variæ species parochianorum.

1° *De domiciliatis :*

a. Qui habent domicilium in parochia, ibique decedunt, ibi sepeliendi sunt. Et hoc, sive agatur de domicilio vero, sive de domicilio *legali*. — De quo non potest esse, nec est difficultas.

b. Qui habet domicilium in duabus parochiis, in ea sepeliendus est, ubi moritur. — Ita communiter doctores[2]. Licet enim parochiani, habentes duo domicilia, possint generaliter pro sacramentis, v. g., pro matrimonio, recurrere pro libitu ad alterutrum, attamen *factum* mortis in una parochia et ultimorum sacramentorum ibi receptorum inducere videtur, in favorem parochi hujus parochiæ, jus prædominans. Ceterum, lege lata, rem definire potest episcopus, ad lites vitandas. — Juxta quosdam, jus sepeliendi pertinet ad parochiam, in qua solebat defunctus recipere sacramenta et audire divina officia, et, si id factum sit in utraque, ad illam *quæ prævenit*[3] : huic solutioni favere

[1] *Thesaurus*, t. CXXVIII, p. 533; t. CXXIX, p. 162; t. CXXXII, p. 721.

[2] Ferraris, v° *Sepultura*, n. 25; — Marchetti, n. 66; — d'Annibale, *Summula*, t. I, n. 113, not. 12; — Moulart, p. 191.

[3] Pirhing, in tit. *De sepult.*, n. 5; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 40.

videtur cap. *Cum quis*, 2, De sepulturis, in VI, quod supponit perfectam æqualitatem inter ambo domicilia.

c. Qui moritur extra parochiam, in qua domicilium habet, v. g., in itinere, peregrinatione, etc., transferendus est (si *absque periculo* fieri possit) ad propriam parochiam. — Ita clare ex cit. cap. *Is qui*. — Quod si duplex domicilium habeat, *ad alterutrum pro libitu* transferri potest, ut concludi posse videtur ex præfato cap. *Cum quis*, 2, De sepult., ubi, in casu quo quis habens duo domicilia eligit sepulturam in tertio loco, Bonifacius VIII decernit canonicam portionem dividendam esse inter ambas parochias.

2° *De quasi-domiciliatis :*

a. Qui habet quasi-domicilium in parochia (nullibi habens *domicilium*), ibique decedit, ibi sepeliendus est. — Parochus enim loci est vere parochus hujus defuncti proprius. — Unde etiam, si moriatur extra locum quasi-domicilii, v. g., in itinere, peregrinatione, etc., transferendus est (si *absque periculo* fieri possit) ad locum quasi-domicilii, ut dictum est de domicilio.

b. Qui habet quasi-domicilium in parochia, et in alia parochia *domicilium* (verum aut legale), et moritur in loco quasi-domicilii, ibi etiam sepeliendus est, licet facile possit ad domicilium deferri. — Ratio est quia parochus quasi-domicilii est *vere et proprie parochus*, et proinde idem hic recurrit dicendum, quod supra dictum est de eo qui duplex habet domicilium [1]. — Nisi tamen aliter ferant consuetudo, aut statuta diœcesis [2].

3° *De peregrinis :*

a. Qui moritur in loco ubi ut peregrinus commorabatur,

[1] Ita communissime doctores, Reiff., n. 28; — Pirhing, n. 7; — Schmalzg., n. 39; — Moulart, p. 191; — d'Annibale, n. 113, not. 13; — *Monitore ecclesiastico*, t. IX, part. I, p. 120; t. XIII, p. 376.

[2] Cf. quæ decrevit Benedictus XIV, cum erat archiepiscopus Bononiensis, *Inst.*, XXXIII, n. 16.

et potest absque periculo transferri ad propriam ecclesiam parochialem, eo transferri debet, ut dictum est.

b. Qui moritur in loco, *in quo ad quoddam tempus peregrinabatur,* nec transferri potest ad propriam ecclesiam parochialem, in ecclesia præfati loci sepeliendus est. — Ita fere omnes, præcipue propter tria : 1. Quia id concluditur, a sensu contrario, ex cit. cap. *Is qui* (n. **170**), in quo Bonifacius VIII decernit peregrinum sepeliri debere, *non in ecclesia loci peregrinationis*, sed in sua parochiali, *dummodo ad hanc possit deferri;* ergo, a sensu contrario, si ad hanc deferri nequeat, in ecclesia loci peregrinationis sepeliendus est; — 2. Quia, licet parochus loci peregrinationis non sit stricte parochus peregrini, attamen aliquatenus participat jura et dignitatem parochi proprii, sicut participat ejus onera; — 3. Quia huic opinioni favent plures decisiones S. Congr. Concilii, v. g., recentius, in *Urbevetana*, 11 aug. 1894, in qua jus funerum attribuit, non ecclesiæ cathedrali, quæ illud sibi vindicabat, sed ecclesiæ parochiali in qua mulier defuncta ad quoddam tempus commorata fuerat[1]. Et ita observatur in nostris regionibus, Gallia, Belgio, etc.[2].

c. Qui moritur in loco per quem *mere transibat,* nec potest transferri ad propriam ecclesiam parochialem, ubinam sepeliendus sit, controvertitur. — Alii dicunt in *ecclesia cathedrali loci*, quando agitur de civitate episcopali; innituntur decisione S. Congr. Ep. et Reg., in *Fulginaten.*, 3 julii 1592, in qua dicitur, *etiam absente consuetudine, pertranseuntes in ecclesia cathedrali esse sepeliendos*[3]. —

[1] *Acta S. Sedis,* t. XXVII, p. 220; vel in *Thesauro,* t. CLIII, p. 971.

[2] Ita Pirhing, n. 8; — Reiff., n. 26; — Schmalzg., n. 41; — Marchetti, n. 61; — Moulart, p. 193; — Petra, *In const. IX Innocentii III,* n. 50; — Ferraris, v° *Sepultura,* n. 22; — Berardi, *De parocho,* n. 812, Faventiæ, 1890, p. 264.

[3] Apud Ferraris, *loc. cit.*

Alii autem dicunt etiam mere transeuntem sepeliendum esse *in ecclesia parochiali,* in cujus territorio moritur, propter duo priora supra adducta argumenta quæ æque vim habent pro *transeunte.* Et ita communius, ut videtur, doctores[1], qui tamen rem controversam agnoscunt. — Ceterum, juxta omnes, ubi adest consuetudo, favore sive ecclesiæ cathedralis, sive parochiæ, servanda est; in Gallia et in Belgio, consuetudo plerumque favet parochiæ.

4° *De vagis.* — Cum vagi nullam habeant parochiam, nisi illam in qua sunt actu, sepeliuntur ubi moriuntur.

5° *De infirmis in hospitalibus :*

a. Stricto *jure communi,* et proinde *seclusa qualibet exemptione,* infirmi qui moriuntur in hospitali subjiciuntur legibus communibus supra expositis, et proinde vel acquirunt ibi quasi-domicilium (quod rarissimum est ob defectum intentionis, et non evenit nisi forsan pro languentibus morbo chronico), vel non; si prius, sepeliuntur a parocho loci in quo situm est hospitale; si posterius, et possint commode deferri ad propriam ecclesiam parochialem, ibi sepeliri debent; si non possint commode deferri, sepeliuntur a parocho loci, ut supra. — Et in hoc sensu pluries responsum est a S. Congr. Conc., v. g., in *Bononien.,* 13 feb. 1694, in qua, cum hac de re controversiæ excitatæ fuissent inter capellanum hospitalis et parochos civitatis, responsum est jus funerandi *spectare privative ad proprium parochum domicilii dictorum defunctorum*[2]; — iterum in *Bononien., Juris ducendi funus,* 24 jan. 1857, in qua decisum est, *non ad capellanum, sed ad parochum*

[1] Pirhing, Reiff., Schmalzg., Moulart, Berardi, *loc. cit.;* — Leurenius, *Forum beneficiale,* q. CDLII, n. 1. Contra : Petra, Ferraris et Marchetti, *loc. cit.;* — Barbosa, *De officio parochi,* c. XXVI, n. 35, ed. Giraldi, p. 276; — Pignatelli, *Consultationes,* Col. Allob., 1718, t. I, cons. CXLV, p. 209.

[2] Quod responsum legitur in *Thesauro S. C. C.,* t. CXL, p. 397.

spectare jus sepeliendi decedentes in nosocomio [1]; — rursus in *Bononien.*, 14 maii 1881; cum enim disputaretur de quonam parocho intelligi deberet resolutio an. 1857, ad quæsitum : « *An et cui competat jus funerandi in casu,* » responsum fuit : « *Affirmative, parochis domicilii defunctorum,* et amplius [2]. »

b. Si vero hospitale sit *exemptum* (auctoritate pontificali aut episcopali, vel consuetudine), videndum est num exemptio extensa sit etiam ad funera : quæ cum sit *quæstio facti,* spectanda sunt documenta vel consuetudo. — In Gallia et pluribus aliis regionibus, solent hospitalia hac in re plene eximi a jurisdictione parochorum, ita ut solius sit capellani jus funerandi [3]. — Quod si defuncti alibi elegerint sepulturam vel habeant sepulcrum majorum, capellani est levare corpus, aliaque peragere, usque ad ecclesiam tumulantem, more parochorum.

[1] *Thesaurus,* t. CXVI, p. 72-73.

[2] *Ibid.,* t. CXL, p. 391-399. — Cf. etiam *Acta S. Sedis,* t. XIV, p. 346-353.

[3] Cf. Leurenium, *loc. cit.,* q. CDLII, n. 6; — Bouix, *De parocho,* ed. 1867, p. 650 sq.; — Craisson, *De la sépulture,* n. 87, Valence, 1868, p. 39; — Berardi, *loc. cit.,* n. 821, p. 271.

CAPUT V

DE JURE SPECIALI QUOAD PLURES ORDINES CLERICORUM ET QUOAD RELIGIOSOS

§ 1. De jure speciali quoad plures ordines clericorum.

173. — Romanus pontifex. — Si moriatur in Urbe, non electa sepultura, sepelitur in basilica Vaticana; si extra Urbem, nec ad illam possit deferri, sepelitur in ecclesia principaliori loci[1].

174. — Episcopi. — Si moriatur episcopus non electa sepultura, sepeliri debet in sua ecclesia cathedrali, quæ est ejus sponsa; ita universalis consuetudo et fere jus scriptum, ob præscripta *Cæremonialis episcoporum*, quod, lib. II, c. XXXVIII, omnino supponit fieri funus in ecclesia cathedrali[2]; unde etiam præfertur ecclesia cathedralis sepulcro majorum. — Si moriatur episcopus extra civita-

[1] Cf. Petra, *In const. II Honorii III,* n. 27, t. II, p. 211; — Moroni, *Chapelles papales,* part. II, c. IV, trad. Manavit, Paris, 1846, p. 137-142.

[2] Nec debetur *quarta funeralis* rectori parochiæ, intra cujus fines decessit episcopus, quia nempe episcopus nulli parocho est subjectus. Cf. Marchetti, *loc. cit.,* tit. XXXVIII, n. 69 sq.

tem episcopalem, aut etiam extra diœcesim, deferri debet, si possit, ad suam cathedralem; si non possit, debet sepeliri in ecclesia digniori loci, et proinde in cathedrali, si adsit; ratio est eminentia dignitatis episcopalis. In hoc tamen ultimo casu, quo nempe debeat sepeliri in ecclesia digniori loci, excipiunt aliqui casum quo episcopus haberet sepulcrum majorum [1].

175. — Episcopi titulares. — Juxta probabiliorem sententiam, hi sepeliendi sunt (nisi habeant sepulturam electam aut gentilitiam), non in ecclesia digniori (aut cathedrali) loci, in quo decedunt, sed in ipsamet eorum parochia, sicut alii fideles. Sic Andreucci [2], qui testatur hunc Romæ vigere usum; ita etiam rem solvere visa est S. Congr. Conc., in *Portuen.*, 23 junii 1832 [3]. — Aliter tamen dicendum, si sint *Nuntii* aut *Legati*; tunc enim, propter excellentiam dignitatis, sepeliendi sunt in ecclesia digniori loci [4].

176. — Cardinales. — Si habeant sedem episcopalem in qua residere debeant, de eis dicendum est, sicut de episcopis diœcesanis. — Si non habeant diœcesim, et Romæ residere debeant, sepeliendi sunt, non in parochia Urbis in qua domicilium habeant, sed in ecclesia proprii tituli; in hac enim sunt quasi Ordinarii [5]. — Si moriantur extra

[1] Ita Samuel apud Marchetti, n. 96.

[2] *De episcopo titulari*, n. 264; in ejus *Hierarchia*, lib. I, tract. I, Romæ, 1766, t. I, p. 90.

[3] *Thesaurus*, t. XCII, p. 244-253.

[4] Marchetti, *loc. cit.*, n. 100.

[5] Ita cavetur etiam in *Statuto* Cleri Romani (nisi cardinales alibi electam aut gentilitiam sepulturam habeant), sed cum obligatione solvendi *quartam* (quæ, Romæ, est *dimidia pars* emolumentorum) parochiæ cardinalis defuncti. — De quibus cf. *votum* Santi apud *Acta S. Sedis*, t. XV, p. 553-558, et S. Congr. Conc., in *Romana, Funeris emolumentorum*, 18 martii 1893; *Thesaurus*, t. CLII, p. 233.

Urbem, sepeliendi sunt in ecclesia digniori loci, ut dictum est de episcopis. — In omni tamen casu, præfertur sepultura electa, et etiam gentilitia[1].

177. — Canonici ecclesiæ cathedralis. — *De jure communi*, hæc statuenda sunt de canonicis ecclesiæ cathedralis :

1° *Si elegerint sibi sepulturam*, in loco electo sepeliendi sunt. — Quod patet ex sæpe dictis.

2° Si, in ecclesia cathedrali aut ejus cœmeterio, *adsit locus sepulturæ distinctus pro canonicis*[2], hæc sepultura præfertur sepulturæ parochiali. — Ratio est *præsumpta electio* canonici defuncti; sicut enim sepulcrum majorum præfertur sepulturæ parochiali, ob præsumptam voluntatem defuncti, quia nempe quis magis velle præsumitur quiescere cum suis quam cum extraneis, ita, quando adest, in cathedrali, locus sepulturæ distinctus pro collegio canonicorum, hæc sepultura præfertur parochiali, quia canonici magis velle præsumuntur, sicut in vita, ita et post mortem, esse cum fratribus. Et ita pluries resolvit S. Congr. Conc., v. g., in *Derthonen.*, 3 dec. 1718, ad 16[3]; — in una *S. Miniati*, 15 sept. et 24 nov. 1821, ad 2[4], etc., ita ut ejus certa sit jurisprudentia. — Idem dixerim pro temporibus hodiernis, si, in cœmeterio publico, capitulum emerit pro suis membris locum specialem sepulturæ; ratio enim prorsus eadem est. — Quod autem in loco sepulturæ canonicorum sepeliantur etiam alii clerici cathedrali ecclesiæ addicti, jus non mutatur.

[1] Cf. Petra, *In const. II Honorii III*, n. 30-32, p. 211.

[2] Hic locus sepulturæ distinctus pro canonicis multum differt ab illis sepulcris clericorum, quæ Rituale romanum (tit. VI, c. I, n. 10) *optat esse separata a sepulcris laicorum.*

[3] *Thesaurus*, t. I, p. 132, 399.

[4] *Ibid.*, t. LXXXI, p. 308, 315.

3° Si *adsit distinctus locus sepulturæ pro canonicis*, et ex altera parte *canonicus defunctus habeat sepulcrum majorum*, difficultas major est. — Attamen, juxta plura responsa S. Congr. Conc., etiam in hoc casu præfertur sepulcrum canonicorum sepulcro majorum. Ratio est quia hic agitur de *electione præsumpta:* porro quis magis præsumitur velle quiescere cum fratribus spiritualibus, quam cum cognatis carnalibus[1]. Et in hoc sensu resolvit S. Congr. Conc., in *Tiburtina*, 12 mai 1685, ad 2[2]. Unde hæc est communis opinio doctorum[3].

4° Si vero nullum ex his tribus adsit, canonicus sepeliendus est, non in ecclesia cathedrali, sed *in propria ecclesia parochiali, quæcumque est, sive cathedralis, sive alia in eadem civitate.* — Ratio est tum quia sepultura parochialis, si non sit electa sepultura aut gentilitia, est omnino de jure communi, ut constat juribus supra (n. **162,170**) relatis; — tum quia, ex cap. *Dudum*, 2, De sepulturis, § *Hujusmodi*, Clement., funus defunctorum est functio parochialis, pertinens nempe ad parochum, non vero ad præsidem capituli; — tum quia juxta hæc principia pluries in hoc sensu resolvit controversias S. Congr. Concilii[4], præsertim in his tribus : 1. In cit. *Derthonen.*, 3 dec. 1718, ad 16[5], in qua decidit canonicos sepeliendos esse, non in parochia, sed in ecclesia collegiali, *modo ibi adsit sepulcrum canonicorum:* ergo, si non adsit, sepeliendi sunt in parochia; — 2. In una *S. Miniati*, 15 sept. et 24 nov. 1821, ad 2[6], in qua decidit

[1] Ut evolvitur in *folio* causæ *Viterbien.*, 10 maii 1766; *Thesaurus*, t. xxxv, p. 102.

[2] Quam legas in extenso apud Ferraris, v° *Canonicus*, art. 8, n. 14.

[3] Ferraris, v° *Canonicus*, art. 8, n. 11-13; — Marchetti, *loc. cit.*, n. 46; — Petra, *loc. cit.*, n. 39; — Moulart, p. 196.

[4] Licet aliquando dubia hæserit, nempe in cit. *Tiburtina*, 12 maii 1685, ad 2.

[5] *Thesaurus*, t. I, p. 132, 399.

[6] *Ibid.*, t. lxxxi, p. 308, 315.

parochum cathedralis non posse sepelire canonicos, nisi quando habent in cathedrali sepulturam electam, vel communem, vel gentilitiam; ergo, si non habent sepeliendi sunt in parochia: — 3. In *Januen.*, 16 junii 1827, in qua, orta controversia inter capitulum collegiale coratum et parochum alterius parochiæ, de jure sepeliendi canonicum in hac aliena parochia defunctum, qui sepulturam electam aut gentilitiam non habebat in collegiali, respondit canonicum non esse sepeliendum in collegiali[1]. — Unde controversia hodie communiter habetur uti definita in sensu nostræ propositionis, *spectato jure communi*[2].

Dixi : *De jure communi*; quia vi legitimæ consuetudinis aut potius præscriptionis, aliter se res habere potest; sic, in Gallia, saltem in pluribus dioecesibus, capitulum (per decanum, hebdomadarium aut alium canonicum) funera celebrat, in ecclesia cathedrali, canonicorum *titularium*, et aliquibi etiam *honorariorum*, in quavis parochia civitatis defuncti fuerint. In sensu hujus consuetudinis controversia soluta est a S. Congr. Conc., in cit. *Divionen.*, 8 julii 1865 et 16 feb. 1867[3]. — In *Auxitana*, 9 julii 1881, ad 2, vi similis consuetudinis, declaratum est jus peragendi funera canonicorum *intra fines parochiæ ecclesiæ metropolitanæ decedentium* non agitur in responsione de canonicis decedentibus in aliis parochiis pertinere, non ad parochum metropolitanæ, sed ad hebdomadarium[4]. — Sedulo notandum est hujusmodi consuetudines, cum mitto sint *præscriptioni*, debere muniri conditionibus præscriptionis, nempe, inter alias, ut sint quadraginta annorum cum titulo, vel immemorabiles, etc.

[1] *Thesaurus*, t. LXXXVII, p. 112, 119.

[2] Vide hoc etiam affirmatum in *folio* causæ *Divionen.*, 8 julii 1865: *Thesaurus*, t. CXXIV, p. 275, § *Quoad alterum*.

[3] *Thesaurus*, t. CXXIV, p. 272; t. CXXVI, p. 72.

[4] *Ibid.*, t. CXL, p. 507.

178. — Canonici ecclesiæ collegiatæ. — Eodem prorsus modo dicendum est de his ac de canonicis ecclesiæ cathedralis, sub respectu sive juris communis, sive consuetudinis. Et vero jura et responsa S. Congr. non distinguunt inter hos et illos.

179. — Presbyteri, aliique clerici. — Distinguendum omnino est :

1° Si habeant in ecclesia determinata, v. g., cathedrali, collegiali, parochiali, etc., verum et proprie dictum *beneficium* (ideoque perpetuum), *residentiam exigens*, de eis idem dicendum est quod supra de canonicis, quoad omnia ibi deducta. Ratio est tum quia identica est ratio, tum quia, sub respectu sepulturæ, Sacræ Romanæ Congregationes in eodem gradu ponunt canonicos, et capellanos aliosque inservientes capitulis[1], a quibus non differunt *beneficiati* in aliis ecclesiis. — Unde, quidquid dicunt multi auctores[2], si beneficiatus habitet in parochia diversa a parochia beneficii sui, et in hac non sit locus distinctus sepulturæ pro beneficiatis, sepeliendus est, non in parochia beneficii, sed in parochia domicilii (nisi habeat, ut patet, sepulcrum majorum). Constat ex dictis supra de canonicis[3].

2° Si autem agatur de presbyteris (aut clericis), qui non habeant beneficium, aut non nisi manuale, in tali ecclesia, licet ei aliquatenus inserviant, viget pro eis jus commune, ita ut sepeliri debeant in sepulcro majorum, vel, si non habeant, in propria parochia. — Ratio est quia prævalere debet jus commune, nisi certa sit exceptio ; porro hic nullus textus est, nulla auctoritas quæ demonstret eos sepeliendos

[1] Videas cit. causas *Derthonen.*, ad 16; *Thesaurus*, t. I, p. 399; — *S. Miniati; ibid.*, t. LXXXI, p. 308, 315, etc.

[2] V. g., Schmalzg., in tit. *De sepulturis*, n. 46-48.

[3] Videas *folium* causæ *Divionen.*, 8 julii 1865, § *Quoad alterum; Thesaurus*, t. CXXIV, p. 275.

esse in illa ecclesia, cui aliquatenus inserviunt; ergo sepeliendi sunt in sepulcro majorum, vel in propria parochia. Et ita resolvit S. Congr. Conc., tum in *Viterbien.*, 10 et 31 maii 1766, in qua, post maturam et doctissimam deliberationem, controversiam in hoc sensu diremit[1]; — tum in *Callien.*, 9 et 30 aug. 1817, ubi, juxta eadem principia, eamdem solutionem dedit[2].

3° Hinc *parochus* sepeliri debet in propria parochia, in qua beneficium perpetuum habet, et in qua residere debet; ceterum idem dicendum de parocho quod de canonicis; id extendi debet ad parochos amovibiles, *quales sunt in Gallia;* assimilantur enim parochis proprie dictis. — Quoad *vicarios*, quales apud nos intelliguntur, si domicilium habeant in eadem parochia, in qua sunt vicarii, nulla difficultas; si in alia, *de rigore juris* sepeliri debent in parochia domicilii; verum standum consuetudinibus legitimis.

§ 2. De jure speciali quoad religiosos.

180. — Regulares professi.

1° *Regulares professi nequeunt eligere sepulturam.* — Constat cap. *Religiosi*, 5, De sepulturis, in VI : « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, *nequeunt, cum velle vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.* » Quod caput est Bonifacii VIII.

2° *Nec etiam superiores Regularium possunt eligere sepulturam.* — Plures quidem dicunt superiores quoslibet,

[1] *Thesaurus*, t. xxxv, p. 97, 108; vide *ibid.*, p. 103, magistralem Rotæ decisionem, in eodem sensu.

[2] *Ibid.*, t. lxxvii, p. 241, 269.

etiam locales, posse eligere sepulturam, quia nempe pro iis non valet ratio a Bonifacio allata; hi enim habent *velle et nolle*, saltem in multis[1]; quod tamen alii restringunt ad superiores generales, non habentes super se alium superiorem (nisi papam); hi enim soli *velle et nolle* habent, cum superiores locales a prælatis provincialibus et generalibus pendeant vi voti obedientiæ[2].

Verum, sine ulla distinctione dicendum est superiores Regularium non posse eligere sepulturam, tum quia tandem aliquando *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, et prælati Regularium, quicumque sunt, sunt vere Regulares; — tum quia, juxta omnes, ex cap. *De uxore*, 7, De sepulturis, et ipsa rerum natura, electio sepulturæ est *pars ultimæ voluntatis;* porro nullus Regularis testari potest sine licentia papæ[3].

Nec valet difficultas ab adversariis allata, quod nempe superiores Regularium habeant *velle et nolle*, et proinde deficiat ratio legis. — Nam : 1. Ratio legis non est lex; 2. Superiores habent quidem in manu velle et nolle *subditorum*, non vero velle et nolle *proprium;* hoc enim velle et nolle proprium, ob votum obedientiæ, pendet a superioribus majoribus, et, pro superiore generali, pendet a papa, cui subjicitur etiam vi voti obedientiæ; — 3. De facto, ex usu universali, ut aiunt omnes, superiores nunquam eligunt sepulturam.

3° *Regulares nequeunt eligere sepulturam, etiam cum licentia superiorum*[4]. — Ratio est, tum quia *jure com-*

[1] Ita Schmalzg., in tit. *De sepulturis*, n. 14; — Maschat, in eumd. tit., n. 2, aliique.

[2] Ita Petra, *In const. IX Innocentii III*, n. 28-29, t. II, p. 114; — Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 42; aliique ab ipsis allegati.

[3] Ita Passerinus, *De hominum statibus*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 231-232, Romæ, 1663, t. II, p. 458; — Ferraris, v° *Sepultura*, n. 98; — Moulart, p. 157.

[4] Quidquid dicit Petra, *loc. cit.*, n. 17-26.

muni (cit. cap. *Religiosi*) prohibentur Regulares eligere sepulturam, et debent tumulari in suis monasteriis; porro superiores Regularium nequeunt dispensare in jure communi; — tum quia a prohibitione electionis non excipitur nisi unus casus, nempe quando remotum est monasterium; porro, juxta adagium, *inclusio unius est exclusio alterius;* — tum quia Regulares non possunt testari nisi cum licentia papæ; — tum quia, si ipsi superiores, ut dictum est, non possunt sibi eligere sepulturam, difficile videtur eos posse licentiam aliis concedere sepulturam eligendi.

4° *Probabiliter a prohibitione excipiuntur Regulares ejecti*, quia, ob necessitatem condicionis suæ, in pluribus *velle et nolle* habent. Nec dicatur eos ex malitia sua commodum percipere; nam, licet libertas eligendi sepulturam sit in se bona, attamen, quod arceantur mortui a sepultura fratrum, est potius pœna. Ita Petra, cui subscribit Giraldi[1].

5° *Si Regularis moriatur non longe a suo monasterio, ita ut ad illud commode portari queat, ad illud defertur, et in illo tumulatur*, juxta fratres suos. — Constat cit. cap. *Religiosi*. De quo notanda tria :

a. In hoc casu, corpus Regularis deferri potest e loco ubi mortuus est ad suum monasterium, *etiam inconsulto parocho*. Sic enim respondit S. Congr. Conc., in *Bononien.*, 2 julii 1620, ad 10[2]. Modo tamen deferatur *sine processione et cruce;* aliter enim, saltem de consuetudine, requirendus esset parochus[3].

b. Similiter *quarta funeralis* non debetur parocho loci, ubi Regularis mortuus est, licet ultima sacramenta ministraverit moribundo. — Ratio est quia superior monasterii,

[1] Petra, *loc. cit.*, n. 37; — Giraldi, *Expositio*, etc., sect. CDXCV, p. 324.

[2] Quæ responsio refertur *in extenso* apud Passerinum, *loc. cit.*, n. 214; — Ferraris, v° *Sepultura*, n. 36; — Petra, *loc. cit.*, n. 7.

[3] Videas eosdem auctores.

relative ad omnes religiosos, est quasi parochus proprius; porro parochus proprius nunquam dat quartam funeralem.

c. Si Regularis moriatur longe quidem a *suo* proprio monasterio, non longe vero ab alio monasterio *sui ordinis*, idem dicendum; ambo enim casus communi interpretatione assimilantur[1], saltem hodie[2].

6° *Si Regularis moriatur longe a suo monasterio, ita ut ad illud commode nequeat deferri*[3], *tunc eligere potest sepulturam.* — Constat cit. cap. *Religiosi.* — Unde si elegerit sepulturam, in loco electo sepeliendus est; si non elegerit (et non habeat sepulcrum majorum, ad quod commode deferri possit), sepeliendus est in parochia, in qua defunctus est, et quidem, ut patet, expensis proprii monasterii.

181. — Professi votorum triennalium in Ordinibus Regularibus.

1° Possunt eligere sepulturam; valde enim controvertitur, etiam in Congregatione Super statu Regularium[4], utrum sint *Regulares* proprie dicti; unde tales habendi non sunt, saltem in odiosis. Nec ista electio annullatur per professionem solemnem; sicut enim testamentum a Regulari factum ante suam professionem, validum est, nec irritatur vi professionis[5], ita nec electio sepulturæ (quæ est pars ultimæ voluntatis), facta ante professionem, irritatur per professionem.

2° Si non elegerint sepulturam, sepeliuntur in cœmete-

[1] Cf. Passerinum, *loc. cit.*, n. 233-237; — Petra, *loc. cit.*, n. 32-34.

[2] Nam tempore Glossæ (in cap. *Religiosi*, 5, De sepulturis, in VI, p. 538), communis erat opinio doctorum, quam *certam* ait Glossa, tunc debere sepeliri religiosum in ecclesia parochiali.

[3] Hæc verba exponuntur sicut supra, n. **171.**

[4] Cf. Bizzarri, *Collectanea S. Congreg. Ep. et Reg.*, Romæ, 1883, p. 745.

[5] Cf. Reiffenstuel, in tit. *De testamentis*, n. 364.

rio religiosorum, sicut ipsi Regulares, non vero in sepulcro majorum; sepulcrum enim familiæ spiritualis multo illis gratius esse præsumitur sepulcro familiæ carnalis.

182. — Novitii.

1° Possunt novitii eligere sepulturam, ut per se patet.

2° Si non elegerint, sepeliuntur in cœmeterio Regularium, sine ullo parochorum interventu; ratio est quia, in favorabilibus, veniunt nomine religiosorum. — Et hoc, ita ut relinquatur etiam sepulcrum majorum, ut supponunt communiter doctores [1].

183. — Famuli Regularium. — *Famuli* etiam participant privilegia Regularium, ita ut possint ab eis recipere ultima sacramenta, et sepulturam in cœmeterio regulari, sine ullo parochorum interventu, et sine quarta, sed modo adimpleant condiciones requisitas a conc. Trid., cap. *Quoniam*, 11, sess. XXIV, De reformatione : « Qui prædictis locis (monasteriis) *actu serviunt, et infra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt,* » ita ut sint vere *de illorum monasteriorum familia*, ut ait etiam conc. Trid., cap. *In monasteriis*, 11, sess. XXV, De regularibus.

184. — Pueri aut juvenes in collegiis Regularium educationis causa degentes. — De his hæc dicenda :

1° *De jure communi*, nullo modo participant privilegium exemptionis, ita ut, non in cœmeterio Regularium, sed in parochia, in qua situm est collegium, sepelri debeant. — Constat ex conc. Trid., quod cit. cap. *Quoniam*, enumerat

[1] Cf. Passerinum, *loc. cit.*, n. 216-218; — Petra, *loc. cit.*, n. 38-39.

eos qui aliquo titulo degunt in monasteriis : « Nec non alios, cuicumque monasterio oblatos, vel *quomodocumque addictos*, aut, sub nomine servientium; monasteriis, hospitalibus, collegiis, aut quocumque alio titulo..., » et declarat eos omnes subjici Ordinariis, « exceptis tamen iis, qui prædictis locis *actu serviunt*, etc... » ut supra. Ergo cum alumni, de quibus agitur, comprehendantur in verbis illis generalibus, « *quomodocumque* monasteriis *addictos*..., » nullo autem modo in exceptione, « exceptis iis qui *actu serviunt*..., » sequitur eos non participare privilegium exemptionis, et prorsus subjici juri communi.

2° Vi autem *privilegii specialis*, concessi vel a Sancta Sede, vel etiam ab episcopo, nulli dubium esse potest quin hi alumni possint recipere sepulturam in cœmeterio regulari; sed oportet ut constet de hoc privilegio.

185. — Peregrini aut hospites. — Agitur de iis qui, alibi habentes suum domicilium aut quasi-domicilium, hospitio recipiuntur in monasterio, ibique moriuntur; parvi autem refert quod sint laici, vel clerici, vel religiosi alterius ordinis. Qui si deferri possint ad propriam parochialem ecclesiam, nulla est difficultas. Quæritur autem, si non possint illuc deferri, ubinam sepeliendi sint, utrum in monasterio, an in ecclesia parochiali loci; supponitur illos sepulturam non elegisse.

Porro, quidquid dicunt aliqui[1], *tenendum est illos sepeliri debere in ecclesia parochiali loci.* Constat :

1° *Clara intentione juris communis;* non est quidem textus qui hoc certo statuat[2]; sed manifesta est intentio

[1] Apud Schmalzg., in tit. *De sepulturis*, n. 42; — vel apud Petra, *loc. cit.*, n. 44 sq.

[2] Cap. *In nostra*, 10, De sepulturis, a quibusdam hic allegatum, alium casum contemplatur.

juris; nam, ut supra dictum est (n. **172**, 3°), qui moritur in loco, ubi peregrinabatur, nec potest transferri ad propriam ecclesiam, in ecclesia parochiali loci sepeliendus est. Atqui hoc mutari nequit ex eo quod peregrinus defunctus fuerit in monasterio, seu loco exempto; nam monasterium non est exemptum *ratione loci*, sed tantum *ratione personarum*, et vere remanet in diœcesi, et proinde in parochia. Nec dicatur ipsum monasterium constituere parochiam; nam non constituit parochiam *territorialem*, sed tantum, ut ita dicam, *personalem*, id est, quoad eas tantum personas, quas jus ipsum designat, nempe religiosos, novitios, famulos qui sint vere de familia, ut dictum est; ceteri remanent in et de parochia loci; si proinde moriantur in monasterio, deferendi sunt ad ecclesiam parochialem.

2° *Perpetua jurisprudentia S. Congr. Conc.* — Sic in *Ravennaten.*, 20 jan. 1674, censuit : « *Spectare ad parochos sepelire* et ad proprias parochias deferre *cadavera eorum qui, monasterio recepti, sepultura non electa, decesserint*[1]. » Permultas alias decisiones in eodem sensu legere licet apud auctores, ita ut in dubium revocari nequeat, talem revera esse hujus Congregationis jurisprudentiam. Unde doctissimi quique canonistæ, his innixi decisionibus, strenue tuentur nostram propositionem[2].

N. B. — Propter eadem argumenta, idem dicendum est, tum de *vagis*, tum etiam de *hospitibus*, qui diutius habitationem protraxissent in monasterio[3].

[1] Quæ resolutio communiter refertur ab auctoribus, v. g., Matthæucci, *Officialis curiæ eccl.*, c. XLVIII, n. 14.

[2] Ita Petra, *loc. cit.*, n. 44-45; — Matthæucci, *loc. cit.*, n. 14; — Schmalzg., in tit. *De sepulturis*, n. 43; — Ferraris, v° *Sepultura*, n. 26; — Marchetti, *loc. cit.*, n. 60; — Passerinus, *loc. cit.*, n. 229-230; — Leurenius, *Forum beneficiale*, t. I, q. CDLII, n. 5; quibus accedunt recentiores, v. g., Moulart, p. 210-212.

[3] Cf. S. Congr. C., in *Asten.*, 29 jan. 1718; *Thesaurus*, t. I, p. 8, 15.

186. — Moniales, aliæque personæ in earum conventu degentes. — Cum jura non distinguant inter Regulares et moniales, et leges latæ pro Regularibus valeant etiam in genere pro monialibus, juxta omnes auctores, sequitur ea quæ supra diximus de Regularibus, eorum novitiis et famulis, et peregrinis apud eos receptis, iterum eodem modo dicenda esse de *monialibus*, earum *novitiis* et *famulabus*, et *peregrinis* apud eos receptis, nisi quod de *educandis* tenenda sint, quæ supra, n. **158,** 3°, exposita sunt.

187. — Congregationes votorum simplicium.

1° *De jure communi*, communitates votorum simplicium subjiciuntur juridictioni episcoporum et parochorum, ita ut quilibet in his communitatibus degentes, seu religiosi, seu novitii aut famuli, in congregationibus virorum aut mulierum, subjiciantur legibus juris communis, quæ supra expositæ sunt in cap. IV.

2° Verum, ex indulto pontificio, aut etiam, ut dictum est n. **159,** ex decreto episcopali, possunt, in totum vel in parte, eximi a jurisdictione parochorum, imo recipere *jus sepulturæ*. Unde standum est impetratis privilegiis.

CAPUT VI

DE JURIBUS PAROCHI ET ECCLESIÆ TUMULANTIS

§ 1. De juribus parochi, quando parochianus nullam habet electam aut gentilitiam sepulturam.

188. — Enumerantur varia jura parochi in casu prædicto.

1° *In genere*, jus habet parochus peragendi funera proprii parochiani, qui nullam elegit sepulturam nec habet sepulturam majorum in alia ecclesia ac parochiali. — Constat ex dictis supra, ubi *de sepultura parochiali* (n. **170**). — Estque hoc *jus parochiale strictum*, ut ibidem dictum est, ita ut nefas sit alii sacerdoti, seu sæculari seu regulari, dicta funera peragere, sine licentia parochi, quin tamen ulla pœna jure communi sit constituta contra delinquentem. Unde etiam nefas est heredibus alii sacerdoti committere funera peragenda.

2° *In specie*, jus habet parochus : levandi corpus de domo defuncti; — ducendi funus ad propriam ecclesiam parochialem; — celebrandi, corpore præsente, officium defunctorum missamque exsequialem; — tandem ducendi cor-

pus ad cœmeterium, ibique illud sepulcro mandandi cum ritibus consuetis. — Constat ex dictis; hæc enim omnia intelliguntur vocabulo *funerum*. — Hæc autem peragit parochus stola indutus.

3° Clerus, antequam procedat ad domum defuncti ad levandum corpus, convenire debet in ecclesiam parochialem, quo etiam Regulares invitati venire debent[1]. Alia tamen ecclesia consuetudine designari potest ad hanc primam associationem[2].

4° Quoad *præcedentiam*, ea debetur parocho ita ut digniorem locum semper tenere debeat, qui locus, in ducendo funere, est immediate ante feretrum. — Si tamen capitulum interveniat *collegialiter*, hæc dicenda :

a. Clerus, antequam procedat ad domum defuncti ad levandum corpus, convenire debet, non in ecclesiam parochialem, sed in ecclesiam cathedralem. Ita S. Rit. Congr., in *Sutrina*, 28 apr. 1703, ad 1 et 2[3]; et in alleg. *Tridentina;* — et S. C. Conc., in *Faventina, Præeminentiarum*, 7 junii 1760, et 11 apr. 1761, ad 1[4].

b. Capitulo, sive in via, sive in ipsa ecclesia parochiali, debetur dignior locus. Ita S. Rit. Congr., in eadem *Sutrina*, ad 3, et in *decreto super exsequiis*, 23 apr. 1895, n. 3[5]. Unde, in via, incedit capitulum immediate ante feretrum. — Attamen remanet parocho jus aspergendi corpus, incipiendique antiphonam *Exultabunt*[6].

[1] Ita S. Rit. C., in *Savonen.*, 19 dec. 1671, ad 3; *Decreta authentica*, n. 1440, t. I, p. 297; — in *Tridentina*, 17 sept. 1822; *ibid.*, n. 2623, t. II, p. 201; — in *Calaguritana*, 24 maii 1664, ad 6; *ibid.*, n. 1291, t. I, p. 266. Cf. Pignatelli, *Consult.*, t. III, cons. XLIX, p. 129.

[2] *Rituale romanum*, tit. VI, c. III, n. 1.

[3] *Decreta authentica*, n. 2112, t. I, p. 468.

[4] *Thesaurus*, t. XXIX, p. 93; t. XXX, p. 57.

[5] *Decreta auth.*, n. 3854, t. III, p. 283 (ad calcem hujus voluminis, *Documentum VI*).

[6] Ita S. Rit. Congr., in *Sabinen.*, 12 nov. 1831, ad 2; *Decreta auth.*,

c. Idem, quoad omnia, dicendum de capitulo ecclesiæ collegiatæ, *si ita consuetudo ferat;* ita S. Rit. Congregatio, in præfato *decreto super exsequiis*, n. 3. — Si vero non adsit consuetudo, præcedentia debetur Parocho [1].

d. Canonicis, uti singulis, nulla debetur præcedentia; ita S. Rit. Congr., in *Vicentina,* 17 julii 1640 [2].

5° Quoad *crucem;* hæc dicenda :

a. Non potest unaquæque ecclesia ad funus invitata suam crucem deferre; sed *una crux* tantum elevanda est, quæ est crux *illius ecclesiæ, in qua funera expleri debent* (ecclesiæ *tumulantis*). Ita constans jurisprudentia S. Rit. Congregationis, quæ sæpius respondit : « Omnes vocatos ad funus incedere sub cruce ecclesiæ ad quam corpus defuncti defertur, et nullam aliam crucem erigendam esse in associatione cadaverum [3]. » Quam jurisprudentiam firmavit in cit. *decreto super exsequiis*, n. 1. Unde, in casu, crux erigenda est crux ecclesiæ parochialis tumulantis.

b. Attamen, si interveniat capitulum cathedrale, crux ecclesiæ cathedralis sola est erigenda, uti etiam constans est jurisprudentia S. Rit. Congr., v. g., in *Balneoregien.,* 31 maii 1642, ad 1 [4]; — in allegata *Sutrina,* ad 4; — et in

n. 2685, t. II, p. 241; et in cit. *decreto super exsequiis,* n. 2; — et S. Congr. Conc., in *Callien.,* 20 dec. 1828; *Thesaurus,* t. LXXXVIII, p. 238. Non deerant tamen olim difficultates; unde S. Congr. Conc., quæ, in cit. *Faventina,* 7 junii 1760, ad 2, responderat pro parocho, jussit, 11 apr. 1761, rem ad trutinam revocari. Cf. *folium* hujus causæ, t. XXIX, p. 94; t. XXX, p. 59 sq.

[1] In hoc sensu olim non semel S. Rit. Congr. tribuit parocho supra capitulum collegiatum, etiam capitulariter interveniens, præcedentiam, non tantum quoad benedictionem cadaveris, sed etiam in via; v. g., in *Faventina,* 15 sept. 1668; *Decr. auth.,* n. 1370, t. I, p. 283; et in cit. *Sabinen.,* ad 2.

[2] *Decreta auth.,* n. 710, t. I, p. 157.

[3] In *Sulmonen.,* 18 aug. 1629; *Decr. auth.,* n. 515, t. I, p. 127; — in *Aversana,* 13 martii 1632, ad 2; *Decr. auth.,* n. 585, t. I, p. 140. Ita etiam in dicta *Sabinen.,* ad 1.

[4] *Decreta auth.,* n. 795, t. I, p. 167.

præfato *decreto super exsequiis*, n. 1. — Quod applicandum est Capitulo ecclesiæ collegiatæ, juxta eamdem S. Rit. Congr., in *Eugubina*, 2 julii 1661[1]; et in *Syracusana*, 17 junii 1843, ad 4[2]; modo tamen ita ferat consuetudo; nam, quod spectat ad præcedentiam inter capitulum collegiatum et parochum, in materia funerum, hanc præcipue ordinari jubet S. Rituum Congregatio juxta vigentes legitimas consuetudines, ut patet ex præfato ejus *decreto super exsequiis*, n. 3.

c. Hæc non obstant quominus, *extra cadaveris associationem*, alia crux elevetur; sic Regulares ad funus invitati, quando conveniunt in ecclesiam parochialem aut cathedralem (antequam procedatur ad domum defuncti), vel quando redeunt ad sua claustra, possunt sub sua cruce incedere. Ita S. Rit. Congr., in una *Nullius montis Cassini*, 7 dec. 1844[3].

6° Quoad *jus invitandi;* jus invitandi ad funus clerum regularem aut sæcularem, confraternitates, sodalitia, etc., pertinet ad *heredes defuncti;* vel ad *parochum*, si ad hoc explicite vel implicite deputetur ab heredibus. Si heres non determinet quinam clerici vocandi sint, parochus vocare potest quos vult[4], nisi quod, ceteris paribus, clerici ipsius ecclesiæ parochialis aliis sint anteponendi[5].

7° Quoad *emolumenta;* jus habet parochus recipiendi, imo et modeste petendi quod consuetudine vel statutis diœcesanis constitutum est; potest etiam recipere quidquid sponte ultra taxam offeratur; nullo vero modo potest

[1] *Decreta auth.*, n. 1198, t. I, p. 248.

[2] *Ibid.*, n. 2861, t. II, p. 313.

[3] *Ibid.*, n. 2874, t. II, p. 320.

[4] S. Rit. Congr., in *Ferrarien.*, 7 sept. 1613; *Decreta auth.*, n. 313, t. I, p. 89.

[5] Ita S. Congr. Ep. et Reg., 23 apr. 1649; apud Ferraris, v° *Sepultura*, n. 225.

quidquam exigere supra taxam. Prohibitum etiam est sepulturam differre, ob non solutum jus funerale; ita S. Congr. Ep. et Reg., 17 sept. 1617 [1].

8° *Scholium.* — *De parochiano defuncto in parochia aliena.* Si parochianus mortuus fuerit in parochia aliena (non acquisito ibi quasi-domicilio), et transferri possit in propriam parochiam, juxta supradicta, n. **170,** levatio corporis etiam tunc pertinet ad parochum proprium, non ad parochum loci, licet is moribundo ministraverit sacramenta; nulla enim facta est exceptio in jure pro hoc casu. — Nec obstat quod parochus proprius, ad levandum corpus, ingredi debeat cum stola et cruce parochiam alienam; nam parochus servat jurisdictionem supra parochianum suum etiam in territorio alieno, et levatio corporis non est actus jurisdictionis contentiosæ qui prohibeatur extra proprium territorium. Unde ex decisione S. Congr. Conc., in cit. *Bononien.,* 14 maii 1881 (n. **172,** 5°), parochi civitatis Bononiensis permittuntur ingredi parochiam in qua situm est hospitale, ad levanda, in hoc hospitali, corpora parochianorum [2]. — Excipitur, ut patet, si, ob distantiam, parochus proprius opportune accersiri nequeat, aut si legitima consuetudo aliud præscribat.

§ 2. De juribus parochi, quando parochianus sepelitur in ecclesia diversa a parochiali, et de juribus ecclesiæ tumulantis.

I. De partitione jurium in genere

189. — Declaratio quæsiti; error quorumdam. — Ut supra vidimus, n. **157,** Romani Pontifices Regularibus

[1] Apud Barbosa, *De parocho,* c. XXVI, n. 55; — cf. Marchetti, tit. XL, n. 36.

[2] Cf. *folium* causæ *Bononiensis; Thesaurus,* t. CXL, p. 395.

concesserunt *liberam sepulturam;* item, jure communi (supra, n. **163**), liberum est cuique fideli *suam eligere sepulturam;* si non elegerit, sepeliendus est *in sepultura majorum* (n. **167**). Porro quæritur quid complectatur illa *sepultura;* utrum complectatur tantum jus *sepeliendi,* seu *deponendi corpus* in terra, an etiam jus *officium funebre peragendi supra corpus* ante sepulturam, seu jus *funerandi;* aliis verbis, utrum parochus, cujus parochianus deserit ecclesiam parochialem, ut in alia (regulari aut sæculari) sepeliatur, *jus servet adducendi corpus sui parochiani defuncti in ecclesiam parochialem, ibique officium funebre celebrandi,* relicta *humatione* ecclesiæ electæ. — Quidam dixerunt illud jus sepulturæ concessum variis ecclesiis, in detrimentum *sepulturæ parochialis,* non complecti nisi jus *humandi,* et proinde parocho derelicto remanere jus *officium funebre,* seu *funera, celebrandi* supra corpus. Ita præcipue van Espen et Pichler[1], qui duobus potissimum nituntur argumentis : 1. In se, hæc duo jura, nempe *sepeliendi* et *officium celebrandi,* sunt plane distincta, ut patet; cum ergo ecclesiis jus *sepeliendi* seu libera *sepultura* concedatur, et hoc vergat in grave detrimentum parochiis, stricte intelligi debet, et proinde de solo jure humandi; — 2. In privilegiis apostolicis quibus conceditur ecclesiis regularibus jus sepulturæ, solet addi clausula : « Salva *justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur,* » ut patet ex ipso tenore horum privilegiorum[2], et ut asserit ipse Clemens III, cap. *Certificari,* 9, De sepulturis; porro *justitia*

[1] Van Espen, *Jus ecclesiasticum univ.,* part. II, tit. XXXVIII, *De sepulturis,* toto capite V, Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 726 sq.; — Pichler, in tit. *De sepult.,* n. 4-5.

[2] Videas privilegium Minorum, a Clemente IV concessum, in Sixti IV bulla *Regimini,* 31 oct. 1474, § 27; *Bullarium Minorum,* Romæ, 1750, t. VI, p. 175.

seu jus illarum ecclesiarum, nempe parochialium, certo complectitur, juxta omnes, jus officium funebre celebrandi supra corpus. Ergo...

190. — Jus sepulturæ complectitur etiam jus funerandi, et proinde *ibi celebrari debent funera, ubi tumulatio fiet.* — Constat propositio :

1° *Ipso genuino sensu textuum;* nam :

a. Leo III, in cap. *Nos instituta*, 1, De sepulturis, loquens ex professo de iis quæ reservantur ecclesiæ parochiali dimissæ, non refert nisi *tertiam partem emolumentorum funeris :* « Sed quia, inquit, dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui judicii[1] illi ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici consuevit, ut, juxta apostolum, sint consolationum socii, ut fuerunt passionum; et *sic demum ubicumque libitum fuerit, eligat sepulturam.* » Ergo nihil reservatur, præter partem fructuum, et proinde sepultura in sensu lato sumitur.

b. Item, in cap. *Dudum*, 1, De sepulturis, Clem., ubi tam accurate Bonifacius VIII et Clemens V describunt jura mutua tum parochorum, tum Regularium, in materia sepulturarum, non attribuunt parochis nisi *jus ad quartam partem fructuum,* et addunt : « Ultra portionem autem hujusmodi nihil valeant parochiales rectores... exigere..., neque illis dicti fratres amplius impendere sint adstricti. »

c. Immo, in allegato cap. *Certificari*, Clemens III authentice interpretatur vocabulum illud, *justitia*, quod tantopere urgent adversarii, et illud intelligit, non de jure faciendi aliquod officium, sed de *jure pecuniario :* « Cum autem, inquit, super hoc articulo, diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta, Leone *justitiam illam*,

[1] Id est, eorum quæ *judicavit,* seu proposuit dare pro sua sepultura.

quandoque *tertiam partem*, quandoque *mediam*, et Urbano *quartam* fore censentibus, etc... » Ergo tandem jus sepulturæ, concessum Regularibus, lato sensu sumitur, ita ut, electa sepultura apud Regulares, non relinquatur parocho nisi pars determinata fructuum; et sic responsum est ad duo argumenta adversariorum.

2° *Constanti jurisprudentia S. Congr. Concilii.* — Sufficiat quasdam referre resolutiones :

a. In *Lucana*, 17 jan. et 14 martii 1722 [1], huic dubio : « An cadavera defunctorum sepelienda in ecclesia Patrum Minorum, antequam ad eorum ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et eorum ibi debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ; » respondit : « Negative. » In *folio* causæ jam notatur sæpius a variis Congregationibus idem responsum fuisse [2].

b. In *Tolentina*, 13 junii 1733, 23 jan. et 6 feb. 1734 [3], huic dubio : « An cadavera debeant directe deferri ad ecclesiam in qua fuerit electa sepultura, absque præcedenti delatione ad parochialem, in casu; » respondit : « Affirmative, et amplius. » Attamen, ut notatur in *folio* causæ, cadavera consueverant antea deferri ad parochialem.

c. Idem responsum est in *Viterbien.*, 26 aug. 1826, ad 3 [4]; — in *Ariminen.*, 16 junii 1827, ad 3 et 4 [5]; — in *Forolivien.*, 26 jan. 1833 [6].

d. In una *Civitatis Castellanæ*, 28 jan. et 18 feb. 1764, cadaver tumulandum erat in ecclesia regulari; porro *he-*

[1] *Thesaurus*, t. II, p. 125, 138.

[2] Quæ responsa legere est apud Pignatelli, *Consultationum can.*, t. III, cons. XLVIII, n. 7 sq., Coloniæ Allobr., 1718, p. 123, vel apud Matthæucci, *Officialis*, etc., c. XX, n. 8, p. 143.

[3] *Thesaurus*, t. VI, p. 118, 235, 238.

[4] *Ibid.*, t. LXXXVI, p. 201, 222; cf. *folium* causæ, p. 204, § *Ex jure.*

[5] *Ibid.*, t. LXXXVII, p. 104; cf. *folium*, p. 109, § *Dein subdunt.*

[6] *Ibid.*, t. XCIII, p. 14; cf. *folium*, p. 16-17.

redes consenserunt, ut prius deferretur ad ecclesiam cathedralem, quæ erat parochialis; inde questi sunt Regulares; huic dubio : « An cadaver potuerit asportari ad ecclesiam cathedralem, ad effectum funus peragendi; » respondit S. Congr. : « Negative, et amplius [1]. » In *folio* causæ recte asseritur : « Exsequiæ ad ritum sepeliendi pertinent, ipsumque actum sepeliendi comitantur, et a sepultura non separantur, adeo ut sub ipso *sepulturæ* vocabulo non raro funus, exsequiæ et laudationes comprehendantur, de quo permulta apud ipsos veteres exempla sunt. »

3° *Constanti jurisprudentia S. Rit. Congr.* — Sufficiat quasdam referre responsiones :

a. In *Cassanen.*, 4 maii 1647, respondit cadavera in ecclesiam regularem electam « *absque ullo intervallo esse deferenda, ibique celebrandum officium*, sine præjudicio emolumentorum ecclesiæ parochialis » [2].

b. In *Savonen.*, 19 dec. 1671, ad 4, idem quam maxime expressis et claris verbis declaravit [3].

c. In *Senogallien.*, 22 junii 1675, huic dubio : « An cadavera sepelienda in ecclesiis Regularium, antequam ad eorum ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus, » respondit : « Negative [4]. »

d. In *Gravinen.*, 3 oct. 1699, respondit capitulum cathedrale jus non habere deferendi in ecclesiam cathedralem corpora clericorum alibi sepeliendorum, ut funus illorum in cathedrali peragatur [5].

[1] *Thesaurus*, t. XXXIII, p. 25, 29.
[2] *Decreta auth.*, n. 909, t. I, p. 196.
[3] *Ibid.*, n. 1440, t. I, p. 297.
[4] *Ibid.*, n. 1539, t. I, p. 318.
[5] *Ibid.*, n. 2038, t. I, p. 446. — Cf. etiam responsionem ejusdem S. Rit. Congr., 5 julii 1614, in eodem sensu, relatam in *folio* causæ *Eugubinæ*, 12 martii 1719, in *Thesauro S. C. C.*, t. IV, p. 273-274.

c. Demum eadem S. Congregatio suam perpetuam jurisprudentiam firmavit in cit. *decreto super exsequiis*, n. 4.

Unde mirum non est omnes doctores, paucis exceptis, convenire in eamdem sententiam; unde etiam axioma : *Ubi tumulus, ibi funus*. Hinc duo illa jura, nempe *jus funerandi*, et *jus tumulandi* seu humandi, licet, materialiter sumpta, a se invicem distincta sint, attamen, jure communi, separari nequeunt.

191. — Quæritur : 1° *Num voluntate defuncti aut heredum possit de juribus funerandi et tumulandi disponi contra jus commune.*

1° Quoad *ipsum defunctum*, dubitari nequit quin potuerit ordinare ut funus suum fiat in una ecclesia (v. g., parochiali, aut etiam non parochiali), et tumulatio in altera. — Nam : 1. Servandæ sunt ultimæ voluntates, quantum possunt, etiam contra jus commune, propter favorem eis debitum; — 2. Potuit defunctus eligere aliquam ecclesiam, ad sepulturam integram (funus cum tumulo); ergo poterit, quasi dimidiata electione, eam non eligere nisi quoad tumulum; qui enim potest plus, potest et minus; — 3. Sic receptum videtur apud Romanas Congregationes; hanc enim divisionem sepulturæ admisit S. Rit. Congr., in *Sutrina*, 7 dec. 1844[1], de novo proposita 14 junii 1845[2]; in hoc casu, jussit hæc Congregatio quartam funeralem dari ecclesiæ tumulanti, quæ alioquin, de jure communi, jus habuisset ad totum, dempta quarta.

2° Quoad *heredes*, hæc dicenda :

a. Hæc ordinatio, nempe ut funus in una, et tumulatio in altera fiat ecclesia, est vere *electio*, licet, ut dictum est, dimidiata; porro heredes non possunt eligere pro defuncto

[1] *Decreta auth.*, n. 2881, t. II, p. 322.
[2] *Ibid.*, n. 2899, t. II, p. 329.

(pubere); ergo non possunt præfatam ordinationem facere. — Ceterum tenentur exsequi voluntatem defuncti; atqui defunctus (nisi aliud expresse dicat) censetur se accommodare ad dispositionem juris communis. — Confirmatur ex relata (n. **190**, 2°) resolutione S. Congr. Conc., in una *Civitatis Castellanæ*, 28 jan. 1764, in qua expresse denegavit heredibus jus sic disponendi.

b. Cogi nequeunt heredes ut, antequam corpus deferatur ad ecclesiam tumulantem (pro funere et tumulatione), ducatur prius ad ecclesiam parochialem, ut celebretur ibi aliud officium, vel tantum ut recitentur quædam preces. — Ratio est quia non est imponenda heredibus obligatio, qua nullo modo tenentur (ut demonstratum est numero superiori), — tum quia aliter minueretur libertas sepulturæ concessa Regularibus. Et revera Sixtus IV, in bulla *Regimini*, 31 oct. 1474, § 37, concessit Minoribus, ut ad hanc deductionem in ecclesiam parochialem nec ipsi nec heredes cogi possint inviti [1].

c. Attamen, modo non inde gravetur ecclesia tumulans, possunt sponte heredes disponere ut corpus deferatur ad ecclesiam parochialem, ut ibi quædam preces fiant; et in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., in *Volaterrana*, 23 febr. et 16 martii 1726, ad 2, nempe cadavera parochianorum, antequam deferantur ad ecclesiam tumulantem, non esse portanda in ecclesiam parochialem, « nisi defunctus vel *heres* aliter ordinaverint [2]; » tunc autem parocho recitanti quasdam preces præsente corpore, non debentur nisi « *intortitia* tantum *quæ ponuntur circa cadaver* »; ut *ibid.*, ad 3, respondit S. Congr. — Imo, cum nunquam satis orari possit pro defunctis, possunt sponte

[1] *Bullarium Minorum*, Romæ, 1750, t. VI, p. 186. — Cf. Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 38.

[2] *Thesaurus*, t. III, p. 285, 289.

heredes petere ut in ecclesia parochiali fiat aliud funus (præter funus in ecclesia tumulante peragendum), modo tamen inde non gravetur clerus ecclesiæ tumulantis, id est modo non teneatur interesse huic alteri funeri.

192. — Quæritur : 2° *Num vi consuetudinis possit de juribus funerandi et tumulandi disponi contra jus commune.*

1° Quod funus fiat in ecclesia parochiali, et tumulatio in alia ecclesia, nempe in ea quæ sit electa, vel possideat sepulcrum majorum, consuetudo videtur inducere posse; licet enim talis usus sit contra jus commune, attamen nunquam fuit reprobatus. — Attamen, cum agatur hic de vera præscriptione, consuetudo præfata debet habere omnia requisita, tum consuetudinis, tum præscriptionis; cum autem ista separatio funeris et sepulturæ abhorreat a jure communi, requiritur consuetudo *immemorabilis* vel saltem *quadragenaria cum titulo.* Hinc est quod, in pluribus Romanarum Congregationum decisionibus hanc materiam spectantibus, in tuto ponuntur præfatæ consuetudines, modo sint legitime demonstratæ [1].

2° Hic autem usus potest induci, non modo in una civitate inter ecclesias loci, sed etiam in aliqua integra diœcesi aut regione; quod de se patet.

3° Utrum possit induci consuetudo, vi cujus heredes, in casu sepulturæ electæ vel gentilitiæ, *teneantur* duplex funus, duplicem proinde missam, agere, unum nempe in ecclesia parochiali, alterum in ecclesia electa, gravior est difficultas. Cum agatur hic de consuetudine *præter legem*, nempe de consuetudine novam, hancque gravem, obliga-

[1] Cf. *folium* relatæ causæ *Lucanæ*, an. 1722, in *Thesauro*, t. II, p. 125; — insuper plures decisiones relatas a Pignatelli, *Consult. can.*, t. III, cons. XLVIII, n. 7, 9.

tionem inducente, requiritur ex parte fidelium, ad inducendam consuetudinem, *vera et spontanea voluntas se obligandi;* quis dicet hanc voluntatem inesse in his fidelibus, quibus jam satis gravis est celebratio funeris debiti in ecclesia electa, quibus jam gravior est solutio unius taxæ debitæ ecclesiæ tumulanti? Unde, in usu rerum, valde difficile esse videtur admittere talem consuetudinem [1].

4° Facilior videtur inductio consuetudinis, vi cujus corpus defuncti, antequam deferatur ad ecclesiam tumulantem, *præsentari* tantum debeat in ecclesia parochiali, ut ibi quædam breves recitentur preces, et ultimum vale pronuntietur a pastore [2].

II. Jura mutua parochi et Regularium, quando parochianus sepelitur apud Regulares

193. — Levatio corporis.

1° *Jus ordinarie non habent Regulares levandi corpora defunctorum, in suis ecclesiis tumulanda.* — Constat Leonis X bulla *Dum intra*, 19 dec. 1516, in concilio Lateranensi V promulgata : « *Parochias* autem *cum cruce* ad levanda funera eorum, qui apud ecclesias domorum et locorum eorumdem (Regularium) elegerint sepulturam, *intrare non possint*, nisi prius præmonito et requisito ac recusante parochiano presbytero, et tunc sine ejus ac Ordinarii præjudicio; nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi observantia et cum pacifica possessione, suffragetur [3]. » Ergo, licet *libera*

[1] Ita etiam Moulart, *loc. cit.*, p. 242, 243.

[2] Vide tamen quomodo severe loquatur de hac *præsentatione* in ecclesia parochiali Benedictus XIII, in bulla *Pretiosus*, 7 kal. junii 1727, pro Ordine Prædicatorum, § 45; *Bull. Rom.*, t. XII, p. 214.

[3] Coleti, *Concilia*, ed. Venetiis, 1732, t. XIX, col. 972.

sepultura concessa fuerit Regularibus, ut dictum est (n. **157**), non eo tamen progreditur hæc libertas ut propria auctoritate possint levare corpora fidelium in suo cœmeterio tumulandorum, sed tenentur præmonere et requirere parochum.

Dixi : *ordinarie*, quia duo sunt casus, in quibus propria auctoritate Regulares levare possint corpora defunctorum : 1. Si parochus debite requisitus venire aut alium mittere recuset; — 2. Si sit *vigens consuetudo* ut ipsi Regulares corpora levent. Quod patet Leonis textu [1]. — In priori autem casu, si parochus hora præfixa non adfuerit, non statim possunt Regulares levare corpus, sed tenentur expectare parochum *per tempus discretum*, quod jus commune non determinavit, sed quod Benedictus XIII, in bulla *Pretiosus*, 7 kal. junii 1727, pro toto Ordine Fr. Prædicatorum, § 45, interpretatus est de *una ad summum hora* [2]; quæ interpretatio transisse videtur in jurisprudentiam S. Congr. Conc. [3].

2° *Jus habet parochus levandi corpus*, et proinde illud aspergendi, incipiendique antiphonam *Exultabunt*, stola indutus. — Constat Leonis alleg. textu [4]. — Imo hoc jus est simul *obligatio;* tenetur nempe parochus, per se vel per alium, levare corpus; ratio est quia, cum hac in re nullum jus habeant Regulares, nec corpus possit remanere insepultum, requiritur omnino ut parochus illud levet. —

[1] His fere terminis Sixtus IV, in bulla *Regimini*, 31 oct. 1474, § 37, interpretatus est *privilegium sepulturæ liberæ* Minoribus concessum; *Bullarium Minorum*, Romæ, 1750, t. VI, p. 186.

[2] *Bull. Rom.*, t. XII, p. 214.

[3] In *Tusculana*, *Funerum*, 22 nov. 1732, et 24 julii 1734; *Thesaurus*, t. V, p. 316; t. VI, p. 332; — in *Tranen.*, 12 sept., et 21 nov. 1750, ad 3; *Thesaurus*, t. XIX, p. 82, 95; — in *Nullius Messanen.*, 19 dec. 1857, ad 3 (*Thesaurus*, t. CXVI, p. 602).

[4] Cf. etiam S. Rit. Congr., in *Sabinen.*, 12 nov. 1831, ad 2; *Decr. auth.*, n. 2685, t. II, p. 241.

Et idem dicendum (juxta supra dicta, n. **188**, 8°), si parochianus in parochia aliena casu mortuus fuerit : jus levandi corpus pertinet ad *parochum proprium*.

3° Non possunt cogi Regulares ad exeundum e suis ecclesiis, ad effectum associandi cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficit quod illa expectent ad januas. Ita S. Rit. Congr., in *Senogallien.*, 22 junii 1675, ad 4[1]; quæ decisio extensa est ad Ordinem Minorum Observantium, in una *Ord. Min.*, 13 julii 1675[2]. — Attamen, in multis locis, consuetudo viget, ut in hoc casu Regulares associent cadavera, ad suas ecclesias deferenda; tunc standum consuetudini; in quo sensu respondit S. Rit. Congr., in *Calagurritana*, 24 maii 1664, ad 6[3]. Unde Regulares convenire debent cum reliquo clero ad ecclesiam parochialem, aut collegiatam, ut inde pergant ad domum defuncti, ut dictum est supra (n. **188**).

194. — Deductio corporis ad ecclesiam regularem.

1° *Jus habet parochus et officium deducendi corpus ad ecclesiam regularem ;* sequitur ex dictis[4] : hæc enim functio non est nisi continuatio prioris.

2° *Jus habet parochus declarandi per quam viam exportandus sit defunctus*, et reliqua alia omnia disponendi usque ad januam ecclesiæ regularis. — Sequitur ex dictis et expresse traditur a S. Rit. Congr., in *Savonen.*, 19 dec. 1671, ad 3[5]. — Unde habet etiam jus præfiniendi horam levandi corporis[6].

[1] *Decr. auth.*, n. 1539, t. I, p. 318.

[2] *Ibid.*, n. 1545, t. I, p. 320.

[3] *Ibid.*, n. 1291, t. I, p. 265.

[4] Cf. etiam S. Rit. Congr., in *Firmana*, 7 maii 1763 : *Decr. auth.*, n. 2470, t. II, p. 125.

[5] *Decr. auth.*, n. 1440, t. I, p. 297.

[6] S. Congr. Conc., in *Nullius Messanen.*, 19 dec. 1857, ad 4 : *Thesaurus*, t. CXVI, p. 602.

3° Crux erigenda in hac associatione est crux ecclesiæ regularis, ut dictum est supra (n. **188,** 5°).

195. — Officium funebre in ecclesia regulari celebrandum [1].

1° *Celebratio officii funebris, præsente corpore, pertinet omnino ad Regulares, non vero ad parochum.* — Constat : 1. Ex jure *liberæ sepulturæ* Regularibus concesso; semel enim concessa libera sepultura, eo ipso conceduntur omnia quæ in ea continentur, aut cum ea connexa sunt, nisi quid in specie expresse excipiatur. Atqui, juxta leges Ecclesiæ, officium funebre supra corpus est pars, et magni quidem momenti, sepulturæ ecclesiasticæ, nec excipitur in concessione Regularibus facta; excipitur quidem, ut diximus, a Leone X levatio corporis in territorio parochiæ, sed nihil amplius. Ergo...; — 2. *Constanti jurisprudentia Romanarum Congregationum;* sic, v. g. :

a. Sacra Congr. Ep. et Reg., ad petitionem Fr. Minorum, 31 aug. 1657 : « *Juxta alias resoluta* censuit functiones funeralium super cadavera defunctorum, quæ in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, *ad ipsos Regulares, non ad parochos pertinere.* » Quam decisionem confirmavit Clemens X, brevi *Alias pro parte,* 18 jan. 1672 [2].

b. Eadem S. Congr., 16 dec. 1661, pro Ordine S. Benedicti, et 27 nov. 1671, pro Fratribus Minoribus, censuit, juxta alias resoluta : « Parochis, in associatione, sive occasione associationis cadaverum, *non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad*

[1] Officium funebre fieri debet, non in ecclesia parochiali, sed in regulari, ut supra demonstratum est (n. **190**); nunc quæritur a *quo* celebrari debeat.

[2] *Bull. Rom.,* t. VII, p. 162.

januam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a parochis. » Quam iterum decisionem confirmavit idem Clemens X, brevi *Nuper pro parte*, 18 jan. 1672[1].

c. S. Rit. Congr. idem etiam pluries resolvit, v. g., in *Sulmonen.*, 18 aug. 1629 : « Officium fieri debere *per Regulares, in quorum ecclesiis cadavera tumulari debent*[2]; » — in *Firmana*, 11 nov. 1641[3]; — in *Messanen.*, 10 maii 1642[4].

Unde licet parochus exercere possit suam jurisdictionem erga parochianum suum, etiam extra parochiam et diœcesim et in loco exempto, attamen, in re, de qua agitur, prohibetur ab exercitio suæ jurisdictionis[5].

2° *Num, vi consuetudinis immemorabilis, liceat parocho officium peragere super corpus sui parochiani in ecclesia regulari*, disputatur inter canonistas. Putaverim, quidquid dicunt aliqui, tunc licere parocho officium peragere, quia tandem aliquando nihil est fortius, in jure, consuetudine immemorabili, legitime demonstrata, quæ facit etiam præsumere indultum apostolicum[6].

3° *Parochus, postquam ad januam ecclesiæ regularis tradiderit Regularibus corpus defuncti, jus non habet ingrediendi ecclesiam regularem cum stola et cruce erecta.* — Constat : 1. Ex eo quod, ut mox dictum est, totaliter

[1] *Bull. Rom.*, t. VII, p. 164.

[2] *Decr. auth.*, n. 515, t. I, p. 127.

[3] *Ibid.*, n. 773, t. I, p. 165.

[4] *Ibid.*, n. 793, t. I, p. 167.

[5] Hac in re repereris concordare doctissimos canonistas, v. g., Barbosa-Giraldi, *De parocho*, c. XXVI, n. 82; — Leurenius, *Forum Benef.*, part. I, q. CDLIII, n. 7, etc. etc.

[6] De hac controversia cf. Pignatelli, *Consult.*, t. III, cons. XLVIII, p. 123.

cessat jurisdictio parochi ab hoc momento; atqui talis ingressus esset signum, immo exercitium jurisdictionis; — 2. *Jurisprudentia constanti Romanarum Congregationum*, v. g., S. Congr. Ep. et Reg., in decisione mox relata, 16 dec. 1661, a Clemente X confirmata; — S. Rit. Congr., pluries, v. g., in *Novarien.*, 20 nov. 1677, ad 2[1]. — Ceterum, nullo modo prohibetur parochus ingredi ecclesiam regularem, sine stola, et dimissa, aut demissa cruce: de quo nunquam fuit mota difficultas.

N. B. — Benedictus XIII, const. *Pretiosus*, 7 kal. junii 1727, § 45[2], concessit parochis, in casu prædicto, ut ingredi possint cum cruce et stola, expresse declarans nullam per hoc exerceri jurisdictionem; sed hanc Benedicti XIII bullam (cum undecim aliis) reduxit ad terminos juris communis Clemens XII, bulla *Romanus Pontifex*, 3 kal. apr. 1732[3].

196. — Campanarum pulsatio. — *Jus habet parochus jubendi campanas parochiales pulsari*, eo momento temporis quo magis expedire ei videtur; idem jus habent pro suis campanis Regulares. — Sic respondit S. Rit. Congr., in *Hydruntina*, 8 febr. 1642[4].

197. — Deductio corporis in cœmeterium. — Difficultas non est quando cœmeterium est ecclesiæ regulari contiguum; tum enim Regulares qui expleverunt officium supra corpus, hoc ipsi deducunt in cœmeterium, quin transeant per territorium parochiæ. — Cum autem cœmeterium est ita remotum ab ecclesia, ut non possit ad illud

[1] *Decr. auth.*, n. 1604, t. I, p. 336.

[2] *Bull. Rom.*, t. XII, p. 214.

[3] *Ibid.*, t. XIII, p. 221; — cf. etiam notam Giraldi, apud Barbosa, *De parocho*, c. XXVI, n. 82.

[4] *Decreta auth.*, n. 785, t. I, p. 166.

accedi nisi transeundo per territorium parochiæ (qui casus est hodie frequentissimus), quæritur num intervenire debeat parochus. — De quo hæc dicenda :

1° Si agatur de *Regulari* defuncto, ipsi Regulares possunt, expleto officio, ducere corpus ad sepulcrum, quin ullo modo interveniat parochus, « dummodo cadaver deferatur, *absque solemni pompa*, *recto tramite*, ad cœmeterium, *a familia regulari proprii conventus tantum.* » Tunc incedit prior conventus cum stola, et sub cruce conventuali, quin necesse sit illa deponere, cum transitur per fines parochiæ. — Sic in omnibus resolvit S. Congr. Conc., in una *Ordinis Prædicatorum*, 24 jan. 1846[1].

2° Si agatur de *moniali* defuncta, idem omnino dicendum, quia nempe privilegia concessa regularibus viris censentur etiam concessa monialibus, quando non repugnant earum statui et condicioni, ut supra dictum est (n. **158**, 2°). Unde confessarius conventus (qui agit vices parochi erga moniales) ducet corpus ad cœmeterium, sine interventu parochi, « dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa et recto tramite ad cœmeterium. » — Sic resolvit S. Congr. Conc., in *Syracusana*, 24 febr. 1872[2].

3° Si agatur de *fideli*, qui electam vel gentilitiam sepulturam habeat apud Regulares, idem dicendum est (licet non sit pro hac specie resolutio S. Congr.); sola nempe difficultas oriebatur ex transitu in territorio parochiæ; porro, sive agatur de sæculari defuncto, sive de Regulari, difficultas non mutatur; cum ergo hæc difficultas non obstet, solutio quæ data fuit pro Regulari et moniali applicanda est sæculari.

4° Caute notandæ sunt condiciones requisitæ a S. Congr.

[1] *Thesaurus*, t. CVI, p. 35.
[2] *Thesaurus*, t. CXXXI, p. 151.

Conc., quæ servandæ sunt etiam, si agatur de defuncto *sæculari*. Unde si familia defuncti velit, in deductione corporis ad cœmeterium, adesse confraternitates, clerum sæcularem, aut iter institui per longam viam, etc., omnino requirendus est parochus.

N. B. — De quarta funerali dicetur infra.

198. — Scholium. — *De casu quo intervenit capitulum in funere apud Regulares celebrato.*

1° Regulares convenire debent *ad ecclesiam collegiatam*, cum reliquo clero, ut inde procedatur ad domum defuncti, ad levandum corpus. — Constat ex dictis supra (n. **188,** 2°, et ex speciali S. Rit. Congr. decisione in *Aquæpenden.*, 10 dec. 1667[1].

2° Omnes incedere debent *sub cruce ecclesiæ collegiatæ*, si ista sit *cathedralis;* si vero sit simpliciter *collegiata*, standum est consuetudini. — Constat ex dictis supra (n. **188,** 5°), et ex eadem decisione in *Aquæpenden.*

3° Capitulum ingredi potest in ecclesiam regularem *cum cruce elevata*. — Sic ex decisione S. Rit. Congr., in *Alexanen.*, 21 martii 1739, ad 1, ubi hoc expresse cautum est[2]. — Parochus tamen ingreditur *sine stola*, ut sequitur ex supra dictis (n. **195,** 3°), et etiam ibidem, in *Alexanen.*, cavetur.

4° Officium funebre fit a *Regularibus*, ita ut capitulum possit tantum huic interesse. — Ratio desumi debet ex his quæ dicta sunt n. **195,** 1°, et confirmatur ex decisionibus S. Rit. Congr. in *Firmana*, 11 nov. 1641[3]; — in cit. *Aquæpenden.*, — et in cit. *Alexanen.*, ad 2.

[1] *Decreta auth.*, n. 1363, t. I, p. 282.

[2] *Ibid.*, n. 2342, t. II, p. 73. — Attamen in hac causa *Alexanen.*, non agitur nisi de capitulo *cathedrali*; si ergo in casu agatur de capitulo ecclesiæ mere *collegiatæ*, iterum standum est consuetudini (cf. n. **188,** 5°).

[3] *Decreta auth.*, n. 773, t. I, p. 165.

III. Jura mutua parochi et ecclesiæ tumulantis, quando hæc est ecclesia sæcularis

199. — De ecclesia sæculari tumulante, non subjecta parocho. — Si parochianus, dimissa propria ecclesia parochiali, eligat sepulturam in ecclesia sæculari non subjecta parocho, v. g., in alia ecclesia parochiali, in ecclesia cathedrali, collegiata, etc., fere idem dicendum est quod supra de sepultura in ecclesia regulari. — Hæc notanda :

1° *Levatio corporis* reservatur parocho defuncti, ita ut nec etiam capitulum (si sepultura fieri debeat in ecclesia collegiali) levare possit corpus, nisi prænomito, requisito, et frustra expectato parocho, ut dictum est pro Regularibus. — Sic sæpius decidit S. Rit. Congr., v. g., in *Thelesina*, 18 aug. 1629[1]; — in alia *Thelesina*, 6 dec. 1631, ad 1[2]; — in una *Montis Regalis*, 12 julii 1664, ad 5[3].

2° Omnes incedunt sub una cruce ecclesiæ tumulantis, nisi interveniat capitulum, sub cujus cruce tunc incedendum est juxta supra dicta, n. **188**, 5°.

3° Parochus domicilii ducit funus usque ad *januam* ecclesiæ tumulantis. — In Gallia, usus est, si ecclesia tumulans sit alia ecclesia parochialis, ut parochus ducat funus, non usque ad januam ecclesiæ, sed usque ad limites territorii parochiæ, ubi tradit corpus parocho ecclesiæ tumulantis : qui utique usus rationabilis est.

4° In ecclesia tumulante, officium fit, non a parocho defuncti, sed a rectore ecclesiæ tumulantis. Eadem est enim ratio ac supra pro Regularibus, et expresse decisum est pro casu quo ecclesia tumulans est collegiata. S. Rit. Congr., in cit. *Montis regalis*, ad 6.

[1] *Decreta auth.*, n. 520, t. 1, p. 128.
[2] *Ibid.*, n. 580, t. 1, p. 138.
[3] *Ibid.*, n. 1297, t. 1, p. 267.

200. — De ecclesia sæculari tumulante, subjecta parocho. — Si parochianus, dimissa propria ecclesia parochiali, eligat sepulturam in ecclesia sæculari quæ sit intra fines parochiæ et nulla exemptione fruatur a jurisdictione parochi, v. g., in ecclesia confraternitatis, oratorio publico, etc., hæc tenenda sunt :

1° *Levatio corporis* et ejus *deductio ad ecclesiam tumulantem* reservantur parocho, ut constat a fortiori ex supradictis.

2° *Officium funebre*, in ecclesia tumulante, peragitur, non a rectore aut capellano hujus ecclesiæ, sed a *parocho*. — Constat :

a. Decretis S. Rit. Congr., 10 dec. 1703, vim legis habentibus, ad 20 : « An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum. — *Affirmative, quando tumulandus est subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia vel territorium* [1]. » Quod, propter identitatem rationis, valet etiam pro aliis ecclesiis, quæ jure sepulturæ donatæ sunt, sed quæ nulla pollent exemptione a jurisdictione parochi [2].

b. Responsis pluribus, immo *jurisprudentia constanti* S. Congr. Conc., quæ semper adhæsit prædictis S. Rit. Congr. decretis, ita tamen ut, juxta ipsius S. Rit. Congr. jussum in fine illorum decretorum, rationem semper habuerit consuetudinum immemorabilium, conventionum et statutorum. Sic in *Bononien.*, 12 feb. et 28 junii 1724, ad 9 [3], decrevit ad parochum pertinere jus, in ecclesia confraternitatis, faciendi officium aliasque functiones super

[1] *Decr. auth.*, n. 2123, t. I, p. 472 ; — cf. Bened. XIV, *Inst.*, CV, n. 123-125 ; — Monacelli, *Formularium legale*, etc., part. I, tit. XIII, form. 1, n. 70-76.

[2] Hoc notatur in *folio* causæ *Auximanæ, Juris tumulandi*, 20 nov. 1830 ; *Thesaurus*, t. XC, p. 283.

[3] *Thesaurus*, t. III, p. 22, 56.

cadaveribus ibidem tumulandis; — sic pariter in *Viterbien.*, 26 aug. et 16 sept. 1826, ad 5[1].

Unde parochus levat corpus, rectoque tramite deducit ad ecclesiam tumulantem (quin ducatur prius in ecclesiam parochialem[2]), et deinde in ecclesia tumulante et cœmeterio peragit officium aliasque functiones.

3° Si legitime præmonitus et requisitus parochus venire aut alium mittere recuset, tunc omnia prædicta sine ipso fiant a capellano ecclesiæ tumulantis. — Sic S. Congr. Conc., in cit. *Bononien.*, ad 9 : « ... Nisi parochus *vocatus renuat*, vel *alium sacerdotem non substituat;* » — ita pariter S. Rit. Congr., in *Capuana*, 22 dec. 1629[3].

4° Quoad *emolumenta funerum*, non pertinet ad parochum nisi *quarta funeralis* (juxta taxam diœcesis). — Ratio est quia revera, ut infra demonstrabitur, quando alia ecclesia, præter propriam ecclesiam parochialem, eligitur ad sepulturam, non debetur parochiæ relictæ nisi quarta pars, quin distinguatur utrum officium in ecclesia tumulante celebretur a parocho vel ab alio. Ita S. Congr. Conc. pluries, v. g., in *Asculana*, 8 et 29 aug. 1733, ad 3[4]; — et in cit. *Viterbien.*, ad 4.

5° Prædicta valent quando fidelis tumulandus in dicta ecclesia est *subjectus parocho, in cujus territorio hæc ecclesia sita est;* quid vero dicendum, quando fidelis tumulandus, non est subjectus isti parocho? — Quidam dicunt tunc etiam officium celebrandum esse a parocho; ita Samuel, *De sepulturis*[5], et recentius Moulart[6], ex deci-

[1] *Thesaurus*, t. LXXXVI, p. 201, 222; — cf. etiam *folium* causæ *Faventinæ*, 17 julii 1773; *Thesaurus*, t. XLII, p. 100.

[2] S. C. C., in cit. *Viterbien.*, ad 3.

[3] *Decreta auth.*, n. 523, t. I, p. 128.

[4] *Thesaurus*, t. VI, p. 155, 163.

[5] Apud Monacelli, *loc. cit.*, n. 75.

[6] *De sepultura*, p. 223.

sione S. C. C., in *Faventina*, 17 julii 1773 et 14 maii 1778, ubi revera, ad 5, hoc expresse decernit[1]. Verum hoc valde dubium videtur, quia ad hoc celebrandum officium supra corpus *non parochiani* nullum jus habet parochus, nec ex *parochialitate*, ut patet, nec ex *electione*, quæ soli favet ecclesiæ tumulanti. Revera præfata oratoria publica non sunt subjecta parocho nisi quoad jura parochialia, ut dictum est in tit. *De oratoriis*, n. **74**, et ut expresse docet Benedictus XIV, *Inst.*, CV, n. 108; porro parochus nullum jus habet parochiale super non parochianum. Nec obstat cit. *Faventina*, quia in loco aderat *consuetudo immemorabilis*, vi cujus parochus officium funebre celebrabat etiam supra corpus *non parochiani*[2]; porro, juxta hanc consuetudinem respondere potuit et debuit S. Congr. Conc. — Unde, salvis consuetudinibus aut statutis localibus, dicendum videtur in casu officium pertinere ad rectorem ecclesiæ tumulantis, non ad parochum[3].

IV. De quarta funerali

201. — Notio quartæ funeralis[4].

1° *Quarta funeralis* est *aliqua pars proprio parocho defuncti solvenda ex bonis quæ occasione funerum ecclesiæ tumulanti, a parochiali diversæ, obveniunt.* Hæc notio desumitur ex capitibus juris infra referendis. Hujus autem ratio facile patet; parochus enim proprius parochianum per hujus vitam cælesti sacramentorum et doctrinæ pabulo

[1] *Thesaurus*, t. XLII, p. 95; t. XLVII, p. 60.

[2] Ut constat ex *folio* causæ; *Thesaurus*, t. XLII, p. 102.

[3] Ad hanc opinionem amplectendam propensus videtur Monacelli, *loc. cit.*, n. 76.

[4] Non agimus nisi de quarta funerali *parochiali;* nam quarta *episcopalis* ubique est in desuetudinem lapsa (de qua cf. Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 60-63).

reficit, ut dicitur cap. *Nos instituta*, 1, De sepulturis, et cap. *Cum quis*, 2, eod. tit., in VI; cum ergo dignus sit operarius mercede sua, ut dicitur eisdem locis et cap. *Dudum*, 2, De sepulturis, Clem., æquum est, si parochianus in morte deserat ecclesiam suam parochialem, et alium eligat locum sepulturæ, ut aliqua pars bonorum quæ, occasione ejus funerum, huic alienæ ecclesiæ obvenient, ecclesiæ suæ propriæ in compensationem tribuatur.

2° Hæc pars diversis nominibus appellata est : modo *portio canonica* (cap. *De his*, 4, De sepulturis, et cap. *Cum quis*, 2, eod. tit., in VI), quia per sacros canones instituta fuit ; — modo *quarta portio* (cap. *Cum super*, 8, eod. tit., et cap. *Dudum*, 2, eod. tit., Clem.), quia solet esse quarta pars bonorum oblatorum ; — modo *quarta funeralis* seu *funeralium* (Conc. Trid., cap. *Decernit*, 13, sess. XXV, De ref.), quia est pars bonorum *ex funere* obvenientium); — modo *justitia* (cap. *Certificari*, 9, eod. tit.), quia ex *æquitate canonica*, in *justam* laboris parochi *mercedem*, constituta est.

3° Hanc autem quartam funeralem non esse recentis institutionis patet ex cap. *Nos instituta*, 1, eod. tit., ubi Leo III (795-816) eam refert ad antiquam patrum disciplinam, dicens : « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. »

4° Hæc pars, ut dicitur in capitibus relatis, solvitur ex bonis ecclesiæ tumulanti ex funere obvenientibus, et proinde ab ista ecclesia, ut etiam diserte declaratur in cit. cap. *Dudum*, non vero ab herede, ita ut res sit tantum cum ecclesia tumulante et non cum herede, ut etiam non semel deciderunt Romanæ Congregationes[1].

[1] S. Congr. Ep. et Reg., an. 1615, et S. Congr. Conc., apud Ferraris, v° *Quarta*, n. 35, et Monacelli, part. I, tit. XIV, form. 1, n. 14, t. II, p. 117.

202. — Casus in quibus debetur quarta.

1° Debetur quarta, quando parochianus, relicta ecclesia parochiali, *eligit* sepulturam in alia ecclesia. — Ita expresse jubetur, imo sub anathematis vinculo, in cap. *Nos instituta*, 1, De sepulturis, supra relato, n. **190.** Ecclesia ergo electa tenetur solvere quartam parocho proprio.

2° Debetur quarta, quando parochianus sepelitur in sepulcro majorum, quod sit in alia ecclesia, præter propriam parochialem. — Deducitur ex eod. cap. *Non instituta*, tum propter identitatem rationis; — tum quia hæc verba: *Sed quia dignus est operarius mercede sua*, etc., referuntur ad utrumque casum a Leone III expressum, nempe sepulturam majorum et sepulturam electam; — tum quia sepultura majorum est vere sepultura electa, non quidem a proximo defuncto, sed ab ejus majoribus. Ita omnes, nemine discrepante. — Idem dicas de casu quo uxor sepelitur in sepulcro viri.

3° Debetur quarta, quando, juxta supradicta in cap. v, § 1 (n. **177** sq.), canonicus vel alius clericus, ecclesiæ cathedrali vel collegiatæ addictus, in sepulcro canonicis et clericis reservato sepelitur, in detrimentum suæ propriæ ecclesiæ parochialis. — Nam: 1. *tale sepulcrum omnino assimilandum est sepulcro majorum;* est enim quasi sepulcrum majorum in ordine spirituali, et militat eadem ratio ac pro sepulcro majorum proprie dicto; — 2. *Constans est jurisprudentia S. Congr. Conc.*, quod in hoc casu solvenda sit quarta parocho domicilii; sic enim respondit in *Tiburtina*, 12 maii 1685, ad 3; — in *Narnien.*, 26 sept. 1699, ad 5[1]; — in *Avenionen.*, 1 et 22 martii 1766, ad 2[2]; — in una *Sancti Miniati*, 15 sept. et 24 nov. 1821, ad 2[3], in

[1] Hæc responsa referuntur in *Thesauro S. C. C.*, t. xxxv, p. 49.
[2] *Thesaurus*, t. xxxv, p. 45, 57.
[3] *Ibid.*, t. lxxxi, p. 308, 315.

qua respondit parochum ecclesiæ cathedralis jus habere tumulandi in cathedrali *canonicos aliosque choro addictos* « quatenus adsit (in cathedrali) *sepulcrum pro addictis chori servitio*, vel sepulcrum majorum, vel illud ipsi in cathedrali elegerint, requisito tamen parocho domicilii pro associatione, et *salva eidem quarta funeris*, in quantitate juxta consuetudinem loci »; — 3. Benedictus XIII, in bulla *Romanus Pontifex*, 4 kal. maii 1725, § 4[1], exponens disciplinam canonicam de quarta debita, jubet eam solvi « quotiescumque defunctus extra suam parochialem ecclesiam tumuletur vel exponatur[2], sive quia *in ecclesia tumulante vel exponente beneficium obtinuerit*, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulturam elegerit[3] ».

4° Debetur quarta, quando fidelis moritur in parochia aliena quin commode deferri possit ad propriam parochiam; tunc quidem sepelitur in parochia, in qua moritur, sed hæc parochia debet quartam ecclesiæ parochiali. — Hoc quidem nullo jure scripto expresse cavetur, sed tantum, *ob identitatem rationis*, deducitur ex allegatis textibus; et ita communis opinio doctorum : Barbosa, Schmalzgrueber, Leurenius, Ferraris, etc., cum multis quos allegant, et, inter recentiores, Moulart, Berardi, etc.[4]. Alicubi tamen consuetudo est ut in hoc casu nihil solvatur (cf. Bened. XIV, *Inst.*, CV, n. 44). — Quod si parochus loci

[1] *Bull. Rom.*, t. XII, p. CXVIII.

[2] Jure communi, ecclesia *exponens* (nempe in qua celebratur officium funebre coram cadavere *exposito*) est etiam ecclesia *tumulans*, licet hodie plerumque tumulet in cœmeterio publico.

[3] Hæc bulla, quatenus supprimit privilegia non solvendi quartam, restringitur ad Italiam insulasque adjacentes; sed quatenus exponit jus commune, optimam hujus interpretationem præbet.

[4] Barbosa, *De parocho*, c. XXV, n. 26; — Schmalzg., in tit. *De sepult.*, n. 84; — Leurenius, *Forum Benef.*, part. I, q. CDLVIII, n. 2-3; — Ferraris, v° *Quarta*, n. 7; — Moulart, *De sepultura*, p. 245; — Berardi, *De parocho*, n. 814, Faventiæ, 1890, p. 265-266.

in quo fidelis decessit, indebite mortuum sepelivit, quia nempe deferri poterat ad propriam ecclesiam parochialem, tunc, non quarta pars, sed omnia emolumenta parocho proprio restituenda sunt[1].

5° Quando quis habet duo domicilia et sepelitur in tertio loco (ob unam e supradictis causis), tunc quarta debetur duobus parochis, aut potius una quarta solvenda est, quæ æqualiter dividi debet inter duos parochos. — Ita expresse in cap. *Cum quis*, 2, De sepulturis, in VI. Quod jussit fideliter observari S. Congr. Conc., in *Arriminen.*, 29 nov. 1851[2].

6° Parochus proprius nunquam solvit quartam, nec proinde quicumque venit nomine parochi proprii, v. g., prior conventus regularis relative ad Regulares, novitios, aliosque de quibus supra (n. **180** sq.) dictum est, confessarius monialium relative ad moniales et ad eas quæ sunt de familia monialium, capellanus hospitalis exempti, etc. — Non excipitur nisi casus ille extraordinarius, de quo supra (n. **191**), quo nempe funus fieret in ecclesia parochiali, et tumulatio in altera; tunc parochus, ut ibidem dictum est, deberet quartam ecclesiæ tumulanti; sed illa non est *quarta* proprie dicta, de qua agunt canones.

7° Quando agitur de *vago*, non debetur *quarta*, in casu qui sequitur. *Vagus* quidem, ut supra dictum est (n. **72**, 4°), sepeliri debet in parochia in qua moritur; attamen, si in alia parochia elegerit sepulturam vel (quod aliquando contingere potest) habuerit sepulcrum majorum, in hac alia parochia sepeliri debet. Porro, in hoc casu, ecclesia tumulans non tenetur quartam solvere parochiæ in qua vagus mortuus est; quia jus canonicum non instituit quartam,

[1] Licet S. Congr. Conc., in una *Sancti Severini*, 14 sept. 1878, tres tantum quartas partes in simili casu restitui jusserit, forsan quia parochus sepeliens non sine aliqua bona fide egerat (*Thesaurus*, t. cxxxvii, p. 540).

[2] *Thesaurus*, t. cx, p. 330-336.

nisi in favorem parochi domicilii aut ad summum *quasi-domicilii*, in compensationem curæ pastoralis : quæ locum non habent, ubi agatur de parocho *vagi*.

203. — Ecclesiæ quæ tenentur solvere quartam. — *Ecclesiæ omnes, sive regulares, sive sæculares, tenentur solvere quartam* ecclesiæ parochiali, quando nempe adest unus ex quatuor supradictis casibus, qui generant obligationem solvendi quartam. — Ratio est *generalitas verborum* in cit. cap. *Nos instituta*, 1; *Cum super*, 8; *Certificari*, 9, De sepulturis, et *Cum quis*, 2, eod. tit., in VI. Hi enim textus generaliter loquuntur, nec ullam excipiunt ecclesiam a solutione quartæ. — Attamen, *de facto*, multæ ecclesiæ excipiuntur sive *privilegio pontificio*, sive *consuetudine aut præscriptione*.

1° *Privilegio Sanctæ Sedis*. — Multa enim monasteria, immo Ordines integri, a Romanis Pontificibus *privilegium* receperunt non solvendi quartam; de quibus privilegiis hæc dicenda :

a. Jure Tridentino (cap. *Decernit*, 13, sess. XXV, De ref.), omnia monasteria (seu alia loca pia) quæ « ante annos quadraginta », nempe anno 1523, solebant solvere quartam, eam deinceps solvant, nonobstantibus privilegiis quæ forsan interim (nempe inter annos 1523 et 1563) recipere potuerint, quæ proinde privilegia annullantur. — Non tamen agitur de monasteriis post annum 1523 fundatis, si pertineant ad Ordinem, qui rite sit exemptus a solutione quartæ, juxta authenticam interpretationem tum S. Pii V, in const. *Etsi mendicantium*, 16 maii 1567, § 2, n. 11[1],

[1] *Bull. Rom.*, t. IV, part. II, p. 376. Licet Gregorius XIII, const. *In tanta*, 1 martii 1573 (*Bull. Rom.*, t. IV, part. III, p. 251) præfatam bullam S. Pii V reduxerit ad terminos juris communis, non tamen ei derogavit in re præsenti, ubi agitur de mera interpretatione conc. Trid.

— tum Pauli V, const. *Decet Romanum*, 20 aug. 1605 [1], in qua approbat et confirmat decisionem S. Congr. Conc., textum Tridentinum eodem modo interpretantis, in favore Ordinis Carmelitarum.

b. Verum, post ætatem conc. Trid., de novo privilegia non solvendi quartam multis monasteriis concessa sunt, ita ut his omnino standum sit. — Benedictus XIII, const. *Romanus Pontifex*, 4 kal. maii 1725 [2], omnia quælibet privilegia non solvendi quartam suppressit annullavitque, *sed tantum pro Italia et insulis adjacentibus.*

2° *Consuetudine* vel *præscriptione.* — Quod, vi consuetudinis aut præscriptionis, minui possit aut etiam totaliter aboleri obligatio solvendæ quartæ, nemini dubium esse potest, modo consuetudo et præscriptio debitis vestiantur condicionibus. De facto cessavit obligatio quartæ multis in locis, præsertim in Gallia [3].

204. — De quibusnam oblationibus aut bonis solvenda sit quarta.

1° *Declaratio quæsiti.* — Occasione funeris, plura diversæ speciei bona obveniunt ecclesiæ funeranti : sic, juxta taxam diœcesis aut liberalitatem fidelium, emolumenta parocho, clero et fabricæ solvuntur; oblationes fiunt ad altare aut ad collectas; cerei deferuntur aut ponuntur circa feretrum, ad altare aut alibi; solvitur taxa pro panno, velis (*tentures*), etc.; item emolumenta solvi possunt pro missis celebrandis die tertio, septimo, tricesimo, aut anniversariis; varia fiunt relicta pia pro ornamentis, lumine, etc. Quæritur ergo ex quibusnam harum

[1] *Bull. Rom.*, t. v, part. III, p. 150.

[2] *Ibid.*, t. XII, p. CXVI.

[3] Non tamen in tota Gallia; nam hic, Parisiis, viget usus quartæ funeralis.

oblationum detrahenda sit portio canonica seu quarta funeralis.

2° *Principium generale.* — Hoc principium ponitur in cap. *In nostra*, 10, De sepulturis, cum temperamento adducto in cap. *De his*, 20, De testamentis. In priori dicitur : « Parœcialis ecclesia de *oblationibus, lectis* (legs), *et aliis quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit*,... recipiat quartam partem: » in altero autem : « De his quæ in *ornamentis*, vel pro eis, seu *fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die sive aliis*, ad perpetuum cultum divinum legantur ecclesiis, canonica portio, dummodo in fraudem non fiat,... deduci non debet. »

3° *Applicatio principii :* 1. Deduci debet quarta funeralis ex iis omnibus emolumentis aut oblationibus quæ acquiruntur ecclesiæ funeranti pro ipso funere aut occasione funeris (emolumenta parochi, cleri et fabricæ: oblationes quæcumque ad altare aut collectas: cerei: taxa pro panno, velis, etc.): — 2. Deduci non debet ex relictis aut oblatis pro exsequiis die tertio, septimo, etc., celebrandis, nec pro anniversariis; quod declaravit etiam S. Rit. Congr., in *Constantien.*, 24 julii 1638[1]; — 3. Deduci non debet, a fortiori, ex relictis pro ornamentis, luminaribus, etc., et in genere pro cultu divino. — Nec obstat contra duas posteriores conclusiones cap. *Dudum*, 2. De sepulturis, Clem., quod jubet solvi quartam « de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam *quibuscumque et quomodocumque relictis, distincte vel indistincte*, etc... » : nam hoc caput, quod est onerosissimum pro ecclesiis tumulantibus, debet, quia est correctivum juris communis (nempe cit. cap. *In nostra*, et cap. *De his*),

[1] *Decreta auth.*, n. 649, t. 1, p. 150.

restringi ad solos Fratres Prædicatores et Minores, de quibus loquitur. Ita Glossa, in cap. *Dudum*, v° *De jure*[1], quam communiter secuti sunt doctores[2].

4° *Notanda :* 1. Non omnes cerei acquiruntur ecclesiæ tumulanti et subjacent detractioni quartæ; nam illi cerei quos manu deferunt sacerdotes aut clerici, sæculares aut regulares, vel etiam sodales confraternitatum quæ fuerunt ad funus invitatæ, pertinent ad singulos gestantes: quod fuit pluries declaratum a Romanis Congregationibus[3], immo (pro Italia) a Benedicto XIII in cit. const. *Romanus Pontifex*, § 4; — 2. Si funus, non die tumulationis, sed alia fiat (licet, die tumulationis, non desint minores exsequiæ), quarta funeralis de hujus etiam funeris emolumentis solvi debet, quia sunt vere *emolumenta funeralia*, et ne fraus parochis fiat; ita etiam declaravit Benedictus XIII, loc. cit.[4]; — 3. Multum defertur hac in re localibus consuetudinibus, quia, sicut consuetudo determinat *quotam partem* solvendam, ut statim dicemus, sic et determinat res ex quibus solvenda sit ista pars : quod notant omnes doctores[5].

205. — De quantitate quartæ funeralis.

1° *Quoad hanc quantitatem determinandam, attendi debet ad consuetudinem.* — Constat clare cap. *Certificari*, 9, De sepulturis, ubi Clemens III, enumeratis variis juridicis determinationibus, sic concludit : « ... Unaquæque

[1] Ed. Lugduni, 1671, in Clementinas, p. 191.

[2] Videas Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 53 (contra vero Leurenius, *loc. cit.*, q. CDLV). — Cæterum ipsi Prædicatores et Minores, de quibus agit cap. *Dudum*, impetraverunt novas exemptiones cum derogatione hujus capitis (Giraldi, sect. CDXCVIII, p. 326).

[3] Apud Ferraris, v° *Quarta*, n. 20.

[4] Cf. etiam *Acta S. Sedis*, t. v, p. 604-605.

[5] Cf. Reiffenstuel, in tit. *De sepulturis*, n. 52.

provincia *in suo sensu abundet; secundum rationabilem consuetudinem regionis*, illa justitia circa medietatem, vel tertiam aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur [1]. »

2° *Absente consuetudine, portio canonica videtur esse debere quarta pars emolumentorum et oblationum*, de quibus supra. — Ratio est tum quia, licet jura memorent etiam tertiam aut mediam partem, attamen sæpius memorant quartam (v. g., cap. *Certificari*, 9; cap. *In nostra*, 10, De sepulturis; cap. *Dudum*, 2, eod. tit., Clem.); — tum quia hoc confirmari videtur ab ipso conc. Trid., cit. cap. *Decernit*, 13, sess. XXV, De ref. Unde etiam nomen *quartæ funeralis* [2].

[1] Parisiis, portio canonica est media pars emolumentorum et oblationum funeralium. Attamen, ob specialia adjuncta, pars quæ solvitur pro curru funebri, velis, etc., non ingreditur in computationem quartæ, sed integre acquiritur parochiæ loci decessus. — Cf. *Statuts synodaux du diocèse de Paris*, Paris, 1902, art. 99, p. 67.

[2] Ita Reiff., *ibid.*, n. 18.

CAPUT VII

DE INSTITUTIONE CŒMETERIORUM PUBLICORUM, RELATIVE AD JURA ECCLESIARUM PARTICULARIUM

206. — Declaratio quæsiti; difficultates.

1° *Jus sepulturæ,* ut dictum est, complectitur duo præcipua jura, *jus funerandi* stricte dictum, nempe jus *officium funebre* (cujus pars est missa) *peragendi super cadavere defuncti*, et *jus sepeliendi* item stricte dictum, nempe *jus deponendi corpus in loco sepulturæ.* Porro ecclesiæ particulares, quæ fruuntur jure sepulturæ, v. g., ecclesiæ parochiales, regulares, cathedrales, etc., per multa sæcula usæ sunt *jure sepeliendi* in *propriis cœmeteriis*, ad se exclusive pertinentibus, quæ plerumque contigua erant ipsi ecclesiæ; quod si quando remota erant (ut supponit cap. *Si ecclesiam*, 1, De consecratione ecclesiæ, in VI), erant tamen omnino propria ipsarum ecclesiarum, ita ut fere ecclesia cum suo cœmeterio identificaretur.

2° Verum, labente sæculo XVIII, et initio sæculi XIX, in multis nationibus, lege civili suppressa sunt omnia cœmeteria particularia, et erecta ubique, præsertim in urbibus et oppidis, *publica* seu *communia* cœmeteria, in quibus

nempe omnes cives sepeliri debuerunt. Ita in Gallia, *decreto* de sepulturis, 12 junii 1804 (23 prairial an XII), art. 1, 2[1]. Ita etiam, an. 1817, in ipsa ditione pontificia, lato edicto a Congregatione Consultationis, auctoritate Pii VII[2].

3° Quæritur ergo num, ista erectione communis cœmeterii, ecclesiæ non parochiales privatæ sint jure *passivæ electionis,* jure nempe ut eligantur tanquam ecclesiæ *funerantes;* item num ecclesiæ quælibet, quæ habent sepulcra gentilitia, jure privatæ sint celebrandi *funera* eorum fidelium, quorum hæc sint sepulcra, si moriantur sine electione sepulturæ.

4° Difficultas venit ex eo quod præfatæ ecclesiæ privatæ sunt *jure sepeliendi;* non habent enim amplius cœmeterium proprium. Porro, suppresso jure sepeliendi, eo ipso cessat jus funerandi; jus enim sepeliendi est *principale*, jus funerandi *accessorium;* porro, juxta reg. 42 juris in VI : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » Dubitari autem nequit quin jus sepeliendi sit *principale;* ratio enim propter quam fideles eligebant, ut locum sepulturæ, talem ecclesiam, regularem vel sæcularem, non erat ipsum funus aut officium funebre, quod idem est in omnibus ecclesiis, sed devotio erga talem ecclesiam, tales sanctos, quibus consecrata erat ecclesia, vel affectus aut gratitudo erga personas, etc., vi cujus valde cupiebant suos cineres ibi deponi, ubi sperabant se devotorum precibus et meritis adjuvandos esse apud Deum. — Ita dixerunt multi parochi, et etiam plures episcopi, in variis causis (infra allegandis), quæ hac de re delatæ sunt ad

[1] *Bulletin des lois,* 4e série, n. 25, p. 75.

[2] Quod edictum sæpe memorant et referunt *folia* causarum *De sepulturis* apud S. Congr. Conc., v. g., in *Camerinen.*, infra alleganda; *Thesaurus,* t. LXXXI, p. 190-191.

S. Congr. Concilii. Unde etiam, juxta de Angelis, « non habente amplius locum sepulturæ electione, inutilia reddita sunt illa privilegia tumulandi concessa ecclesiis non parochialibus [1]. »

207. — Jurisprudentia Sacrarum Congregationum Romanarum. — *Juxta plurimas decisiones Sacrarum Congregationum Romanarum, ex institutione cœmeteriorum communium, nihil juridice mutatum est quoad jura canonica ecclesiarum particularium, ita ut fideles adhuc eligere possint ecclesiam quamlibet pro suis funeribus explendis, et ecclesiæ habentes sepulcra gentilitia adhuc jure fruantur explendi funera horum fidelium, quorum hæc sunt sepulcra, si moriantur absque electione alterius ecclesiæ.* — Constat :

1° *Pro Sacra Congregatione Concilii*, enumeratione præcipuarum causarum :

a. In *Camerinen., Sepulturæ*, quæ fuit pluries proposita, ad maturiorem et pleniorem deliberationem, 20 nov. 1819, 18 dec. 1819, 23 junii 1821, 24 nov. 1821 [2]. In hac decisum est, ecclesiam habentem sepulcrum gentilitium, adhuc frui (non obstante erectione cœmeterii publici) jure explendi funera fidelium, quorum erat hoc sepulcrum, et percipiendi emolumenta funeris, excepta quarta funerali.

b. In *Derthonen., Spolii*, 24 martii 1821, 14 apr. 1821, ad 4 [3] In hac decisum est capitulo collegiatæ concedendam esse manutentionem in possessione juris peragendi exsequias in propria ecclesia, et percipiendi emolumenta juxta solitum, non obstante constitutione publici cœmeterii, in casu.

[1] In tit. *De sepulturis*, n. 3, Romæ, 1879, t. II, part. 2, p. 12.
[2] *Thesaurus*, t. LXXIX, p. 333, 342; t. LXXXI, p. 189, 317.
[3] *Ibid.*, t. LXXXI, p. 105, 128.

c. In *Ariminen., Funerum*, 16 junii 1827, ad dubia 3, 4, 5[1]. In hac decisum est ecclesiam regularem, quam fideles elegerant ad *funera* explenda, et quæ habebat sepulcra gentilitia, servare omnia jura, non obstante cœmeterio publico, et proinde posse adhuc funera explere et emolumenta percipere, excepta quarta.

d. In *Forolivien., Funerum*, 26 jan. 1833[2]. In hac etiam decisum est, ecclesiam regularem servare omnia sua jura, ratione *electionis* aut *sepuleri gentilitii*, sicut ante erectionem cœmeteriorum.

e. In *Æsina, Juris funerandi*, 26 nov. 1864[3]. In hac decisum est, ecclesiam regularem, habentem sepulcrum gentilitium, servare omnia jura, et parochum, qui funus indebite peregerat, teneri ad restitutionem omnium emolumentorum, excepta quarta.

f. In una *Civitatis Castelli, Juris funerandi*, 16 feb. 1867[4]. In hac decisum est, adhuc hodie fideles eligere posse ecclesiam non parochialem, ad explenda funera sua, licet corpus sepeliri debeat in communi cœmeterio, et rejectæ sunt querimoniæ parochi domicilii.

g. In *Forolivien., Juris funerandi*, 16 sept. 1871[5]. In hac decisum est ecclesiam regularem adhuc frui jure funerandi; ita ut ad ejus rectorem spectet officium funebre peragere super cadaveribus defunctorum in eadem sepulcrum gentilitium habentium, emolumentaque percipere.

h. In *Urbinaten., Funeris*, 14 aug. 1875[6]. In hac decisum est, ut ecclesia regularis jure electionis passivæ frua-

1 *Thesaurus*, t. LXXXVII, p. 104.
2 *Ibid.*, t. XCIII, p. 14.
3 *Ibid.*, t. CXXIII, p. 485.
4 *Ibid.*, t. CXXVI, p. 82, præsertim, p. 86, § *Hæc sunt*.
5 *Ibid.*, t. CXXX, p. 657.
6 *Ibid.*, t. CXXXIV, p. 675, præsertim 678-679.

tur, nullo modo requiri, ut in cœmeterio communi locum separatum acquirat, in quo sepeliat eligentes.

i. In *Ariminen.*, *Funerum*, 22 aug. 1885 et 23 jan. 1886[1]. In hac decisum est, ecclesias non parochiales, habentes sepulcra gentilitia, omnia sua jura servare, « sive familia non emerit, *vel etiam si emerit sepulcralem arcam in publico cœmeterio*[2]. »

2° *Pro Congr. Episcoporum et Regularium;* sufficiat allegare duas præcipuas causas recentiores :

a. In una, *Juris funerandi*, 6 maii 1870, inter Regulares et parochum[3]. In hac causa decisum est, Regulares alicujus conventus omnia sua jura, ratione sive electionis passivæ, sive sepulcri gentilitii, sive localis cujusdam consuetudinis, servasse, non obstante erectione publici cœmeterii, et parochum, qui hæc jura pluries violaverat, teneri ad restitutionem emolumentorum.

b. In *Jacen.*, 24 feb. 1888[4]. Idem decisum est quoad aliquam ecclesiam regularem, quæ sua jura servat erga fideles qui eam eligunt ad explenda funera vel in ea habent majorum sepulcrum.

3° Ex his ergo omnibus conclusio eruitur, nempe, juxta duas præfatas Congregationes, omnes ecclesias particulares jura sua servasse, non obstante erectione cœmeterii publici; — fideles adhuc posse quamlibet ecclesiam eligere pro funeribus explendis; — imo, si in aliqua ecclesia habeant sepulcrum majorum et moriantur non electa sepultura, in hac eorum funera debere expleri; — tandem ecclesiam electam, aut habentem sepulcrum gentilitium, adhuc posse jus suum sepeliendi exercere, non quidem in proprio

[1] *Thesaurus*, t. CXLIV, p. 468; t. CXLV, p. 44.

[2] Decisio, quoad hanc alteram partem, videtur data fuisse ob peculiaria adjuncta, de quibus vide locum alleg. in *Thesauro*. Cf. infra, n. **208**, 2°.

[3] *Acta S. Sedis*, t. V, p. 562-570.

[4] *Ibid.*, t. XX, p. 580-592.

cœmeterio, sed in publico, ita ut jus sepeliendi penes ecclesias adhuc maneat, solusque materialis locus sepulturæ mutatus sit. Hæc theoria quæ his fere verbis legitur in *folio* causæ *Ariminensis*, 14 maii 1825, § *Animadvertendum*[1], centies postea repetita fuit, et juxta ipsam semper occurrentes casus resolvere duæ præfatæ Congregationes[2].

4° Argumenta autem quæ sæpius allata sunt ad inducendam et firmandam hanc jurisprudentiam, sunt hæc :

a. Jura variis ecclesiis quæsita, præsertim jure canonico sancita, nemo tollere potest, nisi Romanus Pontifex ; proinde lex civilis, cœmeteria publica instituens, hanc in curiis ecclesiasticis interpretationem et applicationem recipere debuit quæ melius servarent jura ecclesiarum.

b. Duo jura *funerandi* et *tumulandi*, licet inter se connexionem habeant, attamen inter se distincta sunt, nec unum est accessorium, et alterum principale ; sed sunt duo jura æque aut fere æque principalia, quæ aliquando, vi transactionis aut consuetudinis, ab invicem separata sunt, et diversis ecclesiis attributa[3] ; quæ separatio fieri etiam potest voluntate testatoris, ut est casus in decisione S. Rit. Congr., in *Sutrina*, 7 dec. 1844, et 14 junii 1845[4]. Revera hic affectus gratitudinis, benevolentiæ aut religionis, qui testatorem inclinare solet ad eligendam aliquam ecclesiam, ut *tumulantem*, eum inclinare legitime potest ad eligendam ecclesiam, etiam pro solis funeribus explendis. Ergo, etiam suppresso jure tumulandi, suppressum dici nequit jus funerandi.

[1] *Thesaurus*, t. LXXXV, p. 116.

[2] Cf. etiam *votum* Santi apud *Acta S. Sedis*, t. XV, p. 553-558, præcipue, p. 555.

[3] V. g., in civitate Ariminensi, ut patet ex allegata causa *Ariminensi*, 22 aug. 1885.

[4] *Decreta authentica*, n. 2881, 2899, t. II, p. 322, 329. — Cf. etiam supra, n. **191.**

c. Immo dici nequit præfata lege suppressum fuisse *jus tumulandi* pro ecclesia non parochiali; si enim dicatur suppressum pro ecclesia non parochiali, suppressum etiam dici debet pro ecclesia parochiali; hac enim in re, utraque pari gradu procedit; idem enim canonice jus tumulandi (licet ex diverso fonte) ad utramque pertinet, et utraque, lege civili, prohibita est in suo proprio cœmeterio sepelire. Remanet ergo utrique jus tumulandi, sed in publico cœmeterio. Si autem recte loqui velimus, hoc jus tumulandi oritur ex stricto jure quod nunc habent *cives*, ut nempe sepeliantur in cœmeterio quod municipium sumptibus communitatis erexit; ad hoc autem jus exercendum, cives *catholici* deputant et eligunt ecclesiam quæ illos sepeliat, alii ecclesiam parochialem, alii ecclesiam non parochialem, unusquisque pro sua devotione; et sic, in hodiernis adjunctis, oritur pro utraque ecclesia jus tumulandi in cœmeterio publico.

208. — Prædictæ solutiones applicantur præsentibus adjunctis ecclesiarum Galliæ.

1° *Quoad jus electionis ecclesiæ funerantis.* — In Gallia, fideles adhuc eligere possunt, ad funera sua explenda, ecclesiam quamlibet, præter ecclesiam suam parochialem, v. g., aliam ecclesiam parochialem, vel etiam non parochialem, ecclesiam regularem, etc., cujus rector officium funebre præsente corpore celebrabit, et deinde ducet corpus in cœmeterium publicum. — Constat: 1. *Præfata Sacrarum Congregationum Romanarum jurisprudentia*, quæ, quod nemini difficiliter aut in dubium revocare liceat, legitimam præbet interpretationem legum canonicarum de jure sepulturæ; — 2. *Usu recepto, etiam præscindendo ab erectione cœmeteriorum publicorum;* si enim, ut superiori numero dictum est, fideli testanti licuerit, sub antiqua disciplina

cœmeteriorum particularium, aliam ecclesiam *funerantem*, aliam *tumulantem* eligere, a pari, immo a fortiori, nunc licet fideli, relicta ecclesia parochiali, aliam ecclesiam pro funeribus explendis eligere.

Nec dicas hoc jus electionis alterius ecclesiæ (præter propriam ecclesiam parochialem) *penitus obsolevisse* in Gallia. — Nam :

1. Difficultas non valet nisi pro ecclesiis *regularibus;* nam pro aliis, v. g., ecclesiis sæcularibus et præsertim parochialibus, non raro fideles testantes, immo etiam ipsi heredes[1], relicta propria ecclesia parochiali, aliam parochialem eligunt ad celebranda funera.

2. Fatendum est nunc in Gallia fideles rarissime (si unquam) eligere ecclesiam regularem ad celebranda funera ; sed inde non sequitur obsolevisse jus Regularium ; nam :

a. Cum hic agatur, non tantum de consuetudine, sed de vera præscriptione, demonstrandum est hanc consuetudinem habere omnia requisita præscriptionis, et, inter alia, perdurasse interruptam et placidam per quadraginta annos, et quidem pro hoc determinato monasterio.

b. Difficillime valebit præscriptio hujusmodi ; nam non nititur nisi *omissionibus electionum* per longum tempus, id est, *actibus mere negativis et facultativis;* porro actus mere *negativi* et *facultativi* nunquam sufficiunt ad inducendam præscriptionem.

c. In memoriam revocandum est Regulares ipsos, post fundatum monasterium, non posse renuntiare juri electionis passivæ, sine beneplacito apostolico (cf. supra, n. **157**).

2° *Quoad sepulcra gentilitia,* hæc dicenda :

[1] Quamvis his, nempe heredibus, non liceat, ut supra dictum est, n. **170.**

a. Non habetur amplius ratio veterum sepulcrorum gentilitiorum, quæ erant in ecclesiis aut cœmeteriis particularibus, propter tria præcipue : 1. Propter antiquitatem institutionis cœmeteriorum publicorum, quæ retrogreditur ad annum 1804 ; — 2. Quia pleræque ecclesiæ, saltem non parochiales (v. g., ecclesiæ regulares), in perturbatione rerum publicarum an. 1790, devastatæ fuerunt, divenditæ, aut saltem in aliam formam aut usum mutatæ ; unde derelicta fuerunt sepulcra gentilitia, quæ ibi erant ; — 3. Quia plerumque familiæ quæ habebant sepulcra gentilitia in ecclesiis aut cœmeteriis particularibus, alia sibi coemerunt in cœmeteriis publicis ; porro hæc acquisitio novi sepulcri gentilitii subvertit jus ecclesiæ, in qua erat vetus sepulcrum ; semper enim licuit alicui fideli, habenti sepulcrum majorum in una ecclesia, aliud emere sibi suisque in alia ecclesia ; unde perit jus prioris ecclesiæ.

b. Si fidelis, in cœmeterio publico suæ civitatis aut oppidi, acquirat sepulcrum sibi suisque, *nihil disponens de ecclesia funerum*, ejus funera celebrari debent in ejus ecclesia parochiali ; pariter ejus heredes sepeliuntur in illo sepulcro familiari, sed singulorum funera celebranda sunt in singulorum ecclesiis parochialibus ; — si fidelis, in cœmeterio civitatis aut oppidi *non sui*, habeat sepulcrum majorum, ejus funera celebranda sunt in ecclesia parochiali hujus oppidi ; quod si plures sint ecclesiæ parochiales, dicendum est ut sequitur.

209. — Quæritur : 1° *Quid dicendum de casu quo cœmeterium designatum est, non vero ecclesia funerans.* — Fieri potest, in Gallia aut alibi, ut fidelis sepeliri debeat in cœmeterio alicujus civitatis aut oppidi plures habentis parochias. In hoc enim cœmeterio habet sepulcrum majorum, vel in hoc sibi elegit sepulturam. Quænam ergo erit

ecclesia funerans, cum nullam, ex hypothesi, elegerit fidelis? Supponimus fidelem defunctum fuisse *extra civitatem*, et ad eam deportatum fuisse, v. g., ut fieri solet, per vias ferreas.

1° Si fidelis habeat, in aliqua parochia hujus civitatis, domicilium aut quasi-domicilium, clerus hujus parochiæ jus habet levandi corpus in loco ubi fuerit depositum (v. g., in statione viæ ferreæ), illud deferendi ad ecclesiam parochialem, ut ibi fiant preces aut officia ab heredibus requisita, et inde ad locum sepulturæ. Quæ omnia patent ex dictis.

2° Si fidelis sit omnino extraneus huic civitati, major est difficultas : 1. Alii dicunt parochum territorii, in quo deponitur corpus, jus habere funerandi, juxta ea quæ supra (n. **172**, 3°) dicta sunt de peregrinis *mere transeuntibus*[1]; — 2. Alii contendunt hoc jus pertinere ad *ecclesiam cathedralem* (si agatur de civitate episcopali), juxta ibidem dicta; quibus favet decisio S. Congr. Concilii, in *Novarien.*, 22 junii 1895, *per summaria precum*, in qua, in hoc præcise casu, respondit : « Jus funerandi spectare *ad ecclesiam cathedralem*, salvis conventionibus particularibus in singulis casibus[2]. » — 3. Alii putant heredes jus habere eligendi ecclesiam quam voluerint; ratio est quia defunctus *elegit* quidem sepulturam, sed modo incompleto, et proinde eo ipso censetur reliquisse heredibus curam complendi electionem, ut sit efficax; unde adest hic commissio seu mandatum (legitime præsumptum) electionis *partialis;* quæ commissio valet ex supradictis (n. **165**, 3°); forsan hæc opinio, quæ alicubi in usum descendit, probabilior est.

[1] Ita Berardi, *De parocho*, Faventiæ, 1890, n. 835, p. 283.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXVIII, p. 233.

210. — **Quæritur : 2°** *Quid dicendum de casu sepulturæ electæ in ecclesia regulari, si leges civiles, non tantum cœmeteria publica induxerint, sed etiam prohibeant cadaverum delationem in ecclesias.*

Resp. : 1° Casus nuper contigit in civitate Compostellana, in qua fidelis quidam sepulturam suam elegerat in ecclesia Fratrum Minorum ; qui mortuus est die 22 nov. 1901. Cum ergo in Hispania non tantum sint instituta publica cœmeteria, sublatis quibuslibet aliis, sed etiam lex civilis prohibeat corporum delationem in ecclesias, jubens ea directe efferri e domo defunctorum ad cœmeterium publicum, controversum est inter parochum et superiorem regularem, quænam essent utriusque partes in dictis funeribus. Sepultus ergo est prædictus defunctus quoquo modo, sed controversia, pro futuris eventibus, delata est ad S. Congr. Episcoporum et Regularium.

2° Porro, ex dictis in hoc et superiori capite, sat facile solvitur difficultas. Sicut enim institutio publicorum cœmeteriorum non sustulit jura Regularium, sed tantum mutavit locum, in quo hæc jura exerceri debeant, ita et prædicta lex civilis non potest Regularibus auferre jura sua, sed tantum horum mutare exercitium. Omittetur ergo delatio corporis in ecclesiam regularem, quod est factum accessorium et secundarium ; sed, ex una parte, Regulares officium funebre celebrabunt in sua ecclesia pro anima defuncti cum solita pompa ; et, ex altera parte, corpus sepelient in cœmeterio publico ; quoad traditionem corporis quæ a parocho Regularibus facienda est, fiet, non quidem more solito ad januam ecclesiæ, sed ad januam cœmeterii, in quo sua jura exercere habent Regulares.

3° Revera in hoc sensu respondit S. Congr. Episc. et Reg., ad quam, ut dictum est, delata est controversia. Ad hæc enim quæsita : « 1. Positis civilibus hispanicis legi-

bus, quæ cadaverum delationem in ecclesiam interdicunt, et facta a defuncto sepulturæ electione in ecclesia regulari, levato cadavere a proprio parocho, jus associationis et tumulationis spectat parocho, an Regularibus, an ambobus? — Et, quatenus affirmative ad tertiam partem : 2. An et quo loco recedere debeat parochus? — 3. Sub qua cruce præfata associatio facienda est? » S. Congr., in generali conventu diei 1 aug. 1902, omnibus sedulo pensatis, respondit : « Ad 1, 2 et 3. Providebitur per instructionem. » Tenor autem instructionis hic est :

« Funerum juribus per plura SS. Congregationum decreta consultissime moderatis, omnis præclusus videbatur aditus quæstionibus, quæ occasione electæ in alia a parochiali ecclesia sepulturæ, tum ante tum post communium cœmeteriorum erectionem, inter defuncti parochum et ecclesiam tumulantem oriri solebant. At cum in Hispaniis civili lege statutum fuerit, ut defunctorum cadavera, quin prius ad ecclesiam afferri possint, a domo defuncti ad publicum cœmeterium directe deducantur, hinc, novis exurgentibus factorum circumstantiis, nova inter defuncti parochum et Regulares ecclesiæ tumulantis enata est controversia circa cuique spectantia funebris associationis jura. Re ad hanc Sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis dirimendisque præpositam delata, Emi Patres, in generalibus comitiis habitis die 25 julii 1902, omnibus mature perpensis, hæc, quæ infra scripta sunt, statuenda ac decernenda censuerunt. Nimirum :

1. « Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare, et funus ducere usque ad januam publici cœmeterii ;

2. « Regularibus ecclesiæ tumulantis jus competit in propria ecclesia justa funebria peragendi, una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi, et,

cadavere per parochum levato, ad publicum cœmeterium associandi; si tamen velint, possunt ad cœmeterii januas expectare, quin ad funeris associationem teneantur;

3. « Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad januas cœmeterii, ceteraque omnia peragere, quæ in cadaveris tumulatione fieri solent;

4. « Denique, si una cum parocho Regulares ecclesiæ tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiæ tumulantis deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur; dummodo ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ Capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare.

« Et sic observari mandarunt (Emi Patres), contrariis quibuscumque minime obstantibus[1]. »

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxxv, p. 287, vel *Canoniste*, t. xxv, an. 1902, p. 731.

CAPUT VIII

DE MODO ET RITIBUS SEPULTURÆ ECCLESIASTICÆ

Cum ritus proprie spectent ad liturgiam, non tangemus hic nisi ea quæ propius pertinent ad jus canonicum.

§ 1. De crematione.

211. — Crematio prohibita. — *Prorsus illicitum est cremare seu incinerare corpora defunctorum.* — Constat :

1° *Tota retro ecclesiastica traditione et consuetudine.* — Ut enim supra (n. **137**) ostensum est, consuetudo humandi, quatenus opponitur usui cremandi, corpora defunctorum, retroascendit ad ipsa tempora apostolorum, constanter perseveravit in Ecclesia, immo oppositum usum crematiouis, post pauca sæcula, plene devicit. Atqui hæc consuetudo non est libera, sed omnino *obligatoria*, ut constat, tum ipso longissimo sæculorum tractu quo perduravit ; — tum duris legibus quæ latæ sunt pro gentibus noviter ad fidem conversis, ut ritum oppositum dimitterent (n. **137,** 3°) ; — — tum quia aliquo modo connexa est, uti diximus (n. **137,** 2°), cum dogmate de resurrectione mortuorum ;

— tum quia, licet nulla lege canonica universali expresse præscripta sit, attamen ita cohæret ritibus canonicis et liturgicis de sepultura, et cultu mortuorum, ut ab ipsis vix ac ne vix quidem disjungi queat.

2° *Decreto S. Congr. Inquis.*, feria IV, 19 maii 1886, quod in extenso referendum est :

« Feria IV, die 19 maii 1886.

« Non pauci Sacrorum Antistites cordatique christifideles animadvertentes, ab hominibus vel dubiæ fidei, vel massonicæ sectæ addictis, magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui ; veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi : ut aliqua certa norma iisdem fidelibus præsto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant : a suprema S. Rom. et Univ. Inquisitionis Congregatione declarari postularunt :

« 1° An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera ?

« 2° An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur ?

« Eminentissimi ac reverendissimi Patres Cardinales in rebus fidei generales inquisitores, supra scriptis dubiis serio ac mature perpensis, præhabitoque DD. consultorum voto, respondendum censuerunt :

« Ad 1^m. *Negative, et si agatur de societatibus massonicæ sectæ filialibus, incurri pœnas contra hanc latas.*

« Ad 2^m. *Negative.*

« Factaque de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

« Jos. Mancini.
« *S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius*[1]. »

Unde hic usus non tantum est illicitus, sed etiam omnino damnandus, ut *detestabilis abusus*.

212. — Solvuntur difficultates.

1° Inhumatio est populorum rudium; statim autem ac exculti fuerint, invenerunt et coluerunt usum cremationis, utpote maxime progressui civilitatis accommodatum : quæ omnia historiis constant. Ergo, cum hodie ad apicem civilitatis societas ascenderit, deserendus est usus inhumationis, et redeundum ad cremationem.

Resp. : 1. Ritus inhumationis non tantum deprehenditur apud populos rudes, sed etiam apud gentes excultas, v. g., apud Ægyptios, viguitque non tantum medio ævo, sed etiam, a quatuor aut quinque sæculis, apud gentes plena luce civilitatis fulgentes: — 2. Græci, Romani aliique populi, qui antiquiori usui inhumationis substituerunt cremationem, non id fecerunt ex causa civilitatis, sed potius ex causa religionis et superstitionis: putabant enim ex igne oriri purificationem mentis et corporis[2].

2° Ritus cremationis est omnino indifferens quoad reli-

[1] *Acta S. Sedis*, t. XIX, p. 46: — vel in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 1609, p. 602.

[2] Cf. de Hornstein, *La crémation*, c. II, Paris, 1886, p. 40 sq.

gionem christianam et Ecclesiam catholicam, nec ullum affert præjudicium disciplinæ ecclesiasticæ, pio fidelium sensui, multoque minus catholico dogmati. — Ita plures dicebant, antequam ederetur præfatum decretum an. 1886, alii incaute, non satis attendentes ad pericula ex crematione oriunda, alii perfide, ut facilius deciperent mentes simplicium.

Resp.: Verum est, admisso ritu cremationis, nullum dogma catholicum inde labefactari; attamen, ut constat ex supra dictis, iste ritus minus cohæret (quam ritus inhumationis) cum fide in alteram vitam et resurrectionem mortuorum, minus fovet cultum mortuorum, quem econtra paulatim minueret; quoad disciplinam et ritus ecclesiasticos, omnino eis contrarius est, ita ut, si ritus cremationis substituatur ritui humationis, novum *rituale* fere ex integro conscribendum sit. Unde nil mirum, si ritus cremationis promoveatur præsertim ab Ecclesiæ inimicis, et potissimum a secta massonica, aut societatibus huic sectæ annexis; unde etiam, post decretum an. 1886, præ ira conclamavit in Sedem Apostolicam tota hæc secta in Italia [1].

3° Quoad alias difficultates, desumptas ex relationibus ad *publicam valetudinem*, aut *rem œconomicam*, non est nostrum hic eas discutere, cum plene a peritis soluta fuerint [2]. — Immo, relatione habita ad eam, quam vocamus *medicinam legalem*, crematio obstat bono publico, quatenus tollit illa veneni, aut aliarum mortis causarum vestigia, quæ tantopere adjuvant juridicam informationem : qua de re agunt scientiarum naturalium periti [3].

[1] Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques*, juillet 1886, p. 508-510.
[2] Cf. de Hornstein, *op. cit.*, c. XVII et XVIII, p. 357-379.
[3] De Hornstein, c. XVI, p. 347 sq.

213. — Corollaria.

1° Ergo illicitum est unicuique mandare ut suum corpus post mortem cremetur; et proinde, si quis hoc faciat, nec hoc mandatum revocet ante mortem, locus est negationi sepulturæ ecclesiasticæ, juxta normas *Ritualis romani*, tit. VI, c. VI, n. 5, quod jubet negari sepulturam « *manifestis et publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt* ». — Quæ conclusio sponte sequitur ex dictis, et confirmatur ex alio decreto S. Congr. Inq., feria IV, 15 dec. 1886 : « ... At ubi agatur de iis qui *propria voluntate* cremationem elegerunt, *et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt*, attento decreto fer. IV, 19 maii 1886[1], agendum cum iis juxta normas *Rit. romani*, tit. *Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam*[2]. » — Unde, ut locus sit negationi sepulturæ, tria requiruntur : 1. Ut mandatum faciendæ cremationis sit certum et notorium; — 2. Ut in hac voluntate defunctus usque ad mortem notorie permanserit; — 3. Ut sine pœnitentia perierit; hæc duo ultima se invicem supponunt.

2° Si cujus corpus, *non propria*, sed *aliena voluntate*, cremationi subjiciatur, non privandus est sepultura ecclesiastica. — Constat : 1. *Ipsa rerum natura;* privatio enim sepulturæ ecclesiasticæ est *pœna;* porro nemo patitur pœnam, ob culpam *alienam;* — 2. Eodem decreto 15 dec. 1886, in quo decrevit S. Congr. : « Quoties agitur de iis, quorum corpora, non propria ipsorum, sed aliena voluntate, cremationi subjiciantur, Ecclesiæ ritus et suffragia adhiberi posse, tum domi, tum in ecclesia, non autem usque ad crematorii locum; remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non

[1] Supra *in extenso* relato, n. **211.**
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 63.

propria defuncti voluntate electam fuisse[1]. » — Unde soli ritus omittendi ii sunt qui fieri debent ad ipsum locum sepulturæ; poterit ergo parochus, ut videtur, deducere corpus usque ad januam cœmeterii.

3° Si quis suum corpus cremari jubeat *bona fide* (quod nunc difficilius est, post decretum an. 1886), non privandus est sepultura ecclesiastica. Ratio est quia pœna supponit vere culpam fuisse commissam, et, si bona fides adsit, non est computandus defunctus inter illos « *manifestos* et *publicos peccatores* », quibus solis negari debeat sepultura ecclesiastica, juxta *Rituale romanum*, ad quod se refert S. Congr. Inq., in dicto decreto. — Sed illa bona fides, præsertim hodie, nullo modo præsumitur, sed *demonstrari* debet, et *nota fieri*, ad removendum scandalum. — Quod si, in aliquo casu particulari, adsit dubium aut difficultas, consulendus est Ordinarius, ut ait eadem S. Congr. Inq., in fine decreti 15 dec. 1886 : « In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernet quod magis expedire in Domino judicaverit. »

4° Prorsus illicitum est cremare corpus alicujus defuncti, sive is jusserit, sive non; immo, si heres fuerit institutus ea lege ut cremari curet corpus testatoris, hæc condicio tanquam non scripta habenda est, ut cavetur jure romano[2], cujus hac in re dispositio in jure canonico adoptata est.

§ 2. De quibusdam prohibitis in funeribus.

214. — Signa aut insignia prohibita. — *Omnino prohibitum est feretro imponere insignia societatis aut*

[1] *Acta S. Sedis, loc. cit.*

[2] L. *Condiciones*, 14, ff. *De condicionibus institutionum* (XXVIII, VII,

sectæ ab Ecclesia damnatæ, cui forsan aliquando defunctus adscriptus fuit. — Constat : 1° *Ipsa rerum natura;* cum enim, in hypothesi, secta sit damnata, damnata sunt etiam eo ipso insignia quæ illam in memoriam revocant, et quasi repræsentant; unde nefas est hæc insignia imponere feretro, inter ipsas solemnitates ecclesiasticas, et quasi in provocationem et irrisionem Ecclesiæ quæ sectam damnavit; — 2° *Jurisprudentia Sedis apostolicæ;* cum enim a S. Congr. Inq. quæreretur num liceret funera celebrare defuncti sectæ massonicæ addicti, sed conversi et sacramentis muniti, respondit, 2 dec. 1840 : « Affirmative,... *ablatis insigniis sectæ ab Ecclesia damnatæ*, et dummodo appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem sacramentorum, vel ab eodem fuerit revocata; et *amoveantur statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationem cadaveris*[1]. » — In eodem sensu et eisdem terminis scripsit in *Instructione* ad Ordinarios Brasiliæ, 2 julii 1878[2]. — Sic pariter scripserat Pius IX ad archiepiscopum Parisiensem, Litteris *Ex epistola,* 26 oct. 1865[3]. — Huic autem jurisprudentiæ consona decreta ediderunt plura apud nos concilia provincialia, v. g., Suessionense, an. 1849, pro provincia Rhemensi, tit. IX, c. III[4], — Avenionense, an. 1849, tit. V, c. I[5].

N. B. — « Feretris laicorum qui aliqua dignitate civili aut militari honestati fuerunt, ejusdem dignitatis insignia apponi licet. » Conc. Suess., *loc. cit.* Et hoc in usu est apud nos.

[1] Apud *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 641 ; — vel *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 1601, p. 600.

[2] *Acta S. Sedis,* t. XXVII, p. 700.

[3] *Ibid.,* t. XI, p. 210-220 (locus ad rem spectans est p. 218).

[4] Lutetiæ Parisiorum, 1850, p. 83.

[5] Avenione, 1851, p. 65.

215. — Vexilla prohibita. — Regula observanda de vexillis (*drapeaux*, *bannières*) continetur in hoc responso S. Pœnitentiariæ, 4 apr. 1887, in *Apuana :* « 1° Quatenus agatur de vexillis, quæ præseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat[1]; si in ecclesiam per vim inducantur, tunc, si missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat; si inchoata, post eam absolutam, auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate; — 2° Quatenus agatur de vexillis ita dictis *nationalibus*, nullum emblema de se vetitum præseferentibus, in funebri pompa tolerari posse, dummodo feretrum sequantur; in ecclesia vero non esse toleranda, nisi secus turbæ aut pericula timeantur[2]. » — Hoc autem responsum suum fecit S. Congr. Inq., in *Vicentina*, 3 oct. 1887, et pariter, 24 nov. 1897[3]. — Apud nos, sat est in usu, in pluribus locis, ut tolerentur in ecclesia, non tantum vexilla *nationalia*, sed etiam alia, modo nullum emblema de se vetitum præseferant.

216. — Imago defuncti non exponenda. — S. Rit. Congr. in *Senogallien.*, 30 apr. 1896, huic quæsito : « An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiæ fiunt, tam præsente quam absente cadavere, exponi valeat ejusdem defuncti imago; et, quatenus negative, an saltem tolerari possit hujusmodi usus, ubi viget? » respondit : « *Negative, quoad primam partem; et, quoad alteram, curandum ut eliminetur abusus*[4]. »

[1] Nisi, ut patet, monente parocho, talia vexilla amoveantur.

[2] In periodico *Monitore ecclesiastico*, t. x, part. I, p. 234.

[3] *Monitore eccl.*, t. v, part. II, p. 211-215; — t. x, part. I, p. 233-234; — t. x, part. II, p. 259.

[4] *Decreta auth.*, n. 3898, t. III, p. 302.

CAPUT IX

DE NEGATIONE ECCLESIASTICÆ SEPULTURÆ

§ 1. De personis ecclesiastica sepultura privandis.

217. — Ratione baptismatis non recepti. — Hac ratione privantur sepultura ecclesiastica :

1° *Infideles omnes,* v. g., pagani, judæi, mahumetani, etc., uno verbo, ii omnes qui per baptisma Ecclesiam non sunt ingressi. — Constat : 1. *Tota retro traditione ecclesiastica*, juxta quam etiam, ut supra vidimus (n. **34, 147**), sepultura pagani aut cujuslibet infidelis ecclesiæ et cœmeteria polluuntur ; — 2. *Rituali romano,* tit. VI, c. II, n. 2 : « Negatur igitur ecclesiastica sepultura *paganis, judæis et omnibus infidelibus ;* hæreticis et eorum fautoribus ; apostatis a christiana fide ; schismaticis, et publicis excommunicatis majori excommunicatione, interdictis nominatim, et iis qui sunt in loco interdicto, eo durante ; » et paulo infra, n. 7 : « Infantibus mortuis absque baptismo ; » — 3. *Ratione canonica ;* cum enim sepultura ecclesiastica sit continuatio et pars communionis christianæ, æquum est ut ii qui omnino sunt extra Ecclesiam, honoribus ejus sepulturæ privati remaneant.

2° *Catechumeni, ii saltem qui sua culpa sine baptismo moriuntur.* — Constat : 1. *Traditione et consuetudine ecclesiastica,* cujus supra (n. **141,** 1°) duo monumenta retulimus, nempe canonem concilii Bracarensis I et homiliam S. Chrysostomi; quibus addas auctoritatem S. Ambrosii, qui, in opusculo *De obitu Valentiniani,* n. 53[1], expresse asserit, pro Valentiniano sine baptismo defuncto, « solemniter celebrata non fuisse mysteria; » — 2. *Ratione canonica,* quia nempe catechumeni revera Ecclesiam non sunt ingressi, ad cujus proinde honores nullum jus habent, eo magis quod nullum merentur favorem, cum sua culpa mortui sint absque baptismo.

Dixi : *Ii saltem qui sua culpa sine baptismo mortui sunt;* nam si agatur de iis qui *jam fidem catholicam amplexi sunt, et sine ulla sua culpa decedunt sine baptismate,* gravis controversia est, utrum privandi sint, nec ne, sepultura ecclesiastica. — Porro, quidquid dicendum est de antiquioribus temporibus, probabilius est, saltem a tempore Innocentii III, hos catechumenos honorari posse sepultura ecclesiastica. Constat cap. *Apostolicam,* 2, De presbytero non baptizato, in quo Innocentius III ait : « Respondemus presbyterum quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, et cælestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter... Sopitis igitur quæstionibus doctorum, patrum sententias teneas, et *in ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.* » Atqui *per istas hostias* intelliguntur, non privata sacrificia, quæ privato nomine et secreto sacerdos celebrat pro defuncto, sed missæ solemnes

[1] Migne, *P. L.,* t. XVI, col. 1375.

quæ præcepto expresso ab episcopo indicuntur, et proinde publice in ecclesia, pronuntiato nomine defuncti, celebrantur aut saltem celebrari possunt; hæc autem *officia funebria* funeribus assimilantur; ergo et funera solemnia sunt licita[1].

3° *Infantes mortui absque baptismo*, licet sint filii catholicorum. — Constat cit. textu *Ritualis romani*, qui textus non distinguit. Ergo, licet, ut supra diximus (n. **34**, 3°), sepultura infantis non baptizati, *filii parentum catholicorum*, non polluat cœmeterium, attamen illicitum est ei dare sepulturam ecclesiasticam. — Attamen, si adhuc sit infans in utero matris mortuæ, cum ea sepelitur in terra sancta; secus, si ab utero separatus fuerit.

218. — Ratione censuræ. — Duæ censuræ privant sepultura ecclesiastica, nempe *excommunicatio major* et *interdictum*.

1° *De majori excommunicatione.* — Ii qui excommunicationi majori subjacent, *ex se, excluduntur a sepultura ecclesiastica, ita ut ad eam nullum jus habeant.* Constat cap. *Sacris*, 12, De sepulturis : « Sacris est canonibus institutum, ut, *quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis*[2], et ut *careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi*, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. » De his hæc dicenda :

a. Etsi excommunicati, per se, jus nullum habent ad sepulturam ecclesiasticam, attamen licet eis hanc sepulturam concedere, *si non sint vitandi.* Ratio est quia vi Martini V bullæ *Ad evitanda scandala* non tenemur amplius

[1] Contrariam assertionem tenet Moulart, *De sepultura*, p. 60-63, 268-269; ejus tamen argumenta non referuntur nisi ad antiquiora tempora.

[2] Quæ verba sunt S. Leonis I (supra, n. **141**, 5°).

vitare aliquem ratione cujusvis censuræ, « nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit... *a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse*[1]. » Ergo, donec excommunicatio fuerit, per sententiam juridicam, non tantum declarata, sed etiam *denuntiata*, id est, *publice proposita* (ad modum legum), non tenemur vitare excommunicatum, nec in vita, nec (juxta ipsam regulam in cit. cap. *Sacris* memoratam) in morte. Ergo *solis denuntiatis* seu *vitandis* illicitum est dare sepulturam ecclesiasticam[2]. — Nec obstat *Rituale romanum, loc. cit.*, quia non præsumitur derogare bullæ Martinianæ, de qua silet; unde dicendum est *publicos excommunicatos*, de quibus agit, intelligendos esse *publicos*, *quia publicatos*, nempe denuntiatos; jura enim cum juribus concordare debent.

b. Insuper sepultura excommunicati vitandi *polluit* cœmeterium, ut dictum est supra (n. **31**, 1°; **147**).

c. Si hi excommunicati saltem in fine vitæ, *Ecclesiæ reconciliati fuerint*, jus habent ad ecclesiasticam sepulturam. — Constat cit. cap. *Sacris*, et rerum natura. — Quod si non fuerint Ecclesiæ reconciliati, sed certa dederint pœnitentiæ signa, v. g., vocando confessarium, osculando crucifixum, et alia id genus, nec per eos steterit, quin reconcilientur, tunc, ad normam cap. *A Nobis*, 28, De sent. excomm., absolvantur ab excommunicatione, licet mortui, impetrata facultate absolvendi ab eo a qua petenda fuerat de jure, et sepulturæ ecclesiasticæ tradantur; ritus autem peragendi hanc absolutionem traditur in *Rituali romano*, tit. III, c. IV, sub rubrica : *Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.*

[1] Mansi, *Concilia*, t. XXVII, col. 1192.

[2] Oppositum tenet Reiffenstuel (in tit. *De sepult.*, n. 85), nempe omnibus excommunicatis publicis, *licet non vitandis*, debere negari sepulturam.

d. Licet, ex dictis, dare sepulturam ecclesiasticam excommunicatis *toleratis;* verum aliquando eis negari debebit, si nempe sint *publici peccatores*, ex infra dicendis.

2° *De interdicto :*

a. Prohibitum est dare sepulturam ecclesiasticam iis qui sunt *nominatim interdicti*, ut constat expresse tum cap. *Eos qui*, 1, De sepulturis, Clem., tum *Rituali romano, loc. cit.* — Attamen, vi cit. bullæ Martini V, ut teneamur iis negare sepulturam, requiritur omnino ut interdicti sint *denuntiati* et proinde *vitandi.*

b. Tempore interdicti *localis*, sive *generalis*, sive *specialis*, item prohibitum est dare sepulturam ecclesiasticam fidelibus, in loco interdicto, exceptis clericis, ut constat cap. *Quod in te*, 11, De pœnitentiis et remissionibus, et *Rituali romano, loc. cit.;* sed, iterum, vi bullæ Martini V, non tenemur recusare sepulturam, nisi illud locale interdictum sit *declaratum* et *denuntiatum.*

219. — Ratione hæreticæ pravitatis. — Hoc titulo sepultura ecclesiastica privantur hæretici, fautores hæreticorum, apostatæ et etiam sæpissime schismatici.

1° *De hæreticis. Hæretici puniuntur privatione sepulturæ ecclesiasticæ.* — Constat : 1. Ex eo quod sint *ipso jure excommunicati* (ex multis textibus juris, v. g., Pii IX const. *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, *De excom.*, § 1, art. 1); porro excommunicati, ut supra demonstratum est, privantur sepultura ecclesiastica; — 2. Ex *ipso delicto hæresis*, et *independenter ab excommunicatione :* quod maximi momenti est; si enim hæretici, ut quidam dixerunt, non sint arcendi a sepultura ecclesiastica, nisi quia excommunicati, non tenemur eos arcere a sepultura, nisi sint *denuntiati*, ut dictum est; si autem arcendi sint a sepultura *ex ipso delicto hæresis*, sufficit quod de hoc delicto constet

publice. Porro hæreticos, *ut sic*, privandos esse sepultura ecclesiastica, constat :

a. Cap. *Sicut ait*, 8, De hæreticis (ex conc. Later. III, an. 1179) : « Si autem (hæreticus) in hoc peccato decesserit, neque sub privilegiorum nostrorum quibuscumque indultorum obtentu, neque sub alia quacumque occasione, *oblatio pro eo fiat, aut inter christianos accipiat sepulturam.* » In quo loco non consideratur nisi hæresis.

b. Martini V const. *Inter cunctas*, 8 kal. martii 1418 (quæ scripta fuit eodem ferme tempore ac ejus const. *Ad evitanda scandala*, 15 apr. 1418, in concordatis Germaniæ), in quo ait : « Et si tales hæretici publici ac manifesti, *licet nondum per Ecclesiam declarati*, in hoc tam gravi crimine decesserint, *ecclesiastica careant sepultura*, nec oblationes fiant aut recipiantur pro eisdem[1]. » Sane non loquitur nisi de Hussitis, Wiclefistis, etc., sed ostendit quomodo jus debeamus interpretari.

c. Unde S. Congr. Inquis., in decreto 6 nov. 1641, ad 1, aperte declaravit : « Hæreticos notorios, *quantumvis non denuntiatos nominatim excommunicatos, non posse sepeliri in ecclesia catholica*[2]. » Quod decretum Urbanus VIII approbavit, et exsequi mandavit.

Unde, ut teneamur arcere hæreticos a sepultura, non requiritur ut sint denuntiati excommunicati, nec etiam declarati ut hæretici, sed sufficit quod sint hæretici *notorii* seu *publici*[3] : quod vocabulum interpretamur ut, infra, *publicos* peccatores. Nec distinguitur inter hæreticos ad

[1] Mansi, *Concilia*, t. xxvii, col. 1206; — vel Coleti, t. xvi, col. 754.

[2] Apud Albitium, *De inconstantia in fide*, c. xviii, n. 28, Amstelædami, 1683, p. 100.

[3] Ita Albitius, *loc. cit.*, n. 11-28; — Petra, *In const. XVIII Innocentii IV*, n. 44-50, t. iii, p. 102-103; — Passerinus, *De hominum statibus*, q. clxxxvii, art. 4, n. 64, p. 412.

sectam pertinentes (v. g., lutheranos), et alios, modo sint *notorii,* quia lex non distinguit.

2° *De fautoribus hæreticorum. Fautores hæreticorum privari etiam debent sepultura ecclesiastica.* — Constat : 1. Ex eo quod sint *ipso jure excommunicati*, ex Pii IX const. *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, *De excomm.*, § 1, art. 1, ut dictum est de hæreticis; — 2. Ex *ipso delicto favoris hæreticis dati*, ut patet cap. *Excommunicamus*, 13, De hæreticis, § *Credentes;* sed, nota sedulo, Innocentius III, in hoc cap. (ex conc. Later. IV, an. 1215), non plectit hos fautores pœna privationis sepulturæ ecclesiasticæ, *nisi postquam fuerunt denuntiati ut excommunicati*, ut expresse tradit. Ergo, præsertim post Martini V const. *Ad evitanda*, non tenemur eos arcere a sepultura ecclesiastica, nisi post *denuntiationem excommunicationis;* unde magnum discrimen inter eos et hæreticos. — Nec obstat *Rituale romanum, loc. cit.*, quod fautores et hæreticos in eodem gradu ponit; cum enim *Rituale* non det nisi elenchum eorum qui privari debent sepultura, sese eo ipso refert ad determinationes canonum circa singulos.

3° *De apostatis.* — Cum hi sint vere et proprie *hæretici*, de his omnino idem dicendum est quod de hæreticis.

4° *De schismaticis.* — Distinguendum est :

a. Vel schismatici sunt etiam *hæretici,* ut evenire solet, præsertim hodie, cum primatus R. Pontificis, de fide catholica credendus, in tanta luce positus sit; tunc schismaticis applicanda sunt omnia quæ diximus de hæreticis.

b. Vel non sunt *nisi schismatici*, aut saltem non constat notorie de hæresi, ut in aliquo forsan casu fieri potest; tunc etiam arceri debent a sepultura ecclesiastica, *propter excommunicationem*, cui ipso jure subjacent (ex Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis,* an. 1869, *De excommunicationibus*, § 1,

art. 3.; sed tunc, ut patet, tantum post denuntiationem excommunicationis, ex Martini V const. *Ad evitanda*.

220. — Ratione peccati publici. — Privari debent sepultura ecclesiastica :

1° *Qui se ipsos occiderunt.* — Constat *Rituali romano*, quod, *loc. cit.*, n. 3, jubet negari sepulturam ecclesiasticam : « *Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam* (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ. » Sic in jus scriptum transiit consuetudo paulatim invecta vi can. *Placuit*, 12, caus. XXIII, q. v, ex concilio Bracarensi, supra (n. **141**, 2°) relati. — Requiritur autem, quia agitur de pœna gravi, ut omnino certum sit defunctum a se ipso, non ab alio, fuisse occisum, quod non statim affirmari potest de eo qui reperitur suspensus, veneno necatus, aquis immersus, etc. *Insania* autem, de qua loquitur *Rituale*, non præsumitur, sed probari debet; item *pœnitentia ante mortem* non præsumitur, sed probari debet, licet unus testis gravis sufficiat, ex regula generali in his materiis favorabilibus.

2° *Qui in duello moriuntur.* — Contra hos paulatim lata et ampliata est pœna privationis sepulturæ ecclesiasticæ, hoc modo :

a. Conc. Trid., cap. *Detestabilis*, 19, sess. XXV, De ref., pœnam primum tulit, his verbis : « Et si (duellistæ) in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. »

b. Gregorius XIII, const. *Ad tollendum*, 5 dec. 1582[1], pœnam extendit aut extensam declaravit etiam ad eos qui *privatim* duellum commiserint, ex condicto quidem et statutis tempore et loco, sed sine patrinis aut aliis solemni-

[1] *Bull. Rom.*, t. IV, part. IV, p. 19.

tatibus. — Quod confirmavit Clemens VIII, const. *Illius vices*, 17 aug. 1592[1].

c. *Rituale romanum*, editum jussu Pauli V, an. 1614, declaravit pœnam ab iis incurri « etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa ».

d. Tandem, obortas plures controversias Benedictus XIV diremit, const. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, § 9[2], decernens et declarans : « Sepulturæ sacræ privationem, a sacrosancta Trid. synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, *etiam ante sententiam judicis ; — a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, — sive duellum publice sive privatim indictum fuerit, — ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, — atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit.* » — Quod attinet ad ultimam istam clausulam, nempe : *etiamsi signa pœnitentiæ dederit, aut etiam fuerit absolutus*, notant plures doctores eam non esse in usu in Gallia, ita ut, quoties constat moribundum signa pœnitentiæ dedisse, possit sepeliri[3].

3° *Qui consueverunt violare præceptum de confessione annua et communione paschali.* — Contra hos pœnam privationis sepulturæ christianæ primum tulit conc. Lateranense IV, an. 1215, celebri canone *Omnis utriusque*, 21[4] (= cap. *Omnis utriusque*, 12, De pœnit. et remiss.) ; quam pœnam sic expressit, *loc. cit.*, n. 6, *Rituale romanum :* « Iis (negari debet sepultura), de quibus publice constat,

[1] *Bull. Rom.*, t. v, part. I, p. 386.

[2] *Bull. Bened.*, t. iv, n. 6.

[3] Ita Gousset, *Théologie morale*, ed. Paris, 1858, t. ii, n. 636 ; — Icard, *Prælectiones juris canonici*, t. iii, n. 751 ; — Craisson, *De la sépulture ecclésiastique*, n. 252, Valence, 1868, p. 109 ; — quod etiam implicite tradit conc. Avenionense, 1849, tit. v, n. 4, Avenione, 1851, p. 66. — Contra vero Moulart, *De sepultura*, p. 281.

[4] Mansi, *Concilia*, t. xxii, col. 1007.

quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis, et communionis in pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt. » Ergo : 1. Non sufficit aliquoties omissa fuisse hæc sacramenta, sed requiritur aliquis *usus* non recipiendi ea sacramenta ; — 2. Duo *publice constare debent :* usus non recipiendi ea sacramenta, et impœnitentia ; unde hic, ad concedendam sepulturam, non requiritur ut probetur pœnitentia, sed *sufficit ut non constet de impœnitentia :* quæ duo valde diversa sunt. Vix autem constabit de impœnitentia, nisi moribundus recuset ultima sacramenta. — Insuper, usu passim vigente, episcopi et parochi benigne interpretantur verba hujus prohibitionis [1].

4° *Usurarii manifesti.* — Hi privantur sepultura ecclesiastica, licet eos pœniteat, nisi actu restituant injuste acquisita, in quantum possunt, vel saltem idoneam cautionem præbeant de facienda restitutione. — Ita hanc pœnam, primo latam ab Alexandro III in conc. Later. III, cap. *Quia,* 3, De usuris, declaravit et ampliavit Gregorius X in conc. Lugdun. II, cap. *Quanquam,* 2, De usuris, in VI. — Cf. etiam cap. *Eos qui*, 1, eod. tit., Clem. — Idem fere sancitum est contra *raptores honorum manifestos*, in cap. *Super eo*, 2, De raptoribus.

5° Demum « *manifestis et publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt* », denegari sepulturam ecclesiasticam jubet *Rituale romanum, loc. cit.,* n. 5. — Ante editum (an. 1614) *Rituale romanum,* non erat textus juris authenticus plectens *modo generali* peccatores *publicos* privatione sepulturæ ecclesiasticæ ; unde hærebant doctores [2] ; communiter tamen tenebant peccatores *publicos impœnitentes* arceri debere a sepultura, præsertim ex affirmatione Glossæ

[1] De hac prohibitione cf. *folium* causæ *Ragusinæ,* 26 feb. 1859 ; *Thesaurus,* t. CXVIII, p. 64.

[2] Cf. Marchetti, *loc. cit.,* tit. XXXIX, n. 48-49.

(in cap. *Ex parte*, 11, De sepulturis, v° *Communicabatur*[1]) docentis sepeliri non debere quem *constat in peccato mortali decessisse*. Hanc autem communem interpretationem indeque ortam consuetudinem *jure scripto* confirmavit *Rituale romanum, loc. cit.* — De his hæc dicenda :

a. Per *publicos* aut *notorios* peccatores, a sepultura arcendos, non ii tantum intelliguntur qui tales sunt *notorietate juris*, nempe quorum peccata noscuntur per *judicis sententiam*, aut per *propriam confessionem in judicio factam*, sed etiam ii qui tales sunt *notorietate facti*, ita ut factum (peccati) sit evidens nec possit aliqua tergiversatione celari, et idcirco notum sit vel mox notum futurum sit majori parti viciniæ[2].

b. Si hi *publici peccatores* moriantur *sine pœnitentia*, arcendi sunt a sepultura ; hic autem pœnitentia non præsumitur, sed probari debet, saltem per unum testem ; si moribundus jubeat vocari sacerdotem, osculetur crucifixum, oret Deum, aut alia hujusmodi faciat, signa sunt sufficientia pœnitentiæ.

c. Unde notorii sunt peccatores a sepultura arcendi : 1. Qui in *actu peccati moriuntur*, nec dant signa pœnitentiæ, ut decisum est in jure pro latronibus, cap. *Fures*, 2, De furtis ; — 2. Qui aperte et coram pluribus sacerdoti recusant ultima sacramenta, ita ut res nullo modo celari possit ; — 3. Qui in *notorio statu peccati* vivunt, v. g., in notorio concubinatu aut meretricio, in aliquo officio quod sine peccato servari nequeat, in secta damnata, etc., ita tamen ut *mala fides certa sit et notoria ;* aliter enim non essent *publici peccatores ;* — 4. De eo qui jubet corpus suum cremari post mortem, dicendum est ut supra, n. **213.**

[1] *Corpus juris canonici* cum Glossis, in decretales Greg., Lugduni, 1671, col. 1207.

[2] Cf. Benedictum XIV, *De synodo*, lib. VII, c. xi, n. 8.

221. — Scholia.

1° Hi soli, de quibus actum est supra, privandi sunt sepultura ecclesiastica; non ergo ea privari debent *damnati ad mortem, qui, ante supplicium, Ecclesiæ reconciliati sunt.* Privati sunt quidem sepultura ecclesiastica in relato supra (n. **141**, 3°) canone 16 concilii Bracarensis I. Sed hoc concilium vim non habet juris communis, nec adest ullus alius textus, vim juris communis habens, qui tales arceat a sepultura. — In conc. Moguntino I, an. 847, cap. XXVII, expresse decernitur eos non esse sepulturæ honore privandos, si eos rite pœnituerit [1].

2° Olim, in Gallia, comœdi reputabantur *peccatores publici;* unde a sepultura ecclesiastica arcebantur, si pœnitentiam non egissent, v. g., si repentina morte correpti fuissent [2]. Quæ prohibitio forte originem ducit a concilio Arelatensi (an. 314), can. 5, ubi *theatricos* a communione rejicit [3]. — Sed jus commune nil tale habet; unde quod sint *peccatores publici* vel non, hoc pendet ab indole rerum quæ in scenis luduntur.

3° Quando peccatores publici dant signa pœnitentiæ, ita ut concedi possit eis sepultura ecclesiastica, curandum est ut hæc signa evulgentur, ut nempe, quoad ejus fieri potest, scandalum amoveatur.

4° In locis ubi sat frequentes sunt casus *sepulturæ civilis*, ut dicitur, v. g., in multis Galliæ locis, parochus debet quidem, ut patet, servare leges ecclesiasticas de sepultura neganda; sed tamen debet etiam *benigne interpretari facta*,

[1] Mansi, t. XIV, col. 910.

[2] Cf. *Rituale Parisiense*, an 1654, p. 114; an. 1697, p. 73, 245; — *Pastorale Parisiense*, an. 1786, t. II, p. 429; — *Rituale Senonense*, an. 1694, p. 143; — *Rituale Parisiense*, an. 1839, p. 127, 137, 537; — Bossuet, *Lettres sur la comédie; Maximes et réflexions sur la comédie*, éd. Versailles, t. XXXVII, p. 522, 560.

[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 107.

v. g., de causa suicidii, de qualitate peccatoris publici, de signis pœnitentiæ, etc., ne, si nimium rigidus sit, augeatur numerus sepulturarum civilium, minuatur horror hujusmodi sepulturæ, et sic scandala multiplicentur.

5° « Ubi vero in prædictis casibus (negandæ sepulturæ) dubium occurrerit, Ordinarius consulatur. » ait *Rituale romanum*, *loc. cit.*, n. 8.

§ 2. De modo intelligendi negationem sepulturæ ecclesiasticæ.

222. — Negatio extenditur ad omnes sepulturæ partes. — Sepultura ecclesiastica complectitur non tantum ipsum actum deponendi cadaver in sepulcro illi præparato, sed etiam omnes illos ritus qui, juxta Ecclesiæ leges, in *Rituali romano* contentas, prædictum actum complere solent, nempe solemnis levatio corporis ejusque deductio in ecclesiam, officium et missa, deductio ad cœmeterium cum psalmis et precibus, campanarum sonitus, etc. Quo posito, hæc dicenda :

1° Quando alicui defuncto neganda est sepultura ecclesiastica, nefas est illi concedere, non tantum ritum integrum, sed etiam aliquam partem ritus, v. g., officium aut missam funebrem aut etiam solam campanarum pulsationem. — Constat clare ex regula 80 juris in VI : « In toto partem non est dubium contineri ; » et proinde si *totum* prohibitum sit, *singulæ partes* item prohibitæ sunt. Confirmatur ex statim allegando brevi Gregorii XVI.

2° Immo, cum missæ exsequiales, *etiam absente corpore*, die tertio, septimo, tricesimo, aut anniversario, aut etiam aliis diebus, sint quasi complementum ipsius funeris, et ad illud pertineant, omnino prohibitum est celebrare has missas pro defuncto, cui negari debeat sepultura ecclesia-

stica. — Constat, præter argumentum jam datum, Gregorii XVI brevi *Litteras accepimus*, 9 julii 1842, ad præsidem cœnobii Schyrensis, O. S. B., in diœcesi Monacensi, in quo prorsus prohibet ne pro regina Bavariæ acatholica celebretur missa funebris in die ejus obitus aut anniversaria, etiam sub titulo celebrandi officium aut preces pro *defunctis universis* familiæ regiæ catholicæ : « Nec enim permittere possumus ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quæ in catholica ipsa doctrina innititur, de *sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando*[1]. » — Quod breve, in alio simili casu, jussum est communicari, 23 martii 1859[2].

§ 3. De pœnis contra delinquentes in hac materia.

223. — Pœna excommunicationis certis in casibus, juxta Pii IX bullam *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, *De excommunicationibus*, § 4, art. 1, in quo decernit subjacere excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ : « *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.* » Quæ pœna originem habet a cap. *Eos qui*, 1, De sepulturis, Clem.

1° *De quorumnam sepultura agatur.* — Agitur tantum : 1. De *hæreticis notoriis,* in sensu quem supra exposuimus, quin requiratur denuntiatio excommunicationis, nec hæresis; — 2. De *excommunicatis nominatim,* id est, de excommunicatis qui fuerint *denuntiati* seu *vitandi;* — 3. De *interdictis* item *denuntiatis* seu *vitandis.*

2° *Quid hic intelligatur per sepulturam ecclesiasticam.* — Intelligitur, non celebratio funeris, sed *ipse actus*

[1] *Analecta juris pontificii*, série IVe, 1860, col. 2391.
[2] *Ibid.*, col. 2390.

inhumandi defunctum in loco sacro, sive funus celebretur, sive non celebretur. — Ratio desumitur ex ipsis verbis constitutionis, *tradi sepulturæ ecclesiasticæ*, quæ alium sensum habere nequeunt, eo magis quod hic strictissime intelligenda sunt. — Ut autem sit locus *sacer* ad effectum de quo agitur, non sufficit quod *deputetur auctoritate episcopi* ad sepulturam fidelium, sed requiritur insuper ut sit *rite benedictus*[1]; juxta enim hodiernas leges (*Rituale romanum*, tit. VI, c. I, n. 18), ut aliquis locus sit *aptus ad sepulturam*, requiritur ut sit ad hoc benedictus. Nec sufficit simplex illa benedictio invocativa (*Rituale*, tit. VI, c. III, n. 12) quam sacerdos propria auctoritate confert singulis fossis aut sepulcris; sed requiritur illa benedictio constitutiva, quæ fit auctoritate episcopi, et cujus ritus describuntur in *Pontificali* aut *Rituali*.

3° *Quinam delinquentes pœna excommunicationis puniantur*. — Hodie non amplius incurrunt hanc excommunicationem, nisi *mandantes* et *cogentes* hæreticum tradi sepulturæ ecclesiasticæ: 1. *Mandantes*, id est, ii (v. g., præfecti urbi aut oppido), qui utentes vel potius abutentes auctoritate sibi commissa, jubent hæreticum sepeliri in loco sacro; — 2. *Cogentes*, id est, ii qui vi vel metu gravi alios injuste inducunt ut sepeliant hæreticum in loco sacro. — Ut incidant in prædictam pœnam, non requiritur amplius *temeritas* (quam requirebat cap. *Eos qui*, De sepult., Clem.); requiritur tamen quod *de facto* hæreticus sepultus sit in loco sacro. Quæ constant ex regulis generalibus de interpretatione censurarum.

224. — Pœna interdicti certis in casibus, juxta Pii IX bullam *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, *De interdictis*,

[1] Ita multi contra plures alios (apud Piat, *Commentarius in const. Apostolicæ Sedis*, in hunc articulum, Tornaci, 1881, p. 241).

art. 2 : « ... *Nominatim excommunicatos* ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel *ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.* » Quæ pœna originem habet a cap. *Episcoporum*, 3, De privilegiis, in VI.

1° *De quorumnam sepultura agatur.* — Agitur tantum de excommunicatis *vitandis*, ut dictum est supra: non vero de interdictis licet vitandis. — Per *sepulturam* autem *ecclesiasticam* intelligitur *inhumatio in loco sacro*, ut dictum est, sive funus fiat, sive non.

2° *Quinam delinquentes præfata pœna interdicti puniantur.* — Cum censura feriat tantum *admittentes* ad sepulturam, non agitur nisi de his qui jus habent admittendi, vel non, ad sepulturam, et proinde de parochis, prælatis Regularium, et generatim de rectoribus ecclesiarum quæ jus habent sepulturæ; hi ergo, si admittant excommunicatos vitandos ad sepulturam, incurrunt censuram, non vero alii simpliciter comitantes, assistentes, etc. — Hodie, in locis ubi erecta sunt cœmeteria publica, quæ pertineant ad municipium, putaverim censuram incurri etiam a præfecto civitati vel oppido, si agatur de cœmeterio benedicto, aut de parte cœmeterii benedicta; hic enim etiam habet jus admittendi vel non admittendi ad sepulturam in cœmeterio municipali ; incurrit ergo censuram, nisi tamen desit aliud cœmeterium non benedictum.

N. B. — Pœna contra sepelientes *usurarios manifestos*, de qua in cap. *Eos qui*, 1, De sepulturis, Clem., cessavit, utpote non contenta in const. *Apostolicæ Sedis;* — item pœna contra eos qui sepeliunt *fautores hæreticorum* ex cap. *Quicumque*, 2, De hæreticis, in VI.

CAPUT X

DE JURE PUBLICO ECCLESIÆ QUOAD SEPULTURAS

225. — Jura Ecclesiæ quoad sepulturas.

1° *Jus orandi pro defunctis et hujus orationis formam determinandi.* — 1. Jus profecto habet Ecclesia orandi pro defunctis : quod defluit directe et immediate ex ejus fine, qui est salvandi animas, eas nempe ad gloriam paradisi quam citissime perducendi; — 2. Proinde, et eo ipso, jus habet Ecclesia determinandi *formam* hujus orationis; qui enim jus habet circa *substantiam*, habet eo ipso circa *modum;* ergo jus habet jubendi ut hæc oratio sit publica, et constet cantu divinorum officiorum, celebratione missæ, recitatione precum ab ipsa ad hoc institutarum, aliisque, ad ejus placitum, variis ritibus.

2° *Jus honorandi corpora defunctorum, eaque honorari jubendi, modo fidei suæ consono.* — 1. Ubique locorum varii populi, tum antiqui, tum recentes, exuvias defunctorum honore prosecuti sunt, juxta humanæ rationis et variarum religionum dictamen, ita ut congrua et decens mortuorum sepultura semper habita fuerit ut officium humanitatis, religionis, et ex jure gentium[1]. Ergo et Ecclesia jus habet

[1] De quo cf. Grotium, *De jure belli ac pacis,* lib. II, c. XIX, Hagæ Comitis, 1680, p. 334-345.

honorandi, jubendique honorari corpora fidelium, juxta suam ipsius fidem; — 2. Juxta fidem Ecclesiæ, corpora fidelium defunctorum magna veneratione sunt digna, utpote olim membra Christi et templa Spiritus sancti, sæpe sacramento corporis Christi refecta, et reservata, in die resurrectionis, ad gloriam immortalem; ergo Ecclesia jus habet jubendi ut modo huic fidei consono tractentur, nempe ut ignobili cremationi non tradantur; ut publice et cum honore deducantur ad ecclesiam; ut in locis non profanis, sed benedictis et sacris, requiescant; ut a funere amoveantur impia vexilla aut insignia, etc.

3° *Jus habendi cœmeteria exclusive sibi propria.* — 1. Sicut Ecclesia, nativo jure societatis religiosæ et, in hoc genere, juridice perfectæ (ut alibi demonstratur), jure inconcusso fruitur, habendi templa sibi exclusive propria, ut nempe libere possit in eis suos cœtus tenere, suam fidem docere, sua sacramenta ministrare, sua officia aliosque ritus peragere; ita etiam, et propter easdem rationes, jus habet possidendi cœmeteria sibi exclusive propria, in quibus suos fideles, et hos tantum, sepeliat, et cum his ritibus, officiis, precibus et cantibus, quæ voluerit, quin impediri aut irrideri possit ab impiis; — 2. Eodem titulo societatis juridice perfectæ, facultate pollet habendi dicta cœmeteria, non tantum quoad usum, sed etiam quoad plenum dominium, ut nempe libere possit in eis ordinare modum officiorum et rituum, quem voluerit; unde impediri nequit quin acquirat aut dono accipiat loca ad sepulturam destinanda; et revera, sæculis præteritis, ubique terrarum Ecclesia pleno jure possidebat cœmeteria sibi exclusive propria; — 3. Quod si, injuria temporum, non possit haberi pro una civitate vel oppido, in quo sint etiam acatholici, nisi unum cœmeterium, saltem jus strictum inest Ecclesiæ, habendi, in hoc cœmeterio, partem sibi exclusive reservatam, a reliquo

cœmeterio distinctam et congruo modo separatam, ut in hac parte libere possit officium funebre ordinare. — Nec dicatur hoc repugnare præsentibus rationibus temporum, cum omnes cives sint æquales coram republica, lege, et municipio, cujus est cœmeterium. Nam, econtra hæc separatio maxime convenit nostris temporibus, quibus tantopere prædicatur sic dicta *libertas cultuum.* Ipsa enim sepultura fidelium, qualem jure suo ordinavit Ecclesia, est res religiosa, imo pars aliqua cultus, et professionis religionis catholicæ. Ergo juxta ipsum sic dictum *principium libertatis cultuum,* jus habent cives catholici, ut omnino liberi sint in hac exercenda parte cultus et professionis suæ, et proinde ut habeant locum sepulturæ separatum, in quo libere possint, juxta leges Ecclesiæ, funebria officia ordinare, et in fraterna communione, exclusis indignis, quiescere[1].

4° *Jus negandi sepulturam ecclesiasticam eis, quos ea indignos ipsa judicaverit.* — In dubium revocari nequit hæc Ecclesiæ potestas; nam : 1. Ratio illorum honorum et precum, quibus constat sepultura ecclesiastica, penitus deficit in illis defunctis, quorum corpora fuerunt instrumenta nequitiæ et reservantur ad ignem et ignominiam æternam; — 2. Sepultura ecclesiastica est pars et continuatio communionis ecclesiasticæ; unde æquum est ut illi qui viventes ob propriam nequitiam separati fuerunt aut se ipsos separaverunt a communione Ecclesiæ, etiam post mortem ab illa separati remaneant; nonne ridiculum et

[1] In Gallia, lege civili (décret du 23 prairial an XII, art. 15; Champeaux, *Recueil du droit civil eccl.,* Paris, 2e édit., p. 314), cavebatur, ut in locis in quibus inveniuntur cives diversarum religionum cultores, plura essent cœmeteria, vel saltem, si unum tantum esset, aliqua pars, ab aliis congruo modo separata, unicuique religioni reservaretur. — Verum hic articulus abrogatus fuit lege 15 nov. 1881, art. unico (*Journal des conseils de fabrique,* t. XLVII, an. 1881, p. 320).

fere comicum sit, illos qui tam caute viventes a cœtu et communione fidelium abstinuerunt, velle post mortem prorumpere inter sepulcra et corpora piorum? — 3. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ est pœna efficax ad deterrendum viventes a malo, quo mereantur hanc pœnam, ut per se patet et jam notabat S. Augustinus[1]; unde pœna privationis sepulturæ extitit apud plerosque populos, v. g., Hebræos (ex testimonio Fl. Josephi[2], Ægyptios (Gen. L, 19), Romanos (ut deducitur ex pluribus textibus *Corporis Juris* Romani[3]), et multos alios, ut latissime et doctissime demonstrat Spondanus[4]; ergo nil mirum si Ecclesia hanc pœnam contra indignos decreverit; — 4. Notandum etiam est olim et usque ad moderna tempora unicuique religioni fuisse proprium sibi exclusive reservatum cœmeterium, ita ut homines, sicut diversi erant religione, ita erant et sepultura[5]; unde nil mirum si Ecclesia catholica illos, qui aliam religionem aut nullam sectantur, propria sua sepultura privatos velit.

Dixi :... *Quos ea indignos ipsa*, nempe Ecclesia, *judicaverit:* solius enim est Ecclesiæ judicare quinam moriantur extra ejus communionem; nam sola est competens ad decernendum in quo consistat sua communio, et quando quis ab ea deficiat. Unde quod sæcularis potestas cogat pastores Ecclesiæ vel ad concedendam, vel ad negandam alicui sepulturam ecclesiasticam, est intolerabilis abusus.

226. — Jura sæcularis potestatis quoad sepulturas. — Finis societatis civilis seu potestatis sæcularis est

[1] *De cura pro mortuis*, c. VII; Migne, *P. L.*, t. XXXVII, col. 598.

[2] *De bello judaico*, lib. III, c. VIII, n. 5, ed. Lipsiæ, 1785, p. 634.

[3] V. g., l. *Liberorum*, 11, ff. *De his qui notantur infamia*, § 3 (III, II); — l. *Minime*, 35, ff. *De religiosis* (XI, VII).

[4] *Cœmeteria sacra*, toto libro II, Parisiis, 1638, p. 355-484.

[5] Ut Spondanus demonstrat, *ibid.*

promovere publicam seu communem felicitatem et utilitatem temporalem civium pro tempore vitæ præsentis. Ergo sæcularis potestas jus habet interponendi suam auctoritatem, quoad sepulturas, in iis omnibus quæ directe et immediate respiciunt finem istum. — Ex hoc principio generali sequuntur præcipua jura sæcularis potestatis :

1° Jus habet cavendi et curandi quæ intersunt publicæ valetudinis, et proinde : 1. Quoad *locum sepulturæ*, jubendi ut cœmeteria sint extra locos habitationis, immo extra civitates et oppida, cum determinato intervallo interjecto...; 2. Quoad *ordinationem fossarum*, ut sint satis profundæ, sufficienter inter se distent, non renoventur nisi post tale tempus, etc.

2° Jus habet cavendi, ut non justo citius aut serius corpora defunctorum sepeliantur, ne scilicet sepeliantur viventes aut jam corrupti.

3° Jus habet cavendi, ut corpora *occisorum*, vel aliorum defunctorum, de quorum mortis causa suspicio extat, non statim sepeliantur, sed deponantur in loco determinato, medicorum et juristarum investigationibus exponenda.

4° Tempore pestis, jus habet jubendi ut corpora defunctorum statim et recta via in cœmeterium inferantur, quin prius ad ecclesiam deducantur, etc. etc.

227. — Corollarium. — Ergo sepultura est *materia mixta*, finem utriusque societatis, ecclesiasticæ nempe et civilis, directe et immediate respiciens, licet quoad majorem et præcipuam partem respiciat finem Ecclesiæ. Ergo, sicut Ecclesia in variis regionibus se libenter subjicit ordinationibus quas sæcularis potestas intra limites sui fori decernit, sic et Status tenetur recognoscere et fovere ordinationes quas ipsamet Ecclesia in suo foro decernit.

DOCUMENTA

DOCUMENTUM I

S. Rituum Congregationis decretum Urbis et Orbis, *de celebratione missæ in ecclesia aliena*, 9 julii 1895[1].

Quod Benedictus XIV diserte docet (Op. de Beat. et Can. lib. IV, part. II, c. II, n. 5), missas nempe in honorem Beatorum vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus regularibus ex indulto concessas, ab aliis presbyteris sive sæcularibus sive regularibus celebrari non posse, Sacrorum Rituum Congregatio jampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus vel generalibus decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto fatente, incongruum videretur ut exteri sacerdotes ad Regularium ecclesias, die pro festo statuta, confluentes aliam celebrarent missam ab illa iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut summi Pontifices, in ipso beatificationis brevi, indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos sacerdotes in præfatis ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium judicatum est, cum novæ pluresque missæ iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus ecclesiis cum Sanctorum tum Beatorum indultæ sint; ne videlicet latæ super celebratione

[1] *Decreta auth.*, n. 3862, t. III, p. 288.

missarum leges aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur, nisi et forte earum observantia fere impossibilis fieret.

Quæ quidem omnia cum pluries ac præsertim in una *Romana Dubiorum*, in conventu habito die 23 augusti 1890, perpensa fuissent, S. Rit. Congregatio, dilata resolutione, decrevit ut, ad omnem difficultatem penitus amputandam, certæ normæ hac in re universis sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in ordinariis comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit :

Omnes et singuli sacerdotes, tam sæculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, missas cum Sanctorum cum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio ejusdem ecclesiæ vel oratorii conformes, sive illæ in romano, sive in Regularium missali continentur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta ecclesia vel oratorio, officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus in quibus præfatas missas rubricæ missalis romani vel S. R. C. Decreta prohibent.

Die 9 julii 1895.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam ejusdem S. Congregationis ratam habuit et confirmavit; rescripta seu decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 9 mensis decembris eodem anno.

Sequuntur, ad intellectum et interpretationem superioris decreti generalis quædam decreta particularia ejusdem S. Rit. Congregationis.

1° *Dubium* [1].

Quamplures Regulares, ratione suæ vocationis et prædicationis, quotannis per quadragesimam totam, per menses maii et

[1] *Decreta auth.*, n. 3883, t. III, p. 297.

octobris, et per alia quoque tempora, sacrum peragunt extra suas ecclesias; eaque de causa obtinuerunt ab apostolica Sede privilegium celebrandi missam juxta calendarium proprii Ordinis, quando color concordat cum colore officii ecclesiæ in qua celebrant. Præterea iidem Regulares habent privilegium, juxta quod concessio, illis per apostolicam Sedem semel facta, jam amplius non debet revocata censeri, nisi de prædicta concessione fiat mentio specialis, vel saltem habeatur clausula revocatoria privilegii, etiam speciali mentione digni.

Hinc quæsitum est: Num Regulares de quibus in casu, comprehendantur sub decreto S. R. C. die 9 julii 1895, confirmato a summo Pontifice die 9 decembris eodem anno.

Et S. Rit. Congregatio, referente secretario, atque audito voto Commissionis liturgicæ, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: Affirmative. Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 8 februarii 1896.

2° *Ruthenen* [1].

Emus et Rmus Dominus Cardinalis Christianus Ernestus Bourret episcopus Ruthenen., S. Rit. Congregationem pro sequentis dubii solutione enixe rogavit, nimirum:

Utrum (post decretum generale diei 9 julii 1895, confirmatum a summo Pontifice die 9 decembris ejusdem anni, *De missa conformi officio ecclesiæ vel oratorii publici*) calendario loci, an vero calendario celebrantis respondere debeant missæ, quæ celebrantur in capellis episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum?

Et S. Rit. Congregatio, referente secretario, exquisita sententia Commissionis liturgicæ, reque maturo examine perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

Dummodo agatur de capella principali (quæ instar oratorii publici, ad effectum memorati decreti, habenda est), Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam. Et ita rescripsit.

Die 22 maii 1896.

[1] *Decreta auth.*, n. 3910, t. III, p. 306.

3° *Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Francisci* [1].

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek Calendarista provinciæ Belgicæ Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui admodum R. P. Ministri Provincialis ac Rñi P. Procuratoris Generalis, a S. Rit. Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime flagitavit; nimirum :

. . . . . .

Dubium XVII. Ubi unus tantum sacerdos, quoad missæ celebrationem, addictus sit oratoriis competenti auctoritate erectis in gymnasiis, hospitalibus, ac domibus quarumcumque piarum communitatum, hic, si sæcularis, teneturne sequi calendarium diœcesis, in qua extat oratorium? Et, si Regularis, calendarium Ordinis, si proprio gaudeat, relinquere? Ei si aliquando celebrent extranei, hi debentne se conformare calendario sacerdotis ejusmodi oratoriis addicti?

Dubium XVIII. Num in ecclesiis et oratoriis Monialium aut Religiosarum quæ chorale officium habent, quilibet sacerdos missam conventualem seu solemnem celebraus, officio earumdem conformem semper dicere teneatur?

Dubium XIX. An in casu quo unus dumtaxat sacerdos apud præfatas Moniales seu Religiosas celebret, possit ipse diebus semiduplicibus vel ferialibus semper, seu saltem aliquando, loco missæ diei currenti conformis, celebrare missam votivam vel de Requie?

Et S. Rit. Congregatio, ad relationem secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicæ, ac re mature perpensa, rescribendum censuit :

. . . . . .

Ad XVII Affirmative in omnibus, si oratoria habenda sint ut publica; secus, Negative.

Ad XVIII et XIX. Servandum decretum generale diei 9 julii 1895, confirmatum a summo Pontifice die 9 decembris eodem anno.

[1] *Decreta auth.*, n. 3919, t. III, p. 309.

4° *Parisien. seu Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo*[1].

Rmus Dominus Alfridus Leclerc, sacerdos et Præpositus generalis Congregationis fratrum S. Vincentii a Paulo, S. Rit. Congregationi humillime exposuit, nonnullis in locis, a sacerdotibus suæ religiosæ Congregationis sacras functiones peragi, missasque ut plurimum celebrari in oratoriis piarum Sororum seu Religiosarum, quæ proprium calendarium non habent. Hinc eidem S. Rit. Congregationi sequens dubium una cum postulato exhibuit, nimirum :

I. Utrum, in casu, missæ debeant esse conformes calendario Congregationis fratrum S. Vincentii a Paulo, an calendario diœcesano? Et, quatenus negative ad primam partem,

II. Orator suppliciter efflagitat privilegium quo omnes sacerdotes suæ Congregationis in dictis oratoriis missam celebrare valeant juxta proprium calendarium, ut ex identitate missæ cum officio major in celebrante pietas foveatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente secretario, re mature, perpensa, rescribendum censuit :

Ad dubium. Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam.

Ad postulatum. Negative.

Atque ita rescripsit.

Die 17 julii 1896.

5° *Urgellen. seu Monialium Clarissarum*[2].

M. Emmanuela Balalls, abbatissa conventus Monialium Clarissarum civitatis Balagarii, Urgellensis diœcesis in Hispania, una cum omnibus ejusdem communitatis monialibus, S. Rit. Congregationi ea quæ sequuntur humillime exposuit, nimirum :

In ecclesia conventus, in qua jam per sex et amplius sæcula officium divinum persolvitur, missa conventualis celebratur,

[1] *Decreta auth.*, n. 3927, t. III, p. 320.

[2] *Ibid.*, n. 3972, t. III, p. 337.

ceteræque functiones communitatis peraguntur; sacra D. N. Jesu Christi imago magna fidelium veneratione colitur.

. . . . . .

Dubium IV. Utrum administrator sanctissimi Crucifixi aliique sacerdotes missas celebrantes in ecclesia enuntiati conventus, sese conformare teneantur calendario monialium juxta decretum S. Rit. Congr. diei 9 julii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 decembris ejusdem anni; an sequi queant calendarium diœcesanum, ut hucusque consueverunt, non obstante prælaudato decreto.

Et S. Rit. Congregatio... rescribendum censuit :

. . . . . .

Ad IV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit.

Die 14 januarii 1898.

6° *Urbis* [1].

Quarumdam ecclesiarum rectores insequentium dubiorum solutionem a S. Rit. Congregatione humiliter expostularunt, nimirum :

. . . . . .

Dubium II. In ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, sacerdotes exteri in illis celebrantes, tenenturne sequi calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur?

Dubium III. Num idem sit dicendum de ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissæ sunt?

Et S. Rit. Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis liturgicæ, rescribendum censuit :

. . . . . .

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 decembris 1899 [2].

[1] *Decreta auth.*, n. 4051, t. III, p. 375

[2] Notentur etiam, quoad celebrationem missæ in ecclesia aliena, numeri: **3985,** quod respicit obligationem recitandi orationem ab episcopo imperatam; **3892,** ad 5, et **4020,** quæ respiciunt, in certis casibus, ritum *festivum* vel *votivum* missæ celebrandæ.

DOCUMENTUM II

S. Rituum Congregationis decretum generale Celebrationis festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli ecclesiæ.
9 julii 1895[1].

Cum, haud obstantibus decretis pluribus dudum a S. R. C. emanatis, nondum satis constet apud interpretes quid juris habeatur circa celebrationem trium festorum, quæ in locis solemniora sunt juxta rubricas, eadem S. R. C. præterita cuncta decreta hac super materia hucusque vulgata renovans et declarans, decernit :

I. Festum præcipui Patroni loci, vel diœcesis si particularis non habeatur, celebrandum esse ab omnibus et singulis de clero, ad horas canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu duplici primæ classis a sæculari cum octava, a Regulari vero sine octava. Quod si plures habeantur in loco patroni æque principales, ad singula eorumdem festa, præfato celebranda ritu, omnes ut supra similiter teneantur; si vero de eodem patrono plura sint festa in loco instituta, unum tantum solemnius, id est natalitium, dicti Regulares recolent, nisi sub utroque præcepto sint observanda; tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur.

II. Eodem ritu duplici primæ classis cum octava celebrari debet festum solemnius Titularis ecclesiæ ab iis omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est, aut ratione beneficii aut ratione subjectionis; adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam Titulus cathedralis ecclesiæ ab universo clero totius diœcesis, sine octava tamen a Regulari.

III. Anniversarium vero dedicationis ecclesiæ eodem sub ritu ab omni clero recolatur, qui ad eamdem ecclesiam, uti superius dictum est, utpote propriam pertinet. Quod si alicui diœcesi vel

[1] *Decreta auth.*, n. 3863, t. III, p. 289.

instituto concessum sit anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo clero, quibus indultum favet, dictum festum semel celebrabunt sub ritu duplici primæ classis cum octava, sive ecclesia propria consecrata sive benedicta tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius ecclesiæ dedicationis festo omisso.

IV. Ad anniversarium autem quod spectat dedicationis cathedralis ecclesiæ, S. Rit. Congregatio jubet, ut illud celebretur ab universo clero sæculari diœcesis sub ritu duplici primæ classis in civitate episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem festum recolent ii tantum ex clero Regulari, qui in civitate degunt episcopali, sub ritu duplici secundæ classis sine octava.

Atque ita servari mandavit.

Die 9 julii 1895.

DOCUMENTUM III

S. Rituum Congregationis decretum super oratoriis semipublicis, 23 januarii 1899[1].

A Sacra Rit. Congregatione sæpe postulatum est quænam oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro oratoria publica ea esse quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. Privata econtra stricto sensu dicuntur oratoria, quæ in privatis ædibus in commodum alicujus personæ vel familiæ ex indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. Quæ medium inter hæc duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, oratoria semipublica sunt et vocantur.

Ut autem quælibet ambiguitas circa hæc oratoria amoveatur, sanctissimus D. N. Leo Papa XIII, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit : Oratoria semipublica ea esse, quæ, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum missæ sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, præcepto audiendi sacrum satisfacere valent. Hujus generis oratoria sunt quæ pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica; ad pia instituta et societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad domus spiritualibus exercitiis addictas; ad convictus et hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata; ad nosocomia, orphanotrophia, necnon ad arces et carceres; atque similia

[1] *Decreta auth.*, n. 4007, t. III, p. 355.

oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam missam. Quibus adjungi debent capellæ, in cœmeterio rite erectæ, dummodo, in missæ celebratione, non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat.

Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta jura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac præterea confirmare dignata est decretum in una Nivernen. diei 8 martii 1879.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 jan. 1899.

DOCUMENTUM IV

S. Rituum Congregationis decretum generale super festo Titularium in ecclesiis et oratoriis publicis celebrando.
5 junii 1899[1].

Cum Sacra Rit. Congregatio compererit nonnullos irrepsisse abusus circa Titularium festa celebranda, sicut in ecclesiis, ita in oratoriis publicis, decreta hucusque evulgata in præsenti renovans et confirmans, declarat :

I. In quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum octava.

II. Ecclesias autem omnes esse ab episcopo, nisi consecratæ eæ fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam oratoria publica, sub formula in *Rituali romano* præscripta.

III. Hinc, pro ecclesiis et oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium festa, illas sacras ædes esse intelligendas, quæ pro missis celebrandis, sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi Titularis festum a toto clero, si extiterit, vel a sacerdote rectore ecclesiæ aut publico oratorio addicto, per integrum officium celebrabitur; secus, in defectu cujusvis cleri, per solas missas juxta rubricas.

V. In oratoriis autem quæ existunt in ædibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibusque Regularium, relativum Titularis festum non celebrabitur nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerit.

[1] *Decreta auth.*, n. 4025, t. III, p. 363.

VI. Denique Sacra Rit. Congregatio mandat, ut nullum ex oratoriis privatis consecretur aut benedictione donetur solemni, quæ in Rituali romano legitur, sed ea tantum formula benedicatur, quæ pro domo nova aut loco in eodem Rituali habetur.

Et ita declaravit.

Die 5 junii 1899.

DOCUMENTUM V

S. Rituum Congregationis decretum circa commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum.
27 junii 1899 [1].

Cum dubia sæpius exoriantur circa commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari rubrica, tum quia super eadem declarationes innumeræ, ab hac S. Congregatione prolatæ, in decretorum collectione hac illac dispersæ, sine gravi labore vix reperiri queant, ac præterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatæ, quamdam aliquando antinomiæ speciem inter sese ferre videantur; ut, in re quotidiani fere usus, quæ in diversis ecclesiis, pro varietate Titularium et Patronorum, necessario est dissimilis, norma certa quædam habeatur et obvia; Sacra Rit. Congregatio, re mature considerata, per generale decretum, ad dubia quæcumque tollenda, ea quæ sequuntur declarare ac decernere statuit :

I. Quilibet, sive sæcularis, sive regularis, alicujus ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo ecclesia sit publica, etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a rubrica notatis, inter Suffragia commemorationem agere de ejusdem ecclesiæ Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili, et quamvis commemoratio jam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis nunquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur officium. Immo neque in officio votivo de Passione, fiat commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria pas-

[1] *Decreta auth.*, n. 4043, t. III, p. 369.

sionis Christi; sed neque de S. Michaele archangelo in officio votivo SS. Angelorum.

III. Similiter, commemoratio de ecclesiæ Titulo, jam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per antiphonam communem. Itaque, si Titulus ecclesiæ sit ipsa sancta Crux, ejus commemoratio, tam intra quam extra tempus paschale, non fiat nisi semel, et per antiphonam, versiculum et orationem, quæ inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, commemoratio de B. Maria Virgine, alicujus ecclesiæ Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel hujusmodi quacumque alia, fiat semper per antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris*, cum versiculo et oratione ibidem suppositis: et hæc sola commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam officium diei, quam commemorationes, circa idem objectum, haud tamen eadem ratione, versentur, tum commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, ecclesiæ Titulo, agenda est commemoratio etiam post commemorationem S. Crucis, immo in ipsa dominica II Quadragesimæ.

V. Ceterum, de Titulo commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est, commemorationem B. Mariæ Virginis communem omittendam esse in choro, juxta rubricam, cum recitatur ejusdem B. Virginis officium parvum.

VII. Tituli commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitatei psius, a rubrica assignatum. Sic, ex. gr., commemoratio S. Michaelis archangeli præponatur commemorationi S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, et SS. apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem commemoratio præponenda est commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Præter commemorationem de Titulo seu Patrono ecclesiæ, et Regulares etiam de proprio Fundatore, nulla de Patrono loci, vel diœceseos, provinciæ aut regni, vi Rubricæ facienda est, nisi contraria vigeat consuetudo. Quo in casu nisi aliter exigat personalis dignitas, commemorationes hujusmodi hoc ordine fiant: ut loci seu civitatis Patronus Patrono diœceseos, hic vero, patronis universalioribus anteponatur.

Die 27 junii 1899.

DOCUMENTUM VI

S. Rituum Congregationis decretum super Exsequiis,
23 aprilis 1895 [1].

Sacra Rituum Congregatio, Ritualis romani rubricis pluribusque alias evulgatis decretis inhærens, declarat :

I. Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum cruce, quæ debet esse illius ecclesiæ ad quam defuncti corpus defertur (dummodo non interveniat Capitulum ecclesiæ cathedralis); sub qua omnes incedere debent funus associantes.

II. Jus et onus inesse semper, etiam præsente capitulo cathedralis ecclesiæ, extra hanc tamen, parocho induendi stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis ecclesiam, usque dum e loco obitus ingressus fuerit ecclesiam tumulantem; ad quam, per alias quoque parœcias libere transeundo (recto tamen tramite, nisi aliud consuetudo ferat), cadaver deferendum est.

III. Eumdem parochum primas habere super omnem clerum, excepto, si interfuerit, Capitulo cathedralis ecclesiæ, quod in associatione incedet post ipsum parochum; excepto etiam Capitulo ecclesiæ collegiatæ, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu, dignior Capituli cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus; et id ipsum servabitur, si Capitulum ecclesiæ collegiatæ post parochum incedat.

IV. Si defunctus in alia parochiali ecclesia sit tumulandus, illius uni ecclesiæ rectori, stola pariter induto, jus et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere, aliisque omnibus præcedere, ne defuncti quidem parocho excepto, qui, cadavere ad ecclesiæ limen delato, recedat.

[1] *Decreta authe,* n. 3854, t. III, p. 283.

V. Hæc autem omnia servanda S. Rituum Congregatio jubet pro quibuscumque ecclesiis, etiam collegialibus, sive ad sæcularem sive ad regularem clerum pertinentibus, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante.

Atque ita decrevit et servari mandavit.

Die 23 aprilis 1895.

INDEX RERUM

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS

Numerus indicat paginam.

A

Ædificatio ecclesiarum : requisita ad ædificationem ecclesiæ, 13-17; — de citatione aut consensu parochi, 20-21.

Altare in genere : notitiæ historicæ circa materiam, formam, reliquias, dedicationem, 193-198; — de titulari altaris, 225-226.

Altare fixum : notio, 200; — altaris tabula, 200-203; — stipes, 203-204; — sepulcrum, 204-205; — consecratio altaris, 197-198; 205-209; — exsecratio, 209-213; — dubia consecratio, 213-214; — pollutio, 214.

Altare fixum : in materia indulgentiarum, 223-225.

Altare portatile : notitiæ historicæ, 198-199; — notio, 215; — tabula, 215-216; — sepulcrum, 216-219; — consecratio, 219-221; — exsecratio, 221-222.

Altare quoad sepulturam : non sepelienda corpora prope altare, 239-241.

Anniversarium : dedicationis ecclesiæ, vide *Dedicationis ecclesiæ anniversarium.*

Antimensia : apud Orientales, 226; — prohibita sacerdotibus latinis absque indulto, 225-226.

Asyli jus quoad ecclesias : notitiæ historicæ, 94-99; — in quo consistat jus asyli, 99-101; — loca quæ fruuntur jure asyli, 101-103; — crimina quæ reum excludunt a jure asyli, 103-106; — personæ quæ fruuntur jure asyli, 107-109; — pœnæ contra violantes jus asyli, 109-111; — juris asyli causæ, 111-113; — origo juridica juris asyli seu quo jure nitatur jus asyli, 113-116; — de jure asyli hodiernis temporibus, 116-118; — de jure asyli in cœmeteriis, 103; 252.

B

Baptismus : non baptizati, quoad privationem sepulturæ, 351-353.

Basilicæ : basilicæ majores, 120-122; — minores, 122-123.

Benedictio cœmeterii : benedictio solemnior seu consecratio, vide *Consecratio cœmeterii;* — benedictionis necessitas, 241-243; — benedictionis effectus, ritus, minister, 244.

Benedictio ecclesiæ : ejus origo, 28; — minister, 44-45; — essentia, 45; — missa celebranda, 46; — benedictionis ecclesiæ effectus, 46-48; — obligatio, 49-51; — benedictionis amissio, 66-67.

Benedictio oratorii domestici : qualis dari possit, 174.

Benedictio oratorii publici : hujus benedictionis obligatio, 135-137.

Benedictio oratorii semi-publici : num fieri debeat, 184.

C

Capella : capella navis, 131-132. Vide *Oratorium.*

Capitulum : jura capituli funeribus intervenientis, quoad præcedentiam, 298-299; — quoad crucem, 299-300; — jura capituli funeri apud Regulares celebrato intervenientis, 316.

Catechumeni : quoad privationem sepulturæ, 352.

Censurati : quoad privationem sepulturæ, 353-355.

Cœmeteria publica : eorum institutio nihil mutavit quoad relativa jura parochorum et ecclesiarum tumulantium, sive sæcularium, sive regularium, 330-336; — quid pro Gallia, 336-342.

Cœmeteria subterranea (catacumbæ) : capellæ in his cœmeteriis, 3-4.

Cœmeterium : cœmeterium præcipuus sepulturæ locus, 232 sq.; 238-239; — cœmeterii benedictio et consecratio, 235; 241-245; — exsecratio, 245-246; — profanatio, 246-247; — pollutio, 247-249; — reconciliatio, 249-251; — immunitas et jus asyli, 252-253; 103; — concessio loci ad sepulturam, 253-256.

Cœmeterium : quoad jus asyli, 103, 252.

Concessio loci pro sepultura in cœmeterio : num pretio locus concedi possit, 253-255; — solemnitates requisitæ, 255-256.

Congregatio Rituum : ejus decreta de celebratione missæ in ecclesia aliena, 373; — de festis Patroni, dedicationis et Titularis, 379; — de oratoriis semi-publicis, 381; — de festo Titularium in ecclesiis et oratoriis, 383; — de commemorationibus, 385; — de exsequiis, 387.

Consecratio altaris fixi : notitiæ historicæ, 197-198; — consecrationis necessitas, 205-206; — minister, 206; — reliquiæ ponendæ, 195-197; 207-209; — consecrationis ritus, 209; — consecratio altaris in ipsa consecratione ecclesiæ, 34-35.

Consecratio altaris portatilis : necessitas, 219; — minister, 219-220; — reliquiæ ponendæ, 220; — ritus consecrationis, 220-221.

Consecratio cœmeterii : traditio ecclesiastica hac in re, 235; — consecrationis ritus, minister, effectus, 243-244.

Consecratio ecclesiæ : notitiæ historicæ, 24-28; — consecrationis minister, 28-32; — dies qua fieri possit, 32; — jejunium pridie consecrationis, 32-33; — vigiliæ, 33; — consecrationis ritus, 34; — consecratio altaris, 34-35; — celebratio missæ, 35-36; — essentia consecrationis, 36; — pluralitas consecratorum, 37-38; — officium dedicationis, 38-40; — consecrationis effectus, 46-48; — obligatio, 49-51; — dubia consecratio ecclesiæ, 68-69.

Consecratio oratorii publici : consecrari potest oratorium publicum, 134; — quid inde sequatur quoad festum Titularis et dedicationis, 134-135.

Consecratio oratorii semi-publici : num fieri possit aut debeat, 184-185.

Crematio : modus funerandi apud paganos, 229-230; — crematio prohibita, 343-346; — num sit neganda sepultura ecclesiastica illi cujus corpus cremandum est, 347-348.

Crimina quæ reum excludunt a jure asyli, 103-106; — processus judicialis in casu horum criminum, 106-107.

Crux elevanda in funeribus, 299-300.

D

Dedicationis ecclesiæ anniversarium : in quibus ecclesiis celebrandum, 40-41; — quo die, 41-42; — a quibus, 42-43; — in Gallia, 43-44.

Dedicationis oratorii publici anniversarium : num fieri debeat, 134-135; — de oratorio semipublico, 184.

Duellistæ : quoad privationem sepulturæ, 358-359.

E

Ecclesia : jus publicum Ecclesiæ quoad sepulturas, 367 sq.; — jus orandi formamque orationis determinandi, 367; — jus honorandi corpora defunctorum modo fidei consono, 367-368; — jus habendi cœmeteria sibi propria, 368-369; — jus negandi quibus voluerit sepulturam suam, 369-370.

Ecclesiæ : earum antiquitas apud christianos, 3-6; — varia nomina, 7-10; — ædificatio, 11-23; — ecclesiarum notio, 11; — variæ species, 12-13; — hierarchia, 119; — situs et forma, 21-23; — consecratio, 24-51; — benedictio, 28; 44-51; — ecclesiarum patroni seu titulares, 52-61; — ecclesiæ dubia consecratio, 68-69; — exsecratio, 62-67; — pollutio, 70-83; — reconciliatio, 83-86; — immunitas ab usibus profanis, 87-93.

Ecclesia tumulans, quando alia est quam parochialis : ecclesiæ tumulantis jura in genere quoad funera, 301-309 — de ecclesia tumulante regulari, vide *Regulares quoad funera;* — de ecclesia tumulante sæculari non subjecta parocho, 370; — de ecclesia sæculari subjecta parocho, 318-320.

Effusio sanguinis humani : quoad pollutionem ecclesiæ, 72.

Electio sepulturæ : qui possint eligere sepulturam, 266-267; — impuberes non possunt eligere sepulturam, sed pater pro ipsis, 267-269; — quid de Regularibus, 269, 289 sq.; — factum electionis probari debet, 269; — electionis modus, 270; — libertas, 270-271.

Emolumenta funerum, 300-301.

Episcopus : ejus potestas quoad ædificationem ecclesiæ, 13-16; — quoad erectionem oratorii publici, 133; — quoad functiones in oratorio publico peragendas, 141-143; — quoad missæ celebrationem in oratorio domestico sive ante concilium Tridentinum, 145-146; — sive post concilium, 146-153; — quoad oratoria domestica a Rom. pontifice concessa, 156-157; 172-173; — quoad oratoria domestica ab ipso episcopo concessa, 173-174; — quoad oratoria semi-publica, 182-184; 186; — quoad concessionem juris sepulturæ, 262-263.

Exhumatio cadaverum : quando fieri debeat, 251.

Exsecratio altaris fixi : variæ exsecrationis causæ, 209-213.

Exsecratio altaris portatilis : variæ exsecrationis causæ, 221-222.

Exsecratio cœmeterii : exsecrationis causa, 245-246.

Exsecratio ecclesiæ : notio, 62; — variæ exsecrationis causæ, 62-66.

F

Funus : modus funerandi apud Romanos, initio Ecclesiæ, erat crematio, 229-230; — apud christianos, humatio, 230-231

Furta : furti in ecclesia commissi malitia, 90-91.

G

Gallia : de festo dedicationis omnium ecclesiarum in Gallia, 43-44; — de jure asyli in Gallia, 116; — de institutione cœmeteriorum publicorum in Gallia, 330 sq.; — quid inde quoad relativa jura parochorum et ecclesiarum tumulantium sive sæcularium sive regularium, 336 sq.

H

Hæretici : quoad privationem sepulturæ, 355-358.
Homicidium : quoad pollutionem ecclesiæ, 70-72.
Hospitalia : defuncti in hospitalibus quoad locum sepulturæ, 281-282.
Humatio : modus funerandi apud Christianos, 230-232; — etiam apud paganos, 231-232.

I

Imago : imago defuncti non exponenda in funeribus, 350.
Immunitas cœmeterii ab usibus profanis, 252-253; — de jure asyli quoad cœmeteria, 252.
Immunitas ecclesiæ ab usibus profanis, 87 sq.; — in ecclesiis vetita sunt judicia sæcularia, 87-88; — negotiationes et nundinæ, 88; — societatum sæcularium conventus, 89; — ludi et spectacula, 89; — confabulationes, 90; — admissio profanæ supellectilis, 90; — de furtis in ecclesiis, 90-91.
Indulta : Rom. pontificis quoad celebrationem missarum in oratoriis domesticis, 153-156; — horum indultorum clausulæ quoad interventum ordinarii, 156-157; — quoad ipsum locum oratorii, 157-159; — quoad ipsam missam, dies exceptos et sacerdotem, 159-161; — quoad indultarios, 161-162; — quoad alios privilegiatos, 163-165; — quoad satisfactionem præcepti de missa audienda, 165-166; — quoad jura parochialia, 167; — indulta S. Congregationis Concilii eadem de re, 167-168; — jus commune circa oratoria domestica a Rom. pontifice concessa, 168-171; — episcopi potestas quoad oratoria a Rom. pontifice concessa, 172-173; — quoad oratoria ab ipso episcopo concessa, 173-174.
Infantes non baptizati : quoad privationem sepulturæ, 353.

J

Jejunium : pridie consecrationis ecclesiæ, 32-33.
Judicia sæcularia : prohibita in ecclesiis, 87.
Jus asyli : quoad ecclesias, 94-118. — Vide *Asyli jus;* — quoad cœmeteria, 103; 252.
Jus sepulturæ : vide *Sepulturæ jus.*
Jus tumuli : notio, 263-264.

L

Loca : pia, religiosa, sacra, quid sint, 177-180; — oratoria in his locis, *ibid.*
Loca : quæ loca jure asyli fruuntur, 101 sqq.

M

Moniales : jus habent restrictum sepulturæ in suis cœmeteriis, 261-262; — moniales quoad locum sepulturæ, 296; — de earum professis triennalibus, novitiis, famulabus, etc., quoad locum sepulturæ, 296.

N

Negotiationes : prohibitæ in ecclesiis, 88.
Nuntiatio novi operis : ejus notio, 17; — quis cui nuntiare debeat, 18; — nuntiationis effectus, 18-20.

O

Oratorium : quoad titularem, 60-61 ; — quoad pollutionem, 80-82 ; — quoad immunitatem ab usibus profanis, 91-93 ; — quoad jus asyli, 102-103.

Oratorium domesticum : notio, 144-145 ; — episcopi potestas quoad celebrationem missæ in oratorio domestico, ante concilium Tridentinum, 145-146 ; — vi concilii Tridentini, 146-153 ; — indulta Rom. pontificis de celebratione missarum in oratoriis domesticis, 153-156 ; — variæ horum indultorum clausulæ, 156-167 ; vide *Indulta* ; — oratorii domestici indoles juridica, 171-173.

Oratorium publicum : notio, 125-126 ; — de requisito publico ingressu, 126-129 ; — de privato ingressu, 129-131 ; — signa publicitatis oratorii, 131 ; — requisita ad erectionem oratorii publici, 132-134 ; — oratorii publici consecratio aut benedictio, 134-137 ; — ejus indoles juridica, 137-138 ; — oratorium publicum relative ad parochum, 138-141 ; — relative ad episcopum, 141-143.

Oratorium semi-publicum : notio, 176-177 ; — quatuor genera, nimirum oratoria palatii episcopalis et cardinalitii, 177 ; — oratoria locorum religiosorum, 177-178 ; — locorum piorum, 178-180 ; — locorum publicorum, 180-181 ; — multiplex oratorium in eodem loco, 181-182 ; — requisita ad hæc oratoria, 182-184 ; — horum benedictio aut consecratio, 184 ; — oratorium semi-publicum relative ad parochum, 185-186 ; — relative ad episcopum, 186-187 ; — oratoria minora communitatum, 187-188 ; — oratoria Regularium, 188-191.

P

Palatium episcopale : quoad jus asyli, 103 ; — quoad oratorium, 177.

Parochus : jura ejus quoad oratorium publicum, 138-141 ; — quoad oratorium semi-publicum, 185-186 ; — quoad oratorium domesticum, 167.

Parochus quoad sepulturas : jura parochi quando parochianus nullam habet electam aut gentilitiam sepulturam, 297-301 ; — quando parochianus sepelitur in alio cœmeterio quam parochiali, 301-320 ; — jus habet levandi corpus, 309-311 ; — deducendi corpus ad ecclesiam tumulantem, 311-312 ; 317-318 ; — de quarta funerali, 320-329.

Patronus ecclesiæ : vide *Titularis ecclesiæ*.

Peccatores publici : quoad privationem sepulturæ, 358-361.

Pœnæ : contra violantes jus asyli, 109-111 ; — contra eos qui indignis concedunt sepulturam ecclesiasticam, 364-366.

Pollutio cœmeterii : quinque causæ pollutionis cœmeterii, nimirum, effusio sanguinis aut seminis humani, 247 ; — sepultura excommunicati vitandi, aut infidelis, 248 ; — homicidium, 248 ; — pollutio ecclesiæ contiguæ, 248-249 ; — de sepultura hæretici, schismatici, catechumeni, infantis non baptizati, 75-76 ; — effectus pollutionis, 249.

Pollutio ecclesiæ : notio, 70 ; — quatuor pollutionis causæ, nimirum, homicidium, 70-72 ; — effusio sanguinis aut seminis humani, 72-73 ; — sepultura excommunicati vitandi, vel infidelis, 73-75 ; — quid de sepultura hæretici, schismatici, catechumeni, infantis non baptizati, 75-76 ; — effectus pollutionis, 82-83.

Præcedentia in funeribus : debetur parocho, 298-299 ; — quid si intersit capitulum, 298-299.

Profanatio seu conversio ad usus profanos : profanatio ecclesiæ, 66, 67, nota 3 ; — oratorii, 133, 174, 183 ; — cœmeterii, 246-247.

Q

Quarta funeralis : ejus notio, 320-321; — varii casus in quibus quarta debetur parocho, 322-325; — ecclesiæ quæ tenentur quartam solvere, 325-326; — de quibusnam emolumentis solvenda sit quarta, 326-328; — de quantitate quartæ, 328-329.

R

Reconciliatio cœmeterii polluti : reconciliationis ritus, minister, 249-251.

Reconciliatio ecclesiæ pollutæ : reconciliationis necessitas, 83-84; — minister, 84-86; — ritus, 86.

Regulares : eorum oratoria, 188-191; — jus habent sepulturæ in suis cœmeteriis, 258-261; — regulares quoad electionem sepulturæ, 269; 289 sq.; — quoad locum sepulturæ, 291-292; — de eorum professis triennalibus, novitiis, famulis, educandis, hospitibus, quoad locum sepulturæ, 292-295.

Regulares quoad funera apud eos celebranda : eorum jura in genere, 301-309; — ad eos non pertinent levatio corporis, nec ejus deductio ad eorum ecclesiam, 309-312; — ad eos pertinent officium funebre celebrandum, campanarum pulsatio, deductio corporis ad cœmeterium, 312-316; — debent parocho quartam funeralem, 320-329; vide *Quarta funeralis.*

Religiosi votorum simplicium : quoad jus sepulturæ, 262; — quoad locum sepulturæ, 296.

Reliquiæ : in dedicatione ecclesiarum, 25-26; — in consecratione altaris, 195; 197; 207-209.

Romanus pontifex : ejus indulta quoad celebrationem missarum in oratoriis domesticis, 153-156; — variæ horum indultorum clausulæ, 156-167.

S

Sepulcrum : concessio loci pro sepulcro, 253-256; — jus sepulcri, 256; — benedictio sepulcri, 243-244-245.

Sepultura : quoad locum in genere 232-235; 238-241; — non sepelienda corpora prope altare, 239-241; — sepultura quoad modum (humatio vel crematio), 229-232.

Sepultura : quoad pollutionem ecclesiæ, 73-76; — quoad pollutionem cœmeterii, 247-249; vide *Pollutio ecclesiæ, Pollutio cœmeterii.*

Sepultura electa : vide *Electio sepulturæ.*

Sepultura parochialis, seu in cœmeterio parochiali : qui sepeliri debeant in cœmeterio parochiali, 276-277; — domiciliati, 278-279; — quasi-domiciliati, 279; — peregrini, 279-281; — vagi, 281; — infirmi in hospitalibus, 281-282.

Sepultura seu **sepulcrum majorum :** notio et species, 271-272; — qui sepeliri debeant in sepulcro majorum, 272 sq.; — de pueris et infantibus, 273-274; — de filio illegitimo, adoptivo, 274; — de uxore et viro, 275-276.

Sepulturæ ecclesiasticæ negatio : quibus neganda sit sepultura ratione baptismatis non recepti, 351-353; — ratione censuræ, 353-355; — ratione hæresis, 355-358; — ratione peccati publici, 358-361; — non neganda est damnatis ad mortem, 362; — de modo intelligendi negationem sepulturæ, 363-364; — pœna contra sepelientes illegitime, 364-366.

Sepulturæ jus : jus sepulturæ habent ecclesiæ parochiales, 257-258; — monasteria Regularium, 258-261; — monasteria monialium, cum restrictione, 261-262.

Sepulturæ locus quoad singulos defunctos : electio sepulturæ, 266-271; — sepultura majorum, 271-276; — sepultura in cœmeterio parochiali, 276-282; — ubinam sepeliri debeant : Romanus pontifex, 283; — episcopi, 283-284; — episcopi titulares, 284; — cardinales, 284-285; — canonici, 285-

288; — presbyteri aliique clerici, 288-289; — Regulares, 289-292; — professi triennales, 292; — novitii, 293; — famuli Regularium, 293; — pueri et juvenes in collegiis Regularium, 293-294; — hospites Regularium, 294-295; — moniales, earumque educandæ et hospites, 296; — religiosi votorum simplicium, 296.

Sepulturæ modus et ritus : crematio prohibita, 343-348; — quæ signa aut insignia prohibita in funeribus, 348-350; — quæ vexilla prohibita, 350; — imago defuncti non exponenda, 350.

Signa : quæ signa prohibita in funeribus, 348-350.

Suicidæ : quoad privationem sepulturæ, 358.

T

Titularis altaris : non est titulus liturgicus, 225-226.

Titularis ecclesiæ : notio, 52-53; — titularis electio, 53; — mutatio, 55; — cultus titulari debitus, 56-58; — ecclesiæ vel oratoria, quæ jus ad titularem liturgicum habent, 58-61.

Titularis oratoriorum : oratorii publici, 135; — semi-publici, 184.

Tumuli jus : notio, 263-264.

U

Unctio : in dedicatione ecclesiarum, 27-28.

V

Vexilla : quæ vexilla prohibita in funeribus, 350.

Vigiliæ : pridie consecrationis ecclesiæ, 33-34.

INDEX

TITULUS I

DE ECCLESIIS

CAPUT I. — Notitiæ historicæ

Antiquitas ecclesiarum apud christianos; harum varia nomina . . . 3

CAPUT II. — De ædificatione ecclesiarum

Notiones præviæ; requisita ad ædificationem; nuntiatio novi operis; situs et forma ecclesiarum 11

CAPUT III. — De consecratione et benedictione ecclesiarum

§ 1. Notitiæ historicæ 24
§ 2. De ministro consecrationis 28
§ 3. De ipsa consecratione 32
§ 4. De benedictione ecclesiarum 44
§ 5. De consecrationis et benedictionis effectibus 46
§ 6. De obligatione consecrationis vel benedictionis 49

CAPUT IV. — De patronis seu titularibus ecclesiarum

Tituli electio, mutatio; cultus titulo debitus; ecclesiæ quarum titulares ad præfatum cultum jus habent 52

CAPUT V. — De exsecratione ecclesiarum, et dubia consecratione

Amissio consecrationis, benedictionis; dubia consecratio 62

CAPUT VI. — De pollutione ecclesiarum et earum reconciliatione

§ 1. De variis actibus, quibus polluitur ecclesia 70
§ 2. Requisita generalia ut præfati actus inducant pollutionem ecclesiæ. 77
§ 3. Quæ ædes sacræ sint obnoxiæ pollutioni 80
§ 4. De effectibus pollutionis ecclesiæ 82
§ 5. De reconciliatione ecclesiæ pollutæ 83

CAPUT VII. — De immunitate ecclesiarum ab usibus profanis

Actus prohibiti in ecclesiis; furta in ecclesiis; quænam ædes sacræ hac immunitate fruantur 87

CAPUT VIII. — De jure asyli

§ 1. Notitiæ historicæ 94
§ 2. In quo consistat jus asyli 99
§ 3. De locis quæ jure asyli fruuntur. 101
§ 4. Crimina quæ reum excludunt a jure asyli 103
§ 5. De personis quæ jure asyli fruuntur. 107
§ 6. De pœnis contra violantes immunitatem asyli ecclesiastici . . . 109
§ 7. De causis et origine juridica juris asyli. 111
§ 8. De jure asyli hodiernis temporibus. 116

CAPUT IX. — De basilicis

Hierarchia basilicarum; basilicæ majores, minores 119

TITULUS II

DE ORATORIIS

CAPUT I. — De oratoriis publicis

§ 1. De natura oratorii publici. 125
§ 2. De erectione et benedictione oratorii publici, et hujus indole juridica. 132
§ 3. De statu oratoriorum publicorum relative ad episcopum et ad parochum. 138

CAPUT II. — De oratoriis domesticis

§ 1. De natura oratorii domestici. 144
§ 2. De potestate episcopi circa missæ celebrationem in oratoriis domesticis. 145
§ 3. De clausulis indultorum celebrationis in oratoriis domesticis. . 153
§ 4. De jure communi circa oratoria domestica a Rom. Pontifice concessa 168
§ 5. De potestate episcopi relative ad oratoria domestica. 172
§ 6. De indole juridica oratorii domestici. 174

CAPUT III. — De oratoriis semi-publicis

§ 1. De variis generibus horum oratoriorum 176
§ 2. De requisitis ad oratoria semi-publica. 182
§ 3. De functionibus quæ fieri possunt in oratoriis semi-publicis. . 185
§ 4. De oratoriis Regularium. 188

TITULUS III

DE ALTARIBUS

CAPUT I. — Notitiæ historicæ

Altarium materia, forma, reliquiæ, consecratio; altare portatile. . . 193

CAPUT II. — De altari fixo

§ 1. De notione, materia et structura altaris 200
§ 2. De consecratione altaris. 205
§ 3. De exsecratione et pollutione altaris. 209

CAPUT III. — De ara portatili

§ 1. De notione, tabula et sepulcro aræ portatilis 215
§ 2. De consecratione aræ portatilis 219
§ 3. De exsecratione aræ portatilis. 221

CAPUT IV. — Varia de altaribus

Altare fixum in materia indulgentiarum; de titulari altaris; de antimensiis. 223

TITULUS IV

DE CŒMETERIIS ET SEPULTURIS

CAPUT I. — Notitiæ historicæ

Modus funerandi apud christianos; locus sepulturæ; consecratio cœmeteriorum; negatio sepulturæ 229

CAPUT II. — De cœmeteriis

§ 1. De loco sepulturæ in genere. 238
§ 2. De benedictione et consecratione cœmeteriorum. 241
§ 3. De exsecratione et profanatione cœmeteriorum 245
§ 4. De pollutione et reconciliatione cœmeteriorum. 247
§ 5. De immunitate cœmeteriorum. 252
§ 6. De concessione loci ad sepulturam in cœmeterio. 253

CAPUT III. — Quænam instituta jus sepulturæ habeant

Parochiæ; monasteria Regularium, monialium, etc. 257

CAPUT IV. — De jure communi, circa locum in quo quisque fidelis sepeliri debeat

§ 1. De electione sepulturæ 266
§ 2. De sepultura majorum. 271
§ 3. De sepultura parochiali 276

CAPUT V. — De jure speciali quoad plures ordines clericorum et quoad religiosos

§ 1. De jure speciali quoad plures ordines clericorum. 283
§ 2. De jure speciali quoad religiosos. 289

CAPUT VI. — De juribus parochi et ecclesiæ tumulantis

§ 1. De juribus parochi, quando parochianus nullam habet electam aut gentilitiam sepulturam 297

§ 2. De juribus parochi, quando parochianus sepelitur in ecclesia diversa a parochiali, et de juribus ecclesiæ tumulantis :

I. De partitione jurium in genere. 301
II. Jura mutua parochi et Regularium, quando parochianus sepelitur apud Regulares. 309
III. Jura mutua parochi et ecclesiæ tumulantis, quando hæc est ecclesia sæcularis 317
IV. De quarta funerali. 320

CAPUT VII. — De institutione cœmeteriorum publicorum, relative ad jura ecclesiarum particularium

Jurisprudentia sacrarum Romanarum Congregationum ; solutiones applicantur ecclesiis Galliarum; varia quæsita 330

CAPUT VIII. — De modo et ritibus sepulturæ ecclesiasticæ

§ 1. De crematione. 343
§ 2. De quibusdam prohibitis in funeribus 348

CAPUT IX. — De negatione ecclesiasticæ sepulturæ

§ 1. De personis ecclesiastica sepultura privandis. 351
§ 2. De modo intelligendi negationem sepulturæ ecclesiasticæ. . . . 363
§ 3. De pœnis contra delinquentes in hac materia. 364

CAPUT X. — De jure publico ecclesiæ quoad sepulturas

Jura Ecclesiæ quoad sepulturas; jus societatis civilis item quoad sepulturas 367

DOCUMENTA

I. S. Rituum Congregationis decretum de celebratione missæ in ecclesia aliena; sequuntur sex decreta particularia eadem de re. 373
II. S. Rituum Congregationis decretum de festis Patroni, dedicationis et Titularis ecclesiæ 379
III. S. Rituum Congregationis decretum super oratoriis semi-publicis. 381
IV. S. Rituum Congregationis decretum de festo Titularium in ecclesiis et oratoriis publicis celebrando. 383
V. S. Rituum Congregationis decretum circa commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum. . . 385
VI. S. Rituum Congregationis decretum super exsequiis. 387

Index rerum ordine alphabetico digestus 389

31 096. — Tours, impr. Mame.

H
§

C.

Jur
a

§ 1.
§ 2.

§ 1.
§ 2.
§ 3.

Jura
sep

I. S.

II. S.

III. S.
IV. S.

V. S.

VI. S.

Index r

9531